B 3

1. d. 40.

27. A. 22

HIERONYMI CARDANI

Mediolanensis Medici & Philosophi præstantissimi, in CL. PTOLEMAEI PELVSIENSIS IIII de Astrorum Iudicijs, aut, ut uulgò uocant, Quadripartitæ Constructionis, libros commentaria, quæ non solum Astronomis & Astrologis, sed etiam omnibus philosophiæ studiosis plurimum adiumenti adferre poterunt.

Nunc primùm in lucem ædita.

PRAETEREA,

Eiusdem Hier. Cardani Geniturarum XII, ET AVDITV MIRABILIA ET NOtatu digna, & ad hanc scientiam recte exercendam obseruatu utilia, exempla. Atque alia multa, quæ interrogationibus & electionibus præclarè seruiunt, uanáq; à ueris rectè secernunt. Ac denicq; Eclipseos, quam grauissima pestis subsecuta est, exemplum.



ATENEO VENETO
VENEZIA

BASILEAE.



ILLVSTRISSIMO & Reuerendiſs. Archiepiſcopo Beati Andreæ, S. Pontificis Sanctæque ſedis Apoſtolicæ Legato, Eccleſiæ Regniqúe Scotiæ Præſidi Ioanni Hamulthoni, Hieronymus Cardanus Mediolanenſis medicus S. D. P.



NIHIL tam humanum eſt, tanq; iucundum, Antiſtes maximè, quàm ea cognoſcere & ſcire quæ natura inter archana ſua condidit. Nihil tam præſtans ac magnificum quàm Dei maximum opus intelligere ac cõtemplari. Quæ duo cum Aſtrologia ipſa complectatur, & cœleſtis illius machinæ Diuinũ opus maximũ, & futurorum archanam notitiam, meritò hæc diſciplina ab omnibus ſapiẽtibus cæteris prę-ſtantior exiſtimata eſt. Eos uerò qui tantũ opus aggreſsi ſunt, ut res mortalibus utiliſsimas inuenirent, aut augerẽt, atq; excolerẽt, antiquitas, Dei Optimi Maximi ignara, pro diis coluit. Qui error, ſi nõ omnino ſpreto uerò numine, irrepſiſſet, hoc ipſo erat tolerabilis, quod dũ Dei opera ſuſpicimus, dum illius leges intelligimus, dum ſecreta percipimus, & eius magnitudinem ex operibus, ſapientiam ex ordine, bonitatem ex cõceſſa nobis ſapientia ueneramur. Quis enim qui, ſi opificem tantæ molis conſiderare uelit, ſi æternas leges motuũ, ſi ſecretorum ſcientiam nobis traditam, illico eiuſdem potentiam non timeat, ſapientiam admiretur, bonitatem diligat? Monuerat Philoſophus ille Auguſtum, ut cũ facturus eſſet aliquid, prius Græcum Alphabetum reuolueret, moram ſcilicet deliberationi interponendam docens, atq; id ſalubri conſilio: Sed ſalubriori certè ſi quiſpiam moneat ſingulis noctibus ſemel ſtellas inſpicere & illarum ſplendorem, motum, ordinem, magnitudinemq; cõſiderare: Indeq; quis tantus opifex iſta condiderit. Simul enim ut hæc diutius & frequentius quiſquam ſecum reputabit, illa occurrent, æternitatis memoria, noſtræ cõditionis fragilitas, ambitionis ineptia, ſcelerum acerba recordatio: Inde contemptus tam breuis uitæ, quæ & ſi centum annis duret, quid porrò ad æternitatis immenſam magnitudinem? nónne ut punctũ exiguum in circulo? Quid hæc tota felicitas humana? quam ſi quiſquam deguſta-

re potuit tu ille ipse es, nónne uentus, fumus, somnium? Et si quippiam in ea est, illud totum in diuinorum operum contemplatione & admiratione repositum est. Quæ ambo cũ Astrologia complectatur, meritò totam etiam humanam felicitatẽ illam complecti necesse est. Nec minus in aduersis nos hæc æternitatis contemplatio confirmat, cum breuem transitum huius onerosi æui considerabamus, & fati necessitatem impositã quæ eo est leuior quo paulatim meditatione assidua mitescit, & quasi fit familiaris. Iam uerò hæc mittamus & ad humanum commodum sermo conuertatur. Quid utilius esse potest quàm scire futura? quid iucũdius quàm diuinitatis alicuius hac in parte participem esse? Quid nã Astrologus bonus aliud est q̃ consiliorũ quæ in cœlo fiunt particeps? Et ut ille dicebat:

Illic astra, polos, cœlum septemq; Planetas
Consulit Astrologus, terrisq; reportat eorum
Consilium, armans illas firmansq; caduca
Contra cœlestes iras superumq; furorem.

Sed ut in omni disciplina nobiliore semper uitia maiora contingunt, alia quidem per eos qui cũ eam non norint se scire iactant, alia per eos qui sciunt, sed malè utuntur, ita in hãc ut nobilissimam etiã pessima uitia, & innumerabilis turba nebulonum se coniecit. Qui ita artem fædarunt ac conspurcarunt, ut ne quidem uestigium illius superfuerit. Tot Albumasares, Abenrageles, Alchabitios, Abubatres, Zaheles, Messahalacos, Bethenes, Firmicos, Bonatos boni geniĩ, quid iam supereſt aut reliquum est à tot impostoribus? à tot nugis? Id factũ est cum ars hæc esset, ut quilibet perspicere potest, tanto difficilior quãto diuinior: imperiti illi simularũt quod assequi non poterant, in compendium uelle redigere. Itaq; cũ quæstus causa omnes ad illos recurrerent, miserta humani generis Diuina bonitas Ptolemæum unum nobis pro tot millibus sycophantarum largita est. Qui artem in tenebris iacentẽ extulit, & in lucem traduxit. Dignus sanè Herculeis honoribus atq; aliquanto etiã maioribus. Is mira arte, summa diligentia, maximis laboribus, magna fretus felicitate ac uitæ diuturnitate, non solum errantium & inerrantium syderum cursus, magnitudines, aliosq; illorum affectus descripsit, sed & illorum decreta, ac præsagia tanta ingeniĩ subtilitate ut mortales omnes ab arte ipsa absterruerit, neminem accenderit. Quo factum est ut rursus turba hæc nebulonũ surrexerit, ipsa disciplina cum Ptolemæi libro iacuerit squalore, & situ fœdata. Non id fallebat Ptolemæum futurum, sed maluit ueritatem obscurè quàm mendacia ac fabulas dilucidè, scribere: sperans futurũ tandem aliquem qui sua hæc monumenta posset explicare. Iacuit itaq; liber hic annis mille quadringentis ita abiectus, ut nisi nomen authoris illum defendisset, maxima cum iactura bonarum literarum periisset. Neq; ego sponte iam tantam prouinciam aggressus sum, qui audacis plus nomen uererer quàm

rer quàm felicis expositoris. Fecit casus atq; diuina uoluntas quod neq; sponte, neq; iudicio ut facerem, possem persuaderi. Venerã Lugdunum, Lutetiam accessurus ut ualetudini tuæ opem afferrem. Qua spe paucu-los libros mecum detuleram, sperãs reditum breui in patriam. Iussisti ut in Scotiam uenirem. Id cum cernerem, sumptum temporis magnum fa-cturũ me existimaui. Fortè fortuna dono quispiam mihi, dum aliud re-quiro, librum hunc Ptolemæi dederat: Simul ut uidi, ne tãtum mihi tem poris periret, accingo me ad opus: animũ necessitas ipsa addiderat. Emo libros, alij dono dant quos mihi necessarios esse existimaui. Diuinitus oc casionem oblatam credidi quam effugere non possem. Itaq; in naui dum opus inchoatur, tam magno incremento auctum est, ut neq; magis si do-mi per otium licuisset, crescere potuisset. Quàm feliciter, iudicabunt qui ista perlegent. Illud dicere audeo ne uerbum quidem ullum inexpositum relictum fuisse, nec quicquã ambiguum in tota arte supersesse, nec omni-no quippiam in quo author ipse uel à seipso uel ab experimento diss enti-re uideatur, remansisse. Itaq; cum iam clarior luce ipsa Ptolemæus studio-sis emergat, cuiusnam auspicijs magis quàm tuis, cuius humanitate & li-beralitate tanta occasio mihi data est atq; omnibus eruditis iam fruendi tanti uiri colloquio ædetur? Profecto nõ nisi numine crediderim factum, ut simul scripta tanti authoris à squalore ac pedore uindicarentur, & tot huius artis studiosorum uotis satisfieret. Et egregiarum tuarũ uirtutum quæ quasi ex orbis angulo per uniuersum elucescunt, testimoniũ ad po-steros perpetuum emigraret. Neq; enim dubito postquam eadem me in-uentionis felicitas, atq; amplior comitata est, qua plurima iam multis non dico seculis, sed annorũ millibus, à tot præclaris ingenijs quæ mihi sanè prætulerim, frustra quæsita inueni: Velut Libri Artis Magnæ, Horti nu-merorũ, Ars parua, Libri de Subtilitate, de Rerũ uarietate, Musicę, q; alijq; penè innumeri testantur, his ipsis in cõmentarijs tanto duce fretus, quan-tus est Ptolemæus ullam temporũ iniuriam tuum nomen hic affixũ pos-se auellere, uel extinguere. Decebat sanè uiri amplissimi, prijsimi, huma-nissimi, atque sapientissimi memoriã tam raram coli, qualem nunquam pro numinũ fide uel uiderim, uel audierim, uel legerim, atque simul fami-liæ tuæ, alioquin clarissimæ, quã tamẽ uel solus tu illustrare tam egregijs uirtutibus atq; operibus poteras. Scoticũ nomen antea horruerã, eorum exemplo qui prius cœperunt odisse quàm cognoscere. Nunc cum ipsa gens per se humanissima sit atq; supra existimationem ciuilis, tu tamen tantum illi addis ornamenti, ut longè nomine tuo iam nobilior euadat. Quid ego commemorem erectam Academiam à te B. Andreæ, pacatam seditionem, liberatam patriam, defensam authoritatẽ gubernatoris fra-tris tui uiri Illustrissmi optimiq;? Hæc solum uestigia sunt tantæ uirtutis, non argumenta. Quid in pauperes liberalitatem? ut de alijs taceam. Hoc

solum dicere uolui, quod ad optimum pastorẽ qualis tu es, attinet, ut potius immeriti etiam accipiãt quàm meritis quicquã desit. Ego sanè omnia in te suspicio, hoc unum pro miraculo admiror scilicet fortitudinẽ tuam. Cum te laborantẽ inter acerbissimos illos cruciatus sæuissimi morbi uideo, neq; tristem, neque mortis metu pauidum, quin etiam hilarem & ridentem, mecum dico, hic solus certè homo est. Et si qui illi sunt hac in parte similes, nos umbrę penitus sumus. Quid prodest garrulis Philosophis tam multa de animorum immortalitate, de fortitudine prędicare, deinde minimo in periculo impalescere? Vt manifestũ sit illas esse meras nugas, te uerè fortem, uerè pium esse. Deerat forsan aliquid quo magis uitã contemneres: cum prope beatus sis, si tamen humanæ res quenquã beatũ effi cere possunt, summi magistratus, familia potentissima, frater & fratris filius principes, opes immensæ, fida seruitus, splendidissimus apparatus, amicorum etiam nobilissimorum penè numerus infinitus, Regum societas, magnorum negociorum administratio, iudicium summi Pontificis de te maximum, atque hęc omnia exteriora. Intus uerò multarum linguarum peritia, sacræ paginæ tanta eruditio, ut uix ulli secundus forsan dici possis, pia mens, syncerus animus, prudentia & dexteritas maxima, patientia tamen maior. Vererer (nisi nunquam mentitum esse nouerint me plurimi, & si apud eos qui te norunt maior fama non esses) hac prædicatione mea, ne qualem plerique Principem desiderãt, talem fingere solent, & me qui uix ipsis sensibus credere possum, inter illos adnumerarẽt. Itaque cum plura sint in te maxime Antistes, quàm quæ à me possint explicari, opus hoc nomini tuo dedicatum & liberalitate tua & uirtute, & numine quodã, quod omnibus his maius est, tibi debitum, ea fronte qua & ipsius libri fabricatorem excipere soles, accipe. Fidum & æternũ pignus meæ erga te beneuolentiæ fidei atq; obsequij, ut cum ego in patriam rediero, & tu mecum esse possis, & ego beneficiorum à te acceptorum imaginem retineam. Vale XVI Calendas Iulij MDLIII Mediolani.

HIE-

HIERONYMI CARdani Mediolanensis Medici in Ptolemæi librorum de Iudiciis Astrorum commentaria, Proœmium.



Semper mos ille uiguit, ut qui imperitissimus esset, bonis omnibus artibus malediceret, & ut quisque procaci esset lingua, ita in bonos conuitia effunderet, assuetus inter rudes, pietatis specie, quasi uel Christianus, uel uir bonus constet uerbis, non fide ac operibus, contentionum semina spargere. Adeoq; uitium hoc quorundam inualuit, (uenia dent uerbis qui syncerius de studio hoc sentiunt eos enim non perstringo) ut relictis omnibus liberalibus disciplinis ad cõcertationes solum se transtulerint: Et Typographorũ quoq; aliqua pars, iam pro bonis authoribus & utilibus libris nugas & disputationes inanes imprimant. Quasi cœleste regnum non optime in fide facientibus, sed subtilius nouũ aliquod ænigma proponentibus, debeatur. Quãobrem cum olim multi, gloriã ex maledicto quam eruditione cõparare non poterant, quærẽtes, sacræ huic disciplinæ, inter cæteras ut splendidissimæ bellum intentassent, nouissimè quidam procaciori lingua nescio an stultius, an imperitius, impudentius, an inconstantius, aduersus illam prophano eo ore quo tãta mentiunt, debachati sunt. Viri quidẽ, ut uno uerbo illos describã, in re nõ benè perspecta imperitissimi, indeq; iudices iniquissimi: In cæteris audacissimi & petulantissimi. Nec plus nouis quàm antiquis institutis, aut amicis quàm inimicis, cõformes aut fidi. Horum quãdoq; puduit & piguit Erasmum uirũ pium. Sed hos errores, nõ secus ac robusta corpora malam uictus rationẽ, diutius non sine noxa ferunt. Verum quanto serius uindicta fiet, eò cuncta acerbius, si quidem ut Val. Max. dicebat, tarditatem supplicij Deus grauitate compensat. Itaq; nisi hac una responsione omnem calumniã huius artis excindere me posse uidissem, nihil respondendum duxissem. Quòd his uelut canibus ad uomitum reditus semper pateat, cũ non minus eis sit otij quàm mihi negotij. Verum cum uideã hanc calumniam etiã in posterum à me rescindi atq; extirpari posse. Vtile existimaui calumniatoribus his simul os impurum occludere, & multorũ mentes ab erroribus liberare, ac etiã cœlestem & diuinam hanc artẽ clarius illustrare. Itaq; quæ ad ipsius irritam euersionem uaniss imè obijciuntur, omnia tãdem ad tria capita redigunt: Quorum primum est quod ars uera non sit. Secundum quod à religione damnata sit. Tertium quod à ciuilibus legibus explodatur. Cõstat enim hanc esse senten-

tiam omniũ, neq; plura posse obiici neq; excogitari. Ergo ut ad primum deueniam, exemplis omnibus & historijs quarum infinitus numerus esset pro nobis, omissis, & quod eadem ratio sit totius & partis (in quo illorum etiã stultitiam & inconstantiam non satis demirari queo, qui dum reprobare nituntur manifestissime approbant) unica ratione satisfaciendum puto, atq; demonstrandum hac arte nullam prorsus esse ueriorẽ, ut pote quæ diuina prouidentia constet. Quid est quod filius ex duobus parẽtibus honestissimis natus, & probè educatus nequissimus sæpius euadat, ut quottidie contingere uidemus? Non enim ex parentibus hoc contrahunt, neq; à Deo quicquam mali procedere potest. Si igitur neque ex Deo neq; ex parentibus habent, aut fortuito istud continget, aut omnino quod solum reliquum est, ex astris? Dicant igitur non ex astris hæc fieri, sed fortuito: O egregiam sapientiam ac pietatem, qui cum uideant maximam Dei gloriã in hoc elucescere, quod cuncta tàm superiora quàm inferiora maximo ordine gubernentur, malunt ob suam ignorantiã minuere diuinam prouidentiam, & ad fortunã cuncta referre, quam aduersus sua dogmata quicquam fateri. Iam nunc nihil supereſt, nisi ut Gentiliũ more fortunę delubrum erigant. En dicas si duos patres familiâs uideas in alterius domo omnia rectę constituta, in alterius solum aulam benè ordinatã, reliqua humiliora plena furoris, contentionis, ubi plurima deficiãt, quẽ ex his omnino sapientiorem patrem familiâs existimabis? Porrò argumenta quæ aduersus Astrologos adducunt, non argumenta sunt, sed dubitationes potius, quas in primo huius exponemus, in secundo uerò dissoluemus. Sunt autem longè plures quàm rudes isti blatterones potuerint inuenire. Ergo cũ uera sit hæc disciplina, & utilem esse necesse est, & à lege concessam. Non enim potest ueritas ueritatem odisse. Sed cum antiquo tẽpore hæc disciplina mille superstitionibus esset referta, atq; ea præposterè uteremur, quasi sortilega merito à Prophetis excludebatur. Nunc nos eam philosophiæ naturalis partẽ coniecturalem esse affirmamus, non superstitionem, non uaticinium, non magiã, non uanitatẽ, non augurium, uel auspiciũ, aut quid simile. Cur igitur liceat Medico ex Medicina diuinare, Nautæ ex Luna & syderibus, Agricolæ ex seminibus, Metallo zetitis de montiũ natura, naturali Philosopho ex astrorũ subtili indagatione cõiectari nõ licebit? Quis est qui dicat electiones, uel interrogationes esse concessas? aut quis fidem adhibebit talibus? aut quis fatebitur hominem cogi ut interficiat alium. Illud tamen necesse est ut hic hoc tempore pronior sit ad iram, alius alio tempore ad adulterium, alius ad furtum, an uerò quisquam perficere uelit, in arbitrio cuiusq; positum est, quod tamen nec homines hi ambitiosi ac iracundi penitusq; scriptis & moribus sibi ipsis dissimiles, admittere uolunt. Quid igitur an negãt animas ab humoribus affici, & litem contra sensus contra Medicos etiã intendunt?

tendunt? an uerò concedunt hos quidem à bile flaua fieri iracũdos, illos à melancholia perfidos, alios à pituita ignauos? Sed impium putãt & uerentur fateri Martem augere flauam bilem, Saturnũ melancholiam, Lunam pituitam. An refert postquàm phanatici concesserítis mores ab humoribus immutari, dicere quod bilis fiat uel à Marte uel à pipere, uel ab aëre calido? nisi & impuro ore illo uelitis Deum in hæc fœda uocare & illum etiam authorem humorũ facere, refragrante sensu, cum uideamus ex piperis multo usu æstatis tempore, Marte dominãte, bilem maximè multiplicari. Ergo quid iam prophetæ uoluerint, satis intelligitis. Quorũ tamen præceptis quantum ad mores & cęremonias per nouam legem abrogatum est, si non uultis & nos à suibus abstinere & suffocatis. Multa enim illo tempore, ut Christus testatur, concessa sunt ob cordis illorũ duritiem, multa uetita ob peccandi licentiam, quę omnia, orta uera luce, extincta sunt. Si hoc modo peccatũ erat in lege ueteri aduersus primũ præceptũ, erat ne homines stellas pro Deo uiuente adorarent. At nunc ô stulti, quis stellas uelit adorare Christo relicto? Venio ad Iurisconsultos, qui primum ab illa Romana seueritate originem duxerunt, qua Philosophi, qua Medici, qua Rhethores, qua Mathematici & ut uno uerbo dicam, omnia liberalia studia à Romana ciuitate arcebãtur. An decet oẽ id etiam nũc odisse Medicos et Philosophos, quòd illi oderint? At dices, lex illa de Medicis, Philosophis ac Rhetoribus abolita est, Astrologorũ manet. Sed non est hæc lex de Astrologis, uerum Mathematicis. Mathematici dicebantur illi qui, ut nostro tempore, per puncta & numeros notasq; diuinabant, quod genus diuinandi ut insulsum penitus est, ita impiũ, & abominandum, legibusq; coërcendum. Omne enim quod est extra publicã utilitatẽ & nullius usus, explodi debet atq; puniri. Vis enim intelligere improbe adulator quisquis es, quod quæ damnata fuit, uera hęc Astrologia non erat? Præter id quod aliud est dicere Mathematicam, aliud Astrologiam, & quod nemini unquam prohibitũ fuit per astra, Solem, Lunam, ortus & occasus syderum diuinare, ut apud Plinium constat, quòd ante Ptolemæum qui tempore Antonini Pij floruit, motus Astrorum inuenti non erãt: Lex uerò ipsa sancita longè prius antequam fuisset Antoninus sub Tyberio & alijs, manifestum est uel non fuisse Astrologiam damnatam, uel si omnino fuit, quod nondum inuenta esset, stolidum nunc est, ea perfecta, amplius in apertissimis cæcutire, stolidius uerò longè, pertinaciter ineptire.

HIE-

HIERONYMI CARdani Mediolanensis Medici in commentaria Astronomica ad pium Lectorem, Præfatio.

HIs nugonibus, qui artē ipsam uanitatis aut impietatis peperam accusant, abundè satisfactum in præcedenti proœmio fore existimo. Cæterū cū unusq; sq; ut pessimus est, ita ad conuitia ingerenda promptissimus sit, sperans futurum ut tanto melior ipse existimetur, quo ipse malos odisse magis uideatur, ratus futurum ut quæ in artem regerere contumelias non possint, tentaturos ut in artificem effundant, tam bonā causam nostram esse existimaui, ut etiam defensurus me ante accusationem absolui nō solum sed etiam laudari posse, sperem. Facilè enim est uidere quę optima in malum sensum peruertere possint, atq; quæcūq; inuerterint mihi uitio daturos. Primum quidem quasi impijssimum dicent natiuitatem Domini hic adiecisse, cui accusationi & si ubi illam adieci satisfecerim, impium non esse ostendens, hic docere uolumus id maximo consilio & non minori pietate factum esse. Secundum, quod cū gratia sit atq; fides donum merum Dei, utrāq; ego in astra impijssimè referā. Vtar enim uerbis quibus si nō uterer ipsi uterentur, assueti potius acerbitate uerborum apud populum accusare, quàm testimoniorum fide, uel argumentorum efficacia, aut sententiarum grauitate, quibus cum bonus quisque & malos oppugnare solet & pios homines tueri. Tertium, quod legem nostram, quæ pro peccatis minuitur & affligitur à Deo, astris ego subijci affirmem: ut non iam iuxta pietatis cultum neglectū, à Deo calamitates expectare debeat, sed potius illud à constitutione syderum. Itaq; cum legerim quandoq; apud Ignatiū, nō retulisse quomodo infideles ad Christi fidem reuocarentur: Seruatoremq; nostrum audiam reprehendentem discipulos qui molestè ferrent quod non addicti illi in eius nomine dæmonia ejicerent, dicentē qui non est contra nos pro nobis est: ęre existimaui fore ut qui Maumethem adorant, intelligant nostros mores nostraq; instituta esse pietatis, sanctitatis & iustitiæ: sua uerò uiolēta & crudelia & ab omni pietate aliena. Nostram quoq; legem, ut prophetarum testimonijs multo antea prænuntiatā, ita æterna astrorū lege ordinatam atq; præfixam, ut quemadmodū elementa & arbores tū belluæ atq; dęmones illi paruerūt, ita etiam astra. Nihil in illa genitura non mirificum, non castum, piū, sanctum, illustre: cuius similem si Maumethani haberent pro Maumethæ suo, non tam diu distulissent in medium afferre. Itaq; si cum diuinitate Chri-

Præfatio ad Lectorem.

Christi fulgentissima syderum constitutio adjiciat, doceanturq; qui causis naturalibus oculos intendunt, hãc esse solam legem quæ à Deo etiam per astrorum constitutionẽ nobis præfixa sit, quid porrò habent in quo nos damnent? Nónne ecclesia Magos inter sanctos numerat, qui moniti uisu stellæ, Dominum nostrum & inuiserunt & adorarunt? Neq; enim refert quomodo quisq; aut pius aut Christianus euadat. Nónne Dionysius & Iustinus à philosophia ad Dominum sunt reuocati, nec tamẽ philosophiam deseruerũt, nisi quatenus nostræ legi repugnaret, uelut etiam in libris de Hierarchia Dionysius, in admonitorio gentiũ Iustinus ostendit. Sed agedum nónne Christus ieiunauit diebus x l. quorsum hoc si naturalibus actionibus ac testimonijs nihil indigebat. An non ueteres maximam illam hæresim existimarunt eorum qui quanquam Christum potius extollerent quam deprimerent, dicentes & purum fuisse Deum & à cõtumelia & morte immunem, tamen negantes hominem fuisse illum, à naturalibus uinculis omnino absoluebant: Simul etiã discent (quod falso sperant nec Christi uerbis credere uolũt Maumethani) ex astris etiam nullum finẽ legi nostræ præfiniri, quo fiet & ut tepidiores in posterũ ad illam oppugnandam euadant, & meliorem sua esse animaduertant, quæ & ante suam incœperit, & longe post sit permansura. Atq; hæc de Christi genitura. Quod uerò ad gratiã attinet & fidem si illas à Deo manare quisq; absq; auxilio naturali intelligit, quid est ut uelint nos de his insimulare? At citra fidem quod quisq; ab astris sit bonus aut malus, nõ secus habet, quàm quod ab humoribus, ab educatione, à cõsuetudine, à ruditate, talis sit. Si igitur ista non aduersantur pietati, cur illa? Demũ quod ecclesia, id est, credentiũ cœtus affligatur subjiciq; astris uideatur, nihil est impium sed pijssimum: Nam si per ecclesiam corpora & fortunas credentium intelligamus ueram esse illa subjici astris. Si enim pestis inuadat an magis Christiani immunes sunt Iudeis aut Maumethanis? Si inundatio, an domus Maumethanorũ obruunt, Christianorũ non? Si igitur iam hęc naturalia indifferẽtia sunt apud omnes, quid refert hanc causam subjici seu nõ subjici alteri, cum ambæ sint naturales? At dicũt pestem immittit Deus & inundationẽ propter peccata non ex astris. Primũ ista ad legem Iudæorum spectant non nostram, ubi credentibus & pijs nõ maius erat propositum præmium quàm uitæ prolixitas, filij, agrorum uberes fructus: at nobis quibus est diuina promissio post mortem, quid refert, an pluat an ningat, cum non sint condignæ huius seculi passiones ad uitam æternam, ut Paulus inquit. Deinde ô stulte si etiam Deus ipse ista immittat ob peccata, an putas Deo defuisse sapientiam ut non potuerit ab æterno causas cœlestes effectibus coaptare, & uitæ hominum ac pietati congruis temporibus? Metirisq; æternam Dei sapientiam tua stulta cogitatione? Deniq; quid refert hoc, cum Deus qui astra cõdidit possit illorum

uim

uim etiã coërcere qui trium puerorũ flammas in fornace cohibuit? Quis unquam Astrologus adeò amens fuit, aut ubi scriptũ ab aliquo illorum etiam ethnico inueniſti, Deum non posse cœlo imperare, aut illum à proprio cursu reuocare? quanto magis etiam ab inferiorum administratione quam palàm Ptolemæus ipse uir exactæ, quantum homini cõcessum est sapientiæ, fatetur solius materiæ inobedientia & instabilitate frustrari? Hoc uerò pium est atq; in rem nostram facit, ut id in quo maximè glorian tur Maumethani scilicet, quod in prælijs uictores sint plerunq; cõtra nos, quo argumento Deũ fauere plus rebus suis iactant, & Maumethem plus posse quàm Christum, intelligant hæc astrorum esse iudicia ut rerum naturalium, non miraculum aut causam apud Deum meliorem.

Quibus si addideris Deum ob peccata nostra cœlum sic ordinasse, ut statis temporibus illis ob id faueret, nihil absurdum aut impium forsan dixeris.

CLAVDII PTOLEmæi Peluſienſis libri quatuor de Aſtrorum Iudiciis cũ expoſitione Hieronymi Cardani Mediolancẽſis Medici.

PROOEMIVM EXPOSITORIS.



LIBROS hos antiquorũ more de Iudiciis inſcripſit Ptolemæus Peluſiẽſis Ægyptius, unde Alexandrinus etiã dictus eſt q̃d Peluſium ab Alexãdria parũ diſtet. Cõſtat hũc illũ eſſe qui Magnã compoſitionẽ motus ſyderũ ſcripſit, tũ quia id in prooemio huius operis teſtat, tũ quia nullus alius tam ſubtilẽ tractationẽ perficere potuiſſet, tũ ex ſtyli ſimilitudine, ubiq; enim philoſophũ præfert. Et qui hæc ſcripſit, tractauit etiã Geographica, & Muſica, et Arithmetica, nec dubium eſt de his, ſcripſit & de ſpeculis: Sed an centũ illas ꝓpoſitiones forſan dubitatione dignũ eſt: dicemus autẽ aliq̃d de hoc loco ſuo. Dignus igit̃ eſt cui ob excellentiã & iudiciũ graue credat̃. Tractat autẽ de futurorũ cognitione, ut ſit fructus ſcientiæ magnitudinis motuũ & paſſionũ aſtrorũ. Ex quo poſſunt futura bona augeri & ad illa tutius accedere, mala autẽ uitare, minuere, declinare, infringere, & ad omnẽ occaſionẽ parati eſſe. Nec eſt ullus qui in hac arte ſcripſerit, ꝓpior ueritati & rationi. Eſt autẽ ars hæc philoſophiæ pars, ꝓgnoſtica & præcognoſcere docẽs, unde nõ uerè ſcientia, ſed ut ad medicinã ſe habet liber p̃dictionũ Hippocratis aut Galeni, ita hic ad totã philoſophiã. Vnaquæq; enim ars quæ de naturalibus, tractat ea ratiõe qua cauſas præſentiũ rerũ explicat, docet & futurorũ, nã futura à præſentibus nõ ſpecie nec genere differũt, ſed tẽpore q̃d illis ut accidẽs adiungit̃. Nec poteſt hic liber plenè intelligi niſi Magna cõpoſitione perlecta, ea autẽ indiget Geometria & Arithmetica ut hic ſit quartus in ordine doctrinæ inter mathematicos, & penè ultimus inter naturales, nã etiã parua naturalia prælegiſſe oportet qui hos libros intelligere uoluerit. Diuidit autẽ in quatuor libros: In primo, ponit generalia præcepta artis & tanq̃ principia: In ſecũdo, tractat de ꝓpriis iudiciis rerũ quæ partibus uniuerſi & ipſi uniuerſo cõtingunt, ueluti de calamitatibus regionũ: In tertio, de ꝓpriis prædictionibus ſingulariũ hominũ ex genitura ſumptis pertinẽtibus ad animã uel corpus. In quarto, de his quæ futura docẽt in exterioribus & annexis unicuiq; homini, ueluti de filiis, opibus & itineribus. Hæc enim non inſita ſunt homini, ſed ceſſare poſſunt animo & corpore

minimè affecto. Iuuat & hic liber ad cognoſcendū prȩſentia & prȩterita eadē ratione qua futura, quæ cognitio nō adeò utilis eſt interrogātibus ut futurorū ſcientia, ſed ipſi artifici magis glorioſa exiſtit. Nec eſt officiū expoſitoris, ut Gal. inquit, uel reddere rationē dictorū ab authore, uel ſi qua nō placeāt reprehēdere, ſed uerba illius ac ſentētias dilucidè explicare, nos tamē non propriā faciemus expoſitionē, ſed conabimur declarare cauſas dictorū à Ptolemæo & quæ ab ipſo obſcurè dicta ſunt, clariora reddere, quæ breuiter ac circūciſe, pficere, quæ dubiè, determinare. Mirū eſt autē q̄d à tā paucis tā celebris utilisq̄ liber ſit expoſitus, ut uix prȩter authorē ignotū qui Græcè ſcripſit, quenq̄ Georgius Valla uertit impudēter illius cōmentaria ſane ſatis frigida ſibi aſcribens, quæ Emarus Rabonetus nobis largitus eſt, apud quē etiā Græcus codex, ut uidi, extabat, & Haly Heben Rodoan Arabē aliū ſciam qui prodierit in lucē tanto authore dignus: Is uerò ſi uerā mentē Ptolemæi uerborū translatione explicatā habuiſſet, forſan nos hoc labore liberaſſet. Nūc uerò cum neq̄ per ſe clarus ſit liber hic ob breuitatē, neq̄ aliorū expoſitio quę in lucē nondum prodierit utilis ſit, nec quę ꝓdierit Haly ut dixi perfecta ſit, cogor utilitatis publicę cauſa tum Ptolemæi gloriæ ad hunc nouū laborē deſcendere. Via autē huius doctrinę ex reſolutione cōpoſitiua facta eſt, ut pleriq̄ aliȷ libri artiū. Procedit autē Ptolemęus diuidēdo & deducēdo ex ſimilibus cauſarū & cōpoſitione pluriū, cauſæ uerò ab effectibus cognoſcūtur, ob id cōiecturalis eſt hȩc ars nō exquiſita ſcientia. Procedit enim à cauſis ad effectus, hic autē ꝓceſſus in naturalibus non adeò firmus eſt ut in mathematicis, in quibus cauſę eædē ſunt principiȷs & nō per effectus ſed per ſe notę ſunt. Artes aūt quę futura, hoc modo, cognoſcere docēt, ſunt Agricultura, Nautica, Medicina, Phyſiognomia et illius partes, Sōniorū interpretatio, et Magia naturalis, ac Aſtrologia. Harū nobiliſſima Aſtrologia eſt, qa de omnibus eſt, alię aūt ſunt certi generis. Eſt etiā ꝑ cauſas ſemper atq̄ eas nobiliſſimas, reliquarū nulla ſemꝑ, ſed etiā per ſigna docet futura ꝑdicere. Nō eſt aūt ut quidā exiſtimāt ſcientia Aſtrologiæ Fati ſcientia, ſed Fati pars cōſtitutio aſtrorū eſt. Porrò quāto Fati ſcientia certior atq̄ nobilior, tāto etiā obſcurior. Principalis autē ac nobiliſſima Fati pars aſtrorū eſt cōſtitutio: nobiliſſima igiť Aſtrologia eſt omniū artiū quę diuinare docēt. Ac diuinatione nihil melius atq̄ diuinius, præſtātiſſima igiť aſtrorū hȩc contēplatio eſt. Inſcripſit autē librū hunc Syro amico ſuo more antiquorū laudabili, cui etiā ignotus interpres refert inſcripta eſſe reliqua Ptolemæi opera, q̄d tamē nō uidi, ſed utcunq̄ ſit exiſtimat hūc fuiſſe medicū qui has artes calleret eisq̄ delectareť. Talibus enim iuremerito inſcribunť. Hūc nos expoſituri ſępiꝰ ubi author rē clarè explicat paraphraſte uices imitabimur, tū ut opus in immēſum nō augeať, relinquaturq̄ locus difficilioribus explicandis, tū ut repetitionē fugiamus. Ab illius igiť ꝓœmio auſpicemur, diuidentes ſingula capita prout cōmodius uidebiť.

Proœmium Authoris, Cap. I.

TEXTVS I.

DVO sunt Syre, quibus peruenitur ad Astronomicas prædictiones, præcipua quidem & maxima: unum q̃d primum & loco est & potestate, quo Solis & Lunæ & Stellarum motuũ configurationes cum erga se tum terram deprehendimus: Alterum quo de illarum configurationum naturali proprietate considerabamus subiectarum rerum mutationes.

COMMENTARIVS.

AVthores proœmia faciunt, ut quod non ex arte est ad artẽ tamẽ est necessarium explicetur: id facit Ptolemęus hic, nam quid tractaturus sit exponit primo, deinde ne de re inani uerba facere uideatur proponit dubitationem in primo capite proœmij, nam tria proœmium hoc capita continet, in secundo capite cuius initium erit, in decimo textu declarat, Astrologiam esse artem, posseq; pręsciri futura, in tertio autem cuius initium est, quo igitur modo, declarat esse utilẽ. Nam ut apud Gellium Phauorinus qui parum ante Ptolemęum floruit famosus philosophus, more ambitiosorum artem astrologiæ infamem reddiderat, duobus maximè argumentis quod futura sciri non possent, nec si possent cognitio illa utilitatem aliquam mortalibus esset allatura. His igitur Ptolemæus diligenter occurrit duobus illis postremis proœmij capitibus. In hoc autem ostẽdit finem artis: nam ut à Galeno habetur in libro de Cõstitutione artis medicæ, ars unaquęq; à finis notitia per resolutionem constituitur. Quomodo igitur Ptolemæus artẽ hanc constituet in hoc libro nisi primum finem artis declarauerit? Hic autem est scientia futurorum: Huic igitur fini, duo docet esse præcipua & maxima. Præcipua quidem quia & alia sunt necessaria, utpote sciẽtia rerum naturalium, dialectica, cognitio multarum rerum, ingenium acre, memoria, exercitatio, eruditio in illa lingua. Nullum tamen horum est præcipuũ & proprium scientiæ futurorum per astra habẽdæ, maxima uerò quoniam partes hæ duæ totam complent artem, & singulæ plurima continent capita & non mediocris sunt magnitudinis. Sunt etiam singulæ harum partium difficillimæ & ob id maximè. Primũ igitur est cognitio Solis & Lunæ & stellarũ, scilicet quinq; erraticarum tum aliarum fixarũ circa passiones motuũ, ut uelocis, tardi, retrogradi, stãtis, tum figuras erga se ut trigona, quadrata & quod sint in initio arietis uel in fine tauri, aut in latitudine australi, uel in absside eccentrici, uel epicicli, omnia enim hæc ad partes alias cœli referuntur, uel terræ ratione, ut in deliquijs ortu & occasu stellarum. Solem & Lunam dixit seperatim quia nomine stellarum non intelliguntur, & quoniam maximè hæc sydera in cœlo conspicua sunt, ut etiam luminarium nomẽ sola mereantur: Et etiam quia ab horum motu reliquorum cognitio motuum ac locorum pendet. Nã Solis causa Lunæ motum uenatur Ptolemæus, inde per Lunam reliqua sydera. Neq; enim illa à Solis cognitione pendere poterãt cum Sole uiso nulla stella sit cõspicua. Talem igitur scientiam motuum astrorum dicit esse priorem loco, quia non possu-

mus habere proprietates & significata syderum, nisi ubi ea sint, ac motus & magnitudines, cæterosq; affectus cognouerimus prius. Potestate autem quia scientia illa demõstratiua est & certa, hæc autem quæ ad iudicia pertinet naturalis est, & præter id etiam cõiecturalis. Hæc igitur coniecturalis ex naturalibus proprietatibus tãquam causis docet cognoscere mutationes quę in his inferioribus contingunt. Hęc enim inferiora, inquit Aristoteles, superioribus corporibus coniuncta fuêre, ut ab illis gubernarentur.

TEXTVS II.

Atq; horum prius & suum habet & per se dignum tractatu studium, etiam si adiunctione alterius ad finem prędictionũ non perueniatur, deq; illo peculiariter etiam quàm potuimus certis argumentis rationem uestigatam alio libro explicuimus.

Declarat primum membrum eorum quę prępossuit, scilicet motuum astrorũ scientiã duplicem finẽ habere, alterũ quidẽ proprium & est contẽplatio, reliquum uero ut ordinatur in cognitione futurorũ, pro quo sciendum est quod ut habetur secundo primę philosophię, duplex quidẽ scientia, altera quidẽ quę in solam ueritatis cognitionem tendit, theorica q; uerbo græco dicitur, reliqua quæ in opus atq; hęc practica dici solet. Prima quidẽ quæ de astrorũ motibus tractat uerè theorica seu contẽplatiua est, reliqua uero quã in hoc libro tractat quasi in opus primę cõparatione tendere uidetur, cum tamen et ipsa contemplatiua sit. Primã igitur propriũ finem habere demonstrat etiam si posteriori non coniũgatur, proprium enim priorum est à posterioribus posse seiungi, posteriorũ autẽ non posse à prioribus separari. Dicit igitur primã partem tractasse in alio libro, id est, Magnę cõpositionis qui in tresdecim libros diuisus est, ubi exactissimã omniũ astrorũ quæ uisui subiiciunt doctrinam tradidit.

TEXTVS III.

De altero autem, minusq; adeò ex sese perfecto, in præsentia uerba facere decreuimus, conuenienti quidem philosophię modo.

Dicit se tractaturum in prędicti libro de contemplatione astrorum prout pertinet ad futurorũ cognitionem, quæ minus perfecta est, quia minus perfectè scitur modo conuenienti philosophiæ, id est, per causas & per qualitates primas, & per corpora & modum demonstratiuũ. Per causas quidem quia cognitio per signa posteriora sumpta in causis uideꝰ absurda. Velut si quis ex natiuitate fratris uelit de alio fratre decernere simpliciter, ut faciũt Arabes, quanq; hunc modũ neq; exquisitè Ptolemæus obseruauerit, nam & ex genituris filiorum fortunam parentum uenari conatur, uerum si rectè interpretemur & nostram sequi uoluerimus sententiam nihil absurdum continget in hoc, neq; sententiã Ptolemæi generalibus philosophię præceptis repugnare cogemus, scilicet ut filij genitura parentum fortunã ab ipsius filij ortu non antea mutet constituat atq; decernat. Corpora autẽ uelut philosophus consyderat ut nugas illas Arabum partium dodecathemorias infinitasq; alias exploderet. Demonstratione autem procedit uelut philosophus, non ut Arabes, qui aliorum authoritatibus simpliciter utuntur, atq; etiam obscurorum uirorum, tum uero experimentis singularibus atq; præter rationẽ. Similiter & ut reijceret eos qui absque concursu causarum aut leuibus debilibusq; argumentis effectus maximos tribuunt, uelut Firmicus in sua illa admirabili mathesi. Per qualitates etiã, quia ut habetur à Galeno in libris de Simplicibus medicamẽtis ex calido & frigido, sicco atq; humido, quæ nomine primarum qualitatum intelliguntur, procedunt asperitas, extstio, incisio, taliaq; multa quæ secundarum qualitatum nomine appellãtur. Rursus ex his procedunt qualitates aliæ quas tertias uocant, uelut generandi semen, ut lac, rursus ex his similitudine substantiæ conflata fiunt aliæ qualitates opere quidẽ sensui manifestę, sed operis ratione occultiores, quas cathartícas uocãt, seu purgãtes: ab his demum etiam aliæ obscuriores intellectu quas uocãt proprietates, ita Astrologus, inquit Ptolemæus, eodem modo procedit. Sit cuipiam gratia exempli Luna in

na in tertio loco in Cãcro, Saturnus uero in sexto in Libra, tunc Saturnus immoderatam frigiditatem humidamq; intemperiem in cerebro Lunæ ratione operabitur, pectus quoq; angustum atq; debile easdem ob qualitates efficiet, ab his igitur qualitatibus immoderata pituita generabitur, quę ob debilem naturalem calorem à Saturni siccitate factam in pulmones descendet, ab his secũdo loco genitis tertia procedet dispositio, scilicet spirandi difficultas, à qua rursus extenuatio ipsius corporis & tabes, propter exiccationem in corde factam, propter prohibitam respirationem cum frigiditate iunctã. Nanq; tam pulmo quàm pituita frigida supponuntur. Ecce uides quonam pacto ex Saturni & Cãcri immoderata frigiditate tum humida qualitate immoderata etiã Cãcri & Lunæ, tum etiam robore Saturni in Libra, & loco qui morbos decernit, atq; id etiam qualitatum primarũ ratione, ut suo loco ostendetur, in tabis cognitionẽ futurę deuenimus, seu præsentis seu pręteritæ, atq; hic modus naturali contemplationi quemadmodum Ptolemæus dicit persimilis est.

TEXTVS IIII.

Atq; ita ne ab ullo, cui ueritas curæ sit, harum rerum comparatio fiat cum prima & immutabili certitudine, cum intellexerit materiæ & illius habitudinis imbecillitatem, & difficultatem coniecturæ capiendæ.

Declarat non esse comparationem inter hæc duo genera, quoniam inter propinqua solum est comparatio, sed scientia iudiciorum astrorum quadruplici ordine inferior est, quo ad certam notitiam atq; securam scientiã, quę traditur in libro de motibus ipsorum quem Arabes Almagestum uocant. Duos tamen Ptolemæus tãtum ordines declarat, scilicet modi cognoscendi & mutationis materiæ. Nanq; mathematica demonstrationis certitudine præstantior est philosophia naturali, unde, inquit philosophus, mathematicę sunt in primo gradu certitudinis & naturales sequũtur eas. Secundus ordo est, quia in philosophia naturali etiam scientia de cœlo certior est scientia istorum inferiorum, quia cœlum est perpetuum & sempiternum, sed ista inferiora sunt corruptioni obnoxia. Tertio, scientia de astris est ex suppositis exquisitis, habitis per instrumẽta & obseruationes, sed scientia de iudicijs, cum non habeat signa exquisita nec cognita ad unguem ideò minus certa redditur. Accedit quarta differentia, quia scientia de astris est simpliciter de illis, sed scientia iudiciorum est comparatiua, & ideo coniecturalis quare in certitudine non est hæc illi comparanda. Nõ solum autem liber de Motibus astrorum duos illos habet fines à Ptolemæo descriptos, scilicet ueritatis scięndæ causa & futura dignoscendi, sed etiam multos alios usus, primum quidem in legum obseruatione. Iudæi enim Pascha celebrant à nouilunio quod primum æquinoctium sequitur: Christiani & ipsi Paschatis rationem ita obseruant, ut coniunctio luminarium in diem passionis qui tertius est ante Pascha incidere non possit. Ciuitates quoque dies in hebdomadas iuxta septem planetarum numerum distribuerunt: similiter & ratio horarum à Solis motus diuisione sumpta est. Medici quoq; ne sub Aequinoctijs aut Solsticijs medicamenta propinent, præceptum ab Hippocrate habuerunt. Idem criticos dies iuxta Lunę motus rationem statuere. Agricolæ in secandis arboribus Lunam obseruant, & diligentiores etiam dum serunt semina, aut arbores inserunt. Nautæ ex aspectu syderum, motus uentorum & qualitates temporum dijudicant. Respublicę multæ certas habent constitutiones à syderum ratione sumptas, uelut Lacedemonij qui iuxta Lunæ obseruationem egredi in expeditionem non audebant. Hæc omnia cum scientia astrorum contemplatiua etiam præter ueritatis cognitionem præbeat, iure merito dubitari potest quænam harum sit nobilior? Et certè uidetur scientia motus astrorum præferenda duabus rationibus, tum quia certior, tum quia sine illa hęc haberi non potest: potest etiam subijci tertia causa quòd tot alijs seruiat commodis de quibus nuper dictum est. Sed si citra affectum rem dijudicare uelimus, erit hæc disciplina iudiciorum omni scientia motus astrorum longè utilior. Quod enim hęc

ſine illa haberi non poſſit argumentum potius eſt nobilitatis huius quam illius. Nam uidemus in artibus ultimam, præcedentibus ſemper eſſe nobiliorem. Etenim quis dubitet artem fabricandi naues nobiliorem non eſſe arte ſecandi ligna? & nauticam ipſam non eſſe nobiliorem ea fabrili parte quæ naues fabricare docet? & rurſus militarem nautica, atque ita in alijs? Similiter neque certitudo nobilitatis aut utilitatis argumentum eſt firmum, cum pleraq; nobiliora, teſte Ariſtotele, magis ſint nobis ignota. Vtilitatis etiam ſcopus à fine ſumitur, nõ à cognitionis qualitate aut modo. Itaq; conſtat ſcientiam iudiciorum ea parte Aſtronomiæ quæ de motibus tractat eſſe utiliorem longè atque nobiliorem.

TEXTVS V.

Néue quis à contemplatione eorum, quę percipi poſſint reſiliat, cum uideat tam multa in uniuerſum planè ab hoc circũfuſo cœlo affluentes nobis cauſas declarare.

Cum declaraſſet hanc ſcientiam eſſe dubiam ſi ad ſcientiã motus aſtrorum comparetur, docet partem eam quam aſſequi licet non eſſe cõtemnendam, ut uero hoc doceat, declarat eam partem eſſe, teſtimonio hoc quod multa declarant cœlum ipſum in hoc uniuerſum, id eſt, mundum inferiorem agere, quaſi dicat eadem eſt ratio totius atque partis, ſed de parte conſtat utpote de Sole tanquam principaliſſimo, de Luna etiam in æſtu aquarum, igitur & de alijs.

TEXTVS VI.

Solet autem fieri, ut quicquid pauci aſſequi poſſunt, id in multorum reprehenſionem incurrat.

Sententia huius loci eſt, quod omnis diſciplina difficilis adeò ut pauci eam aſſequi poſſint, cauſa eſt ut multi illam reprehendant quoniam cum pauci ueritatem aſſequantur, plerique ob difficultatẽ decipiantur, ſcientia illa inanis exiſtimatur. Contingit enim in pluribus hominibus quod in uno homine, nam ſi unum hominem uideris qui quampiam artem profiteatur, in pluribus uero aberret quam diuinare poſſit, quis illius ſcientiam non inanem eſſe dicat? Nam in multis prædictionibus quæ ſine arte fiunt & omnino fortuito aliquando diuinare licet, imò cõtingit, & neceſſariũ eſt. Ergo ſi in pluribus hominibus pauci diuinare ſoleant, multi errent cum quiſque artem tenere ſe dicat, artem illam inanem uulgus exiſtimabit.

TEXTVS VII.

Harum uerò duarum ſcientiarum, quam loco & poteſtate priorem diximus, ſi qui calumniari uelint, merito cæci prorſus habeantur.

Clara eſt ſententia huius loci quoniam mathematicæ demonſtrationes reprehendi non poſſunt, neque enim in his, teſte Ariſtotele, decipi hominem contingit, aut aberrare propterea qui eam ſcientiam reprehendere auſus fuerit, uitio aliquo animi uelut odio diſciplinæ aut liuore profitentium, aut petulantia obcæcatus eſt. Verum dicet quiſpiam non ne ab Auerroë eccentrici & epicycli reprehenduntur? qui tamen ad genus demonſtratiuum proculdubio pertinent? hos autem Ptolemæus in ſua Magna compoſitione ſupponit. Sed non eſt ita, nanq; Ptolemæus neutrum horum eſſe ſupponit, ſed dicit ſi ita eſſet, ratio motuum aſtrorum, & experimenta ſeruari poſſent. Concluſiones igitur quæ demonſtrantur in ſcientia à Ptolemæo ſunt certiſſimę quamuis media ſint ficta, neque hoc inconuenit, nam cum Archimedes ſphæræ magnitudinem, tum illius ſuperficiei per conos demonſtrat quę intus clauduntur, quique ſphæræ ſpatium complent, fictis utitur medijs: non enim ſphæra conis conſtat, neque ſi coni inſcriberentur illam complere poſſent, niſi prorſus eſſent infiniti, infinitum autem eſſe non poteſt.

Textus

TEXTVS VIII.

Sed altera præbet sanè non leuem occasionem insectatoribus. Nam alij difficultate cognitionis adducti scientiam esse negant, alij quia non facilè quę impendere sciant, possint euitari, inutilem etiam finem cognitionis criminantur.

Nunc declarat partem scientiæ quæ ad iudicia spectat, propter difficultatem occasionem præbere maledicendi de arte duobus modis, altero quidem quod uera non sit, reliquo quod & si uera sit, inutilis tamen censeri debeat. Ex quo patet difficiliorem esse hanc scientiam scientia motus astrorum. Tum uero relicta expositione duarum illarum obiectionum, transit ad contradicendum, uerum nos decet prius exponere rationem Phauorini superius tactam, qua non ueritatem artis oppugnabat, nam de hac quidam quibus forsitan temporis abundantia erat non unum sed multos atque etiam prægrandes scripsere libros, adeò quibusdam iudicium peruersum est atque corruptum, ut propter ambitionē aut stultitiam uelint tantum temporis multumq; laboris in oppugnanda ueritate consumere, sed eam qua inutilem docet esse artem etiam si uera sit. Eratq; ratio sanè persuasiua, dicebat enim: Si quę futura sunt mala, auerti nequeunt, & nos diuturno metu torquent atq; discruciant. Sin bona, omnino etiam non præscientibus uentura erunt, atque maiore cum uoluptate. Nam eam dulcedinem quam repentina felicitas affert, cognitio antequam ueniat, & expectatio aufert. Itaq; si futura necessario uentura sunt, pręscita aut minorem uoluptatem afferunt, aut maiorem tristitiam. Cui rationi Ptolemæus respondet uno uerbo, quod futura possunt immutari. At Phauorinus dicet, quod talia futura non erunt, si mutari queant. Verū Ptolemæus respondebit, quod futura non sunt per se futura sed in comparatione, uelut si præsciam calorem magnum & sitim occisurā oues meas in ędito mōte pascentes, excauato specu & fonte non morientur. Ergo Astrologia non est de rebus futuris, sed comparatione causarum ad suos effectus solum, his autem contingit ut futuri sint.

TEXTVS IX.

Proinde antequam ad explicationem singillatim accedamus, placuit exponere rationem utriusq; quatenus & possit hoc modo, et utile sit prę noscifutura. Posse autem priore loco disputabimus.

Docet hic Ptolemæus prius explodendos illos duos errores, quibus ars inutilis esse uideretur seu nulla esset seu etiam quod esset nihil prodesset. Cū enim hæc ut declaratum est cognitio ad artem non ad scientiam referatur sublato fine quo ars consistit, ars nulla esset. Sed dices ex primo Physicorum non pertinere ad artificem disputare contra negantes sua principia. Verum non ad artificem, sed ad primum philosophum naturalem in scientijs: at uero in artibus, ut Galenus facit, experimento pugnandum. Itaque primum dicit disputabimus contra eos qui negant aliquam esse cognitionem, deinde contra illos qui dato quod sit affirmāt esse inutilem. Ex quo patet aliquos esse mentis habitus qui ex nullo quinque generum in quæ habitus diuiduntur erunt, uelut gratia exempli qui figuras Geomantiæ norunt fabricare, & qui cicere collimabat merito ab Alexandro Magno contemptus, inquit enim Galenus, artificialium præceptorum commune est, ut sint utilia.

Caput ſecundum.

TEXTVS X.

PRincipio euidentiſſimum eſt & non indiget uerboſa probatione, pertranſire & diffundi uim quandã ab ætherea & ſempiterna natura, in uniuerſa terræ circumpoſita & ſemper mutationi obnoxia, quęq; ſub Luna ſunt prima elementa, ignis & aëris, quę quidem ipſa includãtur & agitẽtur ętereis motibus, includãt autem & coagitẽt inferiora omnia, terram & aquam, & quicquid in illis naſcitur animantum aut germinum. Nam & Sol ipſe unà cum cœlo circundante omnia terreſtria perpetuo quaſi ordinat, non modo per mutationes ſtatorum in anno temporum, quibus animantibus uita, germinibus fructus quibusq; ſuis tribuitur, & laticum fluctus & corporum affectiones procurantur, uerũ & quotidiano circuitu, cum calefaciens & humectãs, tum arefaciens & refrigerans conſtanti ordine & modo pro figurationibus conuenientibus ac puncto uerticali noſtro. Luna uerò ut proxima terris, manifeſtè in terrena influit, cum illa enim cõſentiunt & commutantur pleraq; omnia & animata & inanimata. Ipſi fluuij nunc augeſcunt, nunc decreſcunt, ſecundum Lunarem ſplendorem. Ipſaq; maria impetu diuerſo, pro eo ac illa oritur aut occidit, ferũtur. Deniq; germina ac animantes aut omnino aut aliqua ex parte unà cum Luna incrementa & detrimenta ſentiunt. Iam ſtellarum decurſus plurimum ſignificant in aëre, uel æſtus, uel uentorum, uel hyemis, quibus conuenienter & terrena afficiuntur. Ipſarum autem inter ſe configurationes, cunq; congreſſę effectiones ſuas commiſcent, plurimarum et uariarum mutationum cauſę ſunt. Nam quamuis Solis uires in ordine generalis conſtitutionis antecellant, ipſę tamẽ in reliquis aut adijciunt aliquid illi, aut demunt. De Luna quidem res eſt & manifeſtior & crebrior per interlunia et plenilunia, atque item medio tempore, de reliquis autem & incertior & interuallis rarior: ut dum illæ apparent aut occuluntur, aut aliqua in declinatione ſunt. Quæ ſi quis conſideraverit, facile intelliget non modo conſtitutiones rerum affici ab illarum motibus neceſſe eſſe, ſed etiam ſeminũ & initia & perfectiones fingi & informari, pro habitudine cœli cõſequens indicabit. Quapropter qui inter agricolas & paſtores præ cæteris ſunt diligentes, de flatibus eorum temporum quo ſementem fecerunt aut pecus ad coitum admiſcere, coniecturam facere ſolent de euentu. Et ut breuiter dicam, Quicquid in uniuerſum accidit, hoc non cõtemplatione naturę, ſed ſola obſeruatione de euidentibus Solis & Lunæ configurationibus, & reliquarum ſtellarum ſignificationibus præuideri à pleriſque cernere eſt.

Diuiditur

Diuidit hoc caput in quatuor partes principales. In prima docet esse influxus & regimen astrorũ in hæc inferiora. In secũda docet hunc influxũ & hoc regimen sciri posse, ibi: Atque horum nonnulla. In tertia declarat causas quare errores multi contingant in hac disciplina, ibi: Quod autem non. In quarta recolligit & docet quæ necessaria sunt, ne quis aberret, ibi: Ex his igitur. Liquet autẽ quod neq; plures partes erant necessarię neq; pauciores, nam cum decretum esset declarare, quod ars hęc sciri posset, & nõ posset hoc declarari nisi prius demõstraret rem, quę sciri debet, esse: hæc autem est influxus seu regimen stellarum, necessarium fuit docere primo hoc regimen hunc influxum esse. Deinde in secunda parte docere, quod hic influxus & hoc regimen sciri potest, & quia obijciebatur quod multi aberrant in hac arte prędicendo. Tertio loco respõdendum erat huic obiectioni docendo quibus causis fiat ut Astrologi aberrent in iudicijs. Quarto cum instruendus esset Astrologus ne aberret: id uero non promptè fieri poterat, nec facilè aut perfectè nisi cognitis causis propter quas homo aberrat. Nemo enim morbũ ex arte sanat nisi prius eum cognouerit, ideò pars hęc illam proximè sequitur, atq; hęc de uniuersali diuisione. Cæterũ de singulari cuiusq; partis ratione mẽtionem facere, propter prolixitatem haud expedit: tum maximè quia Auerroës dicebat exquisitũ hunc diuidendi morem in explicãdis authoribus, quẽ quidã claritatis causa nomine quidẽ latini sed oratione potius barbari obseruãt, signũ esse debilitatis uirtutis eius qua homo intelligit atq; cognoscit.

Pro declaratione igitur textus, sciendum est quod author intendit probare duo, primum quod hęc inferiora ab astris gubernantur, secundum quod dispositio astrorũ quæ ex principio aliquid generat aut facit, sufficit ad conseruandũ atq; gubernandum illud quod genitum est aut factum, usq; quo ad finem peruenerit. Hoc autẽ erat necessarium ipsi Ptolemęo demõstrare, quia cum propositum esset docere hanc artem sciri posse, oportebat dicere etiam astra horum inferiorũ sic esse causam ut causa illa sciri posset, causa autem illa sciri non poterat nisi ad principij rationem deduceret, quo cognito effectũ ipsum intelligeremus. Veluti quispiam nascitur uicturus quinquaginta annis, si astra solum ita agerent uelut ignis coquendo lateres, qui non nisi tamdiu coquit quã diu prẽsens est, amoto enim igne lateris coctio cessat, necesse esset Astrologo ut totum hoc spatium annorum quinquaginta per singula momenta consideraret, ut scire posset quid illi unoquoq; tẽpore boni aut mali uenturũ esset. Vt igitur hoc facere non cogat, necessariũ fuit aliquod principiũ statuere, ex quo si nõ omnia uẽtura, saltẽ eorũ maxima pars pẽderet, ut eo cognito illa cognoscerentur. Atq; illud idẽ in medicina manifestũ est, nã huius artis exẽplo Ptolemęus etiam maximè utit, nã medicus supposita tẽperie ẽ ab initio geniturę est cõsequutus aliquis, de illius statu toto tẽpore uitæ suæ constituit, unde sanũ semper & ægrũ aut neutrũ, uel etiã ut multum appellat. Vt igitur res ipsa melius intelligat, scire oportet quod eisdẽ modis aliqd esse demonstrat, & de illo ars cõstituitur. Constituit aũt ars artifex q; instruit, ut Gal. docet nono Artis curatiuę duobus modis, ratiõe & experimento: ita ergo Ptolemęus docet astra in hęc inferiora agere experimento atq; ratione. Experimento quidẽ dũ singula prosequit astra declarãdo actiones q; eorũ. Rationе autẽ hac: Sol agit in ista inferiora, similiter & Luna, hoc assumptũ experimẽto declarat, nõ quidẽ ut in alijs quod doceat, sed ab omnibus cõcesso, reliqua uero astra eiusdẽ sunt naturę atq; substãtię cũ Sole & Luna, igit & reliqua astra in hęc inferiora agunt atq; illa gubernãt. Assumptã hanc propositionẽ secundã, facile est declarare cum Aristoteles doceat in primo cœli quinq; esse corpora tantum simplicia, è quibus unũ est cœlũ, ut omnes cœli pro uno corpore habeãtur. Atq; hęc forsitan est causa, cur apud latinos cœlum heteroclitum sit. Nã cum unum tãtum esset neutro genere in singulari solum dicitur. Cum uero quibusdã placeret plurali numero proferre, masculine numerum illum significarunt. Vnde non quemadmodum templũ & templa dicimus, sic cœlum & cœla in plurali numero. Sed cœlum atq; cœli. Igitur ut ad rem reuertar, sciendũ est quod & Aristoteles secũdo de Generatione & Corruptione utranq; partem quàm Ptolemęus hic declarat dilucidè comprobauit, dicẽs: Ex

planetarum

planetarum acceſſu atq; receſſu in articulo obliquo fieri generationes atq; corrup-
tiones in iſtis inferioribus. Vnicuiq; etiam genito certum tempus circuitus deberi
ab aſtris conceſſum quo uita peragatur, diuerſumq; illud eſſe demonſtrat in quarto
de generatione animaliũ pro cuiuscq; ſyderis natura, atq; proprię reuolutionis men-
ſura temporis. Itaq; conſtat ab initio cuiuscq; geniti conſtitui quoddã principium,
quo cognito, totius uitæ illius peragratio decernatur atq; cognoſcatur. Verum quia
hęc pars tam promptè à Ptolemęo ratione demonſtrari non poterat, locum à com-
muni conſenſu hominũ in ea demonſtranda ſumpſit. Qui locus in artibus certè atq;
ſcientijs ualde infirmus eſt atq; debilis: Verum quia aduerſus abſurda dicentes niti
tur, licet eiſdem armis repugnare quibus oppugnatur. Atq; hæc de generali expoſi-
tione dicta ſint, nunc textum ipſum quaſi per paraphraſim declaremus.

Primũ igitur manifeſtum eſſe ſupponit terrã & aquã à circũfuſa undiq; cœleſti
ac ſempiterna natura uim quãdam recipere per ignis & aëris (ſequitur enim opinionẽ
antiquorum in hoc Ariſtoteliq; attributam) medium: qua cũcta quę in terra & aqua
ſeu arbores ſint, ſeu animalia, gubernantur ac agitãtur: quod uero iſtud ſit euidens,
declarat, quia manifeſtũ eſt Solem non ſolum cum cœlo hæc efficere per motum il-
lum quo in ſignifero delatus quatuor tempora cõſtituit, in quibus manifeſtè omnia
mutantur. Nam uere plantæ quidem germinãt, animalia uero coëunt pleraq; ut aues
aſiniq;: æſtate uero fructificant plantæ, pulli animalium adoleſcunt, aquæ ſilent: au-
tumno cuncta ſeneſcunt & areſcunt: hyeme cõtrahunt & ſilent, contra aquę turgent
& intumeſcunt, ſed etiam motu diurno eadem fermè operatur. Nam ut Galenus in
ſexto Epidemiorum dicebat, partes diei naturalis partibus ipſius anni correſpon-
dent. Matutina quidem ueri in qua homo lętius exurgit ſanguiſq; mouetur lętaq; o-
mnia ſunt, poſt meridiẽ uero calor ingens biliſq; feruet, prima uero noctis parte me-
lãcholia dominatur, homo areſcit & contriſtatur, poſt mediam uero noctem pituita
& ſomnus dulcis & iucunda quies mortalibus ſegniſq; torpor accedit. Nã quod ho
mines prima noctis parte profundius dormiant, non id contingit ob temporis natu-
ram, ſed ob cibos adſumptos. Illud idem in floribus contemplari licet, qui quidẽ ma
tutino aperiuntur optimeq; olent à meridie exareſcũt odoreq; euaneſcit, ſub primam
noctem quaſi ſeneſcentes omninoq; abſq; odore contrahuntur, à media nocte con-
ſtringuntur & humectantur roremq; excipiunt loco imbrium hyemis. Illud idem in
Luna manifeſtũ eſſe docet, quę cum ſit propinquiſſima terris, manifeſtè quidem a-
nimata omnia ut plantas ac belluas, ac piſces, & inanimata etiam ut maria & flumi-
na agit ac mutat: Quędam quidem manifeſtius ut Oceanum magis quàm mare Me
diterraneum: & ſinus quoſdã ut Adriaticus, in quo Venetię, magis quàm reliquam
partem maris, & mare magis quàm flumina, & fluminum quędam magis ut Nilum
quam reliqua. Tum uero cancri magis quàm piſces reliqui: piſcesq; ipſi magis quàm
belluę, & inter belluas mures & feles, imò manifeſtè afficiũtur. Recitat cõmentator
(nam hoc nomine intelligo eum cuius nomẽ non aſcriptum eſt.) In Aegypto fuiſſe
taurum ſacrum, cuius genitalia pro luminis Lunæ ratione augerẽtur ac minuerẽtur.
Minus autem aues quàm piſces quod ficciores omnibus ſint animalibus, ideoq; eti
am minus quàm belluæ, tamẽ & ipſę quoquomodo à Luna afficiuntur. Similiter &
plantæ atq; inter ipſas maximè lunaria appellata, ob id quod Lunæ motibus afficia
tur uarijsq; formis eius uarias & ipſa induat figuras. Cõmentator affirmat ſuo tem
pore fuiſſe lapides qui rationem incrementi Lunæ ac diminutionis ſequerentur. In
tellexi lapidem fuiſſe, qui in manus Pontificis Leonis decimi peruenit, qui pro ua-
rietate luminis Lunæ ex cœruleo in cãdidum tranſiret. Lapides quoq; in chelis can-
crorum inuenti mutationẽ luminis Lunæ ſentire uidentur. Alium intellexi fuiſſe la
pidem ſeu gemmam, nanq; gemma nobilior erat in manibus Põtificis, ni fallor, Cle
mentis ſeptimi poſtq; eius mortem ſubreptum ac Mediolanum trãslatum, illoq; qui
eum attulerat in arce capto non potuiſſe tamen haberi. Is lapis maculam habebat
quæ iuxta Solis motum ſingulo die oriens atq; occidens circumageretur. Sed & li-
gna cædua quæ inter inanimata meritò cenſentur, mutationem magnam à motu lu-
næ ſentiunt:

næ sentiunt. Et quamuis de hac mutatione cõtrariæ sint opiniones, mutari tamen ea cõstat: Sed & capilli resecti post pleniluniũ serius crescunt, ut qui à nouilunio celeri us. Quod uerò dixerit figuras cõuenientes & uerticis punctũ causam esse ut Sol uario modo nos afficeret, Idem in Luna quoq; obseruandũ est, quãuis non tam euidẽti mutatione neq; insigni. At enim cũ Sol in medio cœlo uerticeq; nostro fuerit, egregi am mutationẽ in aẽre & animãtibus parit. Sũt etiã herbæ quædã quæ iuxta Solis mo tum circũaguntur, uelut Lupinus & Heliotropiũ. Similiter & ægri plerunq; à meridie deterius se habẽt & usq; ad mediã noctẽ, obseruatumq; est plures eorũ qui grauiter ęgrotãt eo tẽpore mori, quã à media nocte ad meridiẽ usq;, quod in ea medietate diei naturalis quæ à meridie est usq; ad mediã noctẽ Sol perpetuo descendat, ut in reliqua ascẽdit. Quod etiã in Lunæ motu euidẽtius quandoq; est. Sed & pẽsegmina unguiũ & medicamentorũ opera mirum in modũ pro Lunæ qualitatibus immutantur. Adeoq; euidẽter, ut qui astrologiã negant iudiciaq; tollunt, hos tamẽ Lunæ effectus cõfiteantur. Quod uero dixerit cõuenientes configurationes, intellexit primo Solis ascẽsum super terrã, descensumq; tum locũ nonũ atq; undecimũ, q ut inferius declarabit, q̃d ascendens ipsum respiciant, robore pollent, ut cõtra octauus atq; duodecimus locus infirmissimi sunt atq; debiles, quod nulla radiorũ ratione ascendenti iungant. Demũ his declaratis quæ ad Solẽ & Lunã pertinẽt, quæq; manifesta iam sunt, ad genus de quo est dubitatio trãsit, scilicet utrũ reliquæ stellæ aliquid agant in hæc inferiora, utiturq; ratione & experimento. Experimento quidẽ sumpto, prout decet eum qui artificiosè docet, à manifestissimis: Nam ortus syderum atq; occasus adeò euidentes temporum mutationes faciunt, ut ab omnibus qui naturales res scripserũt temporum obseruationes iuxta ea descriptæ sint. Et clarissimi medicorũ, inter quos Galenus, tum etiam Hippocrates, tempora anni magis ab his quam à Solis locis distinxerint. Et ut aliquid pro exemplo adducam: non ne Canicula exoriens mũdum immenso æstu afficit, maria turbat, plantas arescere facit, canes in rabiem agit, siccatq; cuncta, ut cõtra Arcturus exoriens pluuias & imbres facit? Quod etiam in cõfigurationibus maximè autem coniunctionibus magnorum syderum, & in his præcipuè qui contrarijs sunt domibus (hæ autem sunt quatuor, Solis & Lunæ cum Saturno, Mercurij cum Ioue, Veneris cum Marte) facilè quilibet perspicere potest. Nã modo uenti, modo imbres magni, modo frigus immensum fit. Ratione uero sic agitur: Quoniam planetæ cum iungũtur Soli, illius augentur aut minuunt, omne enim corpus corpori iunctum, aut illud impedit aut confirmat, quo fit, ut cum ex eodem genere sint, ut etiam illius potentiam uarient, augeant minuantq;. Atque id uerum est de corporibus quæ cum lumine coniuncta sunt. Nam si quis ingenti faci exiguam cãdelam approximauerit, uidebit & lumen & opus uariari, nam & prius lumẽ cõfundetur aliqua ex parte, & diuersa erit ratio caloris, maiorq; ex parte ubi lumen ipsum affuerit. Atq; hæc ita fiunt, cũ tamen candela ipsa neq; colligat neq; reflectat lumen ipsius facis. Rursus uero loco candelæ speculum applicetur quanq; exiguũ, uidebis quantam uarietatem & in lumine & in calore & in umbris pariat. Modo uero sydera cum Sole uicem & speculi & candelæ referunt, nec parua adeò sunt, imò quædã parum diametri cõparatione à Solis magnitudine differunt, ueluti Iupiter & Saturnus & Canicula, quã etiam Solem lõgè maiorẽ esse haud dubiũ est, manifestũ facit quantã mutationẽ in influxibus Solis atq; operibus factura sint. Videtur enim actio Solis maxima esse atq; præcipua, non tamẽ sola atq; inuariabilis. Quod autem ita sit per Lunæ cum Sole cõgressus hoc demõstrat. Nam proculdubio iam de Luna cõclusum est quod multa operetur & agat quasi per se, iam ergo etiã cum Sole agere & operari manifestũ est, per ea quæ nuper adduximus exempla. Sed & cõmentator pro exemplo addit quod tria faciunt ad tẽperiem hyemis, Mars in Cãcro & Leone, Saturnus in Aquario, & Iupiter cũ Sole. Eadẽ æstatẽ æstuosam & lõgissimã reddũt. Ratione quidẽ clara cõspicuaq;. Nã Saturnus cũ plurimũ abest, frigus augere nõ potest. Mars quidã paruus Sol est, Iupiter cũ Sole calorẽ illius maximè auget & fouet. Çontrarijs rationibus hyems sæua et æstas temperata fiet, ut si Sol & Mars & Iupiter

absint

absint in Aquario, Saturnus uero in Cancro uel Leone. Illud igitur idem eadem ratione & in alijs syderibus manifestum erit: uerum, inquit, cum reliqua sydera omnia tardius motu proprio lōgè quàm Luna moueãtur, iccirco tribus de causis, quarum tamen tantum duas explicat, syderum aliorum opera obscuriora sunt quàm Lunæ. Prima quod propter tarditatem non adeò frequenter licet obseruare actiones eorum. Secundo quod tempus exquisitum non adeò licet habere declinationis aut coniunctionis uel occultationis, aut cum primum apparere incipit propter motus tarditatem, unde incerta fit obseruationis ratio. Tertia quia eadem tarditate fit ut opus ipsum sensim fiat: quod autem sensim fit occultius est quã quod statim etiam si longè sit maius, ueluti de motu Solis in cælo & lapidis proiecti in aëre, si alter ad alter ũ comparetur, liquet. Quæ si quis consideret non modo in temporum cõstitutionibus sed etiam in seminibus serendis propagandisq; plantis, cæterisq; alijs utpote pecoribus & iumentis procreandis sydera esse causas atq; obseruanda esse existimabit. Testimonium uero sumit à pastoribus & agricolis, qui ex uentorum uarietate prouentum segetum & propagationem animalium certa ratione coniectantur. At uero uentos cum ad generalem pertineant constitutiõẽ ex syderum configurationibus pendere docuit. Igitur à primo ad ultimum propagationes animalium & prouentus segetum, taliaq; omnia eiuscemodi à syderibus pendent. Et ut breuiter dicam quicquid in uniuerso fit seu ad temporum mutationes pertineat seu ad generationem interitumúe plantarum aut animalium, id totum ad syderum motus & naturas atq; configurationes referri debet, atq; ex his præcognosci. Quãdoquidem eos qui talia prædicunt non ex natura rerum neq; ex parte cognitionis quam à philosophia sumpserint, sed ex syderum obseruatione prædicere uidemus.

TEXTVS XI.

Atq; horum nonnulla excellentiore quadam ui & simpliciore ordine procedentia intelligũt non modo penitus indocti homines, sed & bruta animalia quędam sicuti sunt temporum & flatuum annua discrimina, quorum semper est Sol author. Quę uerò maioris negotij sunt, ea tamen non fugiunt quosdam necessitate rerum suarum adactos ad obseruationes. Vt nauitę, sciunt illi quidem significationes certas hyemis & uentorum, quas dant & Lunę & fixarum stillarum cum Sole configurationes: uerum quia neq; tempora neq; loca, quippe imperiti Astronomicę scientię, notata, neq; cursus stellarum errãtium collectos habent, ideò non raro cõtigit illos errare. Quid autem obstabit quo minus qui exquisiuerit stellarum omnium atq; Solis & Lunę motus, ut iam nullum configurationum neq; tempus neq; locum ignoret, si etiam ordine & consequentia expositionis harum rerum percepto distinctas naturas omnium quę diximus perspexerit, non iam dico quę in rebus subiectis appareãt, sed quarum effectiones potestate cõstent, ut quod Sol calfacit, Luna humectet, deq; reliquis similiter, siq; is sit, cui ingenium hac in parte suppetat, quid inquam, obstabit, quo minus naturaliter & certo ex omni commistione, proprietatem habitudinũ discernere possit, ita ut de quocunq; tempore proposito explicet iuxta rationem eorum quę tum in cœlesti contemplatione obseruauit, circunfusi cœli proprium modum & statum, ueluti futurum aut calidiorem aut humidiorẽm? Similiter ut hominum propriæ singulorum constitutionis generalem cognitionem habeat,

beat, collectam à statu circundantis cœli, ueluti, corpus alicuius tale esse, talem autem animum, quę etiam consequetur casuum singularium prę-uisio, nempe quod talis cœli status, tali constitutioni aptus sit & conducat ad prosperitatem, talis uero contrarius & in aduersa impellat. Hæc igitur fieri posse ut percipiantur, ex his atq; similibus facilè patet.

Exequitur propositam rem declarare atq; principalem, scilicet futurarum rerum per astra certam esse scientiam, atq; illam hoc modo ad syllogismum reducemus oratione. Quæcunq; ex simplicibus constant quæ facilè cognosci possint, ea ab excellentiore ingenio & diligentiore cura cognosci possunt, uerũ astronomica talia sunt, igitur astronomicorum iudiciorum scientia habetur. Maiorem propositionem declarat, quia quædam sunt adeò euidentia & simpliciore ordine procedunt & ab efficacibus causis eueniũt, ut non solum homines parui ingenij, uerum bruta animalia quadã ui naturæ, occultaq; prę cognoscãt, ueluti tẽpora anni, quis enim ignorat mense Decembri futuram hyemem, Martij uer, Junij æstatem. Vnde & piscium genera quædam apparant se gregatim ad peragrationes antequam tempora aduenerint. Et similiter aues nidos præparant. Similiter & Fauonij post initium Februarij spirare incipiunt, ut Etesie sub æstate, quos uentos ut & alios certis fermè temporibus adeò tuto expectare licet ut reditum planetarum ad loca constituta, omnia autem hæc ob id facilè dignoscũtur, quoniam à Solis motu pendent. Porrò cum Solis motus sit inter omnium syderum simplicissimus, & Sol ipse astrorum potentissimus ut non facilè impediri possit quod decernit, & certo & facile, & constitutis temporibus præscire quæ expectantur contingit. Quæ uero motus magis uarios habẽt, & non adeò robusta sunt, sunt tamẽ simplicia, ab his qui non omnino rudes sunt sed aliquam artem tenent, præsciri possunt, uelut ea quæ à Lunæ & stellarum fixarum cum Sole configurationibus pendent, qualia sunt procellarum & uentorum fortuiti quidam euentus nautæ cognoscunt. Et si motuum astrorum paulò diligentiorem notitiam haberẽt, exquisitè talia prædicere possent. Quid igitur obstat quod si quis naturam horum syderũ perspectam habuerit & numerũ motuum perfectè teneat, sit quoq; præstantis ingenij uir, & norit ordinem & consequentia rectè concludere, quin per has notas qualitates calidi, frigidi, humidi & sicci quocunq; tẽpore proposito ac loco qualitates status aëris cognoscere non possit? Inde ut ex qualitate circũdantis nos aëris etiam qualitatem corporis primo quidem generaliter omnium hominum simul, deinde singulorum dum nascuntur, ultimo uero præsentis status, agnoscat. Vtpote si Soli Mars iungatur in Leone arida quidem primo atq; feruens erit constitutio temporis illius, tum uero omnium hominum generaliter: & qui eo nascentur tempore calidi erunt atque sicci immoderatè, præsertim cordis, atq; ob id animi iracundi, crudelis, ambitiosi, prompti, rapacisq;. Qui uero iam nati sunt his quidem qui frigida & humida sunt intemperie prædita salutem afferet corporis, atq; animi moderationem: illis uero qui calido & sicco sunt temperamento, ardorem, æstum, morbosq; ob id biliosos, iram quoque, imò iracundiam & præcipitem animum præstabit, hecticos uero debilesq; iam factos immoderata caloris & siccitatis intemperie enecabit. Manifestum est igitur quonam pacto ex simplicibus qualitatibus, ac primis stellarũ Ptolemæus in cõstitutionem temporis primo, inde hominũ generaliter, tum temperiei singulorum, tum qualitatum corporis (qui enim calidi & sicci cordis sunt hi idem hirsuti pectore & graciles erunt) inde ad animi qualitates procedens, audacię puta & furoris cognitionẽ deueniat. Deinde etiã ad singulorũ salutẽ, aut morbos aut mortem, aut casus alios fortuitos procedet. Atq; hęc de textus expositione dicta sint.

Cæterum tria quę ad intellectum pertinent silentio pertransire non par est, primum quidem quod manifestum est Ptolemæum existimare mutationes corporum humanorum cæterorumq; non fieri nisi per ambientis nos aëris mutationem, utque dicebat Poëta:

ATENEO VENETO VENEZIA

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Vno eodemq; igni.

Sic ex ambientis eadem constitutione uarios in uarijs corporibus effectus cõtingere atq; etiam casus. Alterum est quod quanquã Ptolemæus omnia in primas qualitates referre uideatur, non tamen id haud uerum est aut uerũ esse putat. Nam inferius edocebit ex figurarũ natura & proprietatibus etiam stellarũ, propria quædã significata, propriosq; quosdã casus, & euentus pendere. Et iure merito quidem, nam & medici proprietate rerum quasdam habent quæ uel omnino à primis non pendent qualitatibus, uel omnino in illas referri nequeũt ulla certa ratione. Quod perinde est quantũ ad artis tractationem pertinet, ac si omnino ab illis non dependeant, causa uero propter quam author hic harum proprietatũ non meminerit, sed omnia in primas transtulerit qualitates duplex est. Prima quidẽ, ut aduersus negãtes Astrologiã euidentibus & manifestis suppositis, atq; principijs procederet. Altera, ut doceret lectores se artificiosam nõ inconditã tradere doctrinã. Quãobrem & Galen. in libris de Simplicium medicamentorũ facultatibus in totũ ab hoc genere causarũ abstinuit. Non quod illas esse non crederet, nã de eis ibidem tractaturũ seorsum pollicetur, sed quoniã tractatio illa quãuis pulcherrima in artem tamen reduci non poterat. Nunc uero tertiũ adijciendũ præceptũ est, quo docemur ut manifestissima esse intelligamus opera uniuscuiusq; syderis, quãto sydus ipsum maius est, ac motus uelocior, ueluti ut existimemus manifestissima esse opera Lunæ post Solẽ, inde Veneris post Mercurij. Nam Mercurius ut celerior est, ita Venus robustior ob magnitudinẽ, inde Saturni post Iouis, atq; hæc in cõparatione ad Solem, Mars igitur obscuriora habet opera quod serius Soli coniungatur, sitq; minor Ioue & Saturno. Stellarũ uero fixarum opus manifestius est opere triũ superiorũ, earum dico quæ magnitudinis sunt conspicuæ aut saltem mediocris cum parua latitudine, minus uero quàm Mercurij & Veneris. Quoniã enim tardissimè mouentur singulo fermè anno, imò dicã simpliciter singulis annis Soli iunguntur. Venus uero propter Epiciclum sæpius, ac longè sæpius Mercurius iunguntur Soli in anno. Quo uero ad opera Lunæ, fixæ quidem manifestiora ostẽdunt opera & maiora, inde Saturnus, deinde Iupiter, ac Mars, & Venus, ac Mercurius. Horum omniũ causa est, quod sæpius redeunte planeta leuiore ad cõgressum alterius qui tardius mouetur, seu per coniunctionem, seu per radios illi applicetur, proportione enim hæc sibi inuicem respondent, quod pollicíti fuerant ab initio sæpius repetẽdo confirmãt atq; augent. Verũ Venus ac Mercurius cum nunq; Solem respiciant, alios loco horũ affectus patiuntur, illius comparatione.

TEXTVS XII.

Quod autem non sine causa, quamuis immerito, quasi fieri, ut percipiantur, nequeat, calumniã sustinent, nunc deinceps docere conabimur.

Hic incipit tertia pars præsentis capitis, in qua docet causas errorũ in iudicando, diuiditurq; in tres partes proprias, in quarũ prima ostendit duas causas generales errorum, qui cõtingunt his qui futura prædicere studẽt, huius partis initium est (Primum quidem) In secunda docet duas causas errorum, qui confingunt in prædicẽdo de constitutionibus temporum, ibi: At est manifestum. In tertia ostendit tres causas principales errandi in prædicendo casus hominum per natiuitates, ibi: Quod autem ad. Subijcit ergo primam causam generalem.

TEXTVS XIII.

Primum quidem intelligendum multa errata, eorum qui parum accuratè in re magnę & multiplicis considerationis uersentur, derogare fidem scientiæ, & facere ut fortuita uideantur etiam quæ ueritatem complectuntur. Quod non rectè fit. Nam hæc imbecillitas non est scientiæ sed professorum.

Primum hoc peccatũ quamuis uideat uulgare, non tamen est negligendũ. Nam

hoc

hoc tẽpore maximè uiget. Nam rem difficillimã, & maximę industriæ adeò scitanter tractant, ut artem in maximã uituperationẽ deduxerint. Nec immerito dicere solebat Ioãnes Marlianus uir grauis iudicij. Si uis diuinare, totum contrariũ adunguẽ dicito eius quod Astrologi aut pollicentur, aut minitantur. Adeò uerò in hoc erraueruntut non inanẽ tantum, sed infamẽ disciplinã reddiderint. Necq; enim uix centesimã, aut laboris, aut industriæ, aut diligentiæ, aut temporis, partem impendunt eius quam impendere debent. Nec solum tunc cum inquirere uolumus futura negligẽtia delinquimus, sed cum ars ipsa discenda est, laborare oportet. Oportet enim, ut Ptolemæus etiam docet, eum qui uult hanc artem profiteri cum honore & laude, ut has omnes duodecim conditiones habeat. Prima, ut sit ualdè ingeniosus: secunda, ut sit ualdè memor: tertia, ut sit prudẽs & boni iudicij: quarta, ut ueritatẽ omnibus alijs prę ponat: quinta, ut sit bonus Dialecticus: sexta, ut sit bonus philosophus naturalis: septima, ut optimè calleat astrorũ scientiã, quæ motus & locos docet eorum: octaua, ut sit bonus Arithmeticus: nona, ut clarissimos sui temporis uiros audierit, & qui experimenta artis de se egregia & admirãda dederint, similiter & operam his libris dederit, qui à clarissimis eius artis authoribus conscripti fuerunt: decima, ut sit assiduus in studijs & laboribus, atq; illi arti fermè totus intentus: undecima, ut diu ac longo tempore operam dederit ipsi arti, multaq́ue per se experimenta collegerit: duodecima, ut agriculturæ, nauticæ, militaris ac medicæ artis, tum situs locorum, habitus hominum, morum illius regionis, legũ, & religionis, consuetudinisq; uentorum, & generaliter omnium rerum quandam habeat mediocrem cognitionem. Nam si Architecto hæc necessaria sunt, teste Vitruuio qui de solis ædificijs tractat, & quæ tractat sub sensibus habet, quid de Astrologo dicendum est, cuius contemplatio de omnibus est, & absq; sensuum auxilio. Itaq; quantum & qualiter peccent qui hanc artem tractant, & quàm pauci sunt ad illam idonei manifestum esse existimo. Atq; hæc certè causa errandi maior per se est omnibus alijs etiam pariter acceptis.

TEXTVS XIIII.

Præterea bona pars questus gratia huius scientiæ nomen & dignitatem alijs artibus uaticinatricibus prætexere consueuere, qui cum fidem apud uulgus inuenerint, illis quidem imponunt, cum uideantur prędicere plurima, atq; ea quoq; quibus prædictis naturalis nulla ratio subsit, uerum qui rerum inquisitioni student, ex eo ipso etiam damnant prædictiones naturalibus rationibus munitas. Sed iniuria, nisi & philosophiam è medio tollendam censeamus, ideo quod qui illam professi sint, nonnulli improbi reperiantur.

Similẽ hunc errorẽ præcedenti, docet Ptolemæus ex hoc quod uitia Artificũ in artem reijci non debent: Verũ dissimilẽ, quia præcedens error ad negligentiã aut naturę defectũ pertinet, hic uero ad mores cũ lucri causa alias artes inanes tractãdo illas Astrologiæ uelamine muniunt. Quẽadmodum Geomantici qui primã figurã certo signo tribuunt, ut gratia exẽpli minori fortunæ Taurũ, atq; inde secundę Geminos, ac tertię Cancrũ, & ita usq; ad duodecimã figurã. Similiter & planetas eis adscribũt impudentissimo mendacio. Alij uero quod natus sit in die Martis, uel Mercurij, Luna quinta uel sexta, mense Octobris, gratia exempli, fabulosam texentes historiã de futuris, artem naturalẽ & egregiã infamem reddunt. Quidã nomen propriũ & matris in numeros digerũt, & numeris planetas & signa adscribunt, mẽdacijs absurdis artem hanc uituperantes. Sunt & qui cum non sint uideri uolunt lucriq; cupiditate artẽ profitentur, quã uix à limine salutarunt. Velut de illo refert Haly, qui quod uellet egregius Astrologus uideri, dixit se mirari quod cum cor Leonis (stella hæc est egregia signiferi) ad quintã decimam partem Leonis peruenerit, quòd mundus non conflagraret. Stultissimã hanc uocem audiens quispiam ab eo quem peritissimũ in arte iu-

dicat, præsertim eo tẽpore quo fortè fortuna maxima sæuit hyems, quis non irrideat meritò artis tam egregia & præclara iudicia? Neq; id rarò euenit, ut rectè Petrus Aretinus scurra famosissimus dixerit, Astrologos pulchrè prædixisse diluuium anno M. D. XXIIII. quo mense nullus unq̃ serenior extiterit. Neq; enim eo anno Februarius pluuias dedit, uel etiam saltẽ nebulas, cum soleat reliquis annis pluuiosus mensis esse. Atq; id egregium uaticiniũ è sex errantium syderũ concursu (omnibus quippe præter Lunã quod mirum est in piscibus) ortum habuit. Tertium genus est eorum qui quæ præstari non possunt arte, per artẽ pollicẽt. Vnde ridiculi cum euadãt ipsi arti infamiã tribuunt. Velut de quodã recitat Haly, qui ex Marte in secundo loco uolebat propriarũ uestium furtum significari. Cum neq; hoc de furtis propriarũ uestium ab Astrologo possit prædici, quippe nimis singulare est: Nec si possit prædici ex tam generali causa prædicere licebit. Igitur hæc supra artem sunt, quæ tamẽ lucri causa illi præstare pollicentur. Quartũ genus est eorum qui ob lucri eiusdẽ cupiditatem res inanes cõfixerunt, ut partes & gradus debilitatis & putei, taliaq; multa quæ non solum ab Arabibus, uerum & à Guidone Bonato atq; conditoribus Ephemeridum descripta sunt. Atq; his eisdemq; rationibus interrogationes, atque electiones finxerunt, quibus pecunias corraderent. Vnde tecum æstima lector qualem risum mouerint qui uendita electione, infelicissimum illi exitum pepererunt. Cum multi in eadem causa nullo utentes Astrologi consilio felicissimè rem peragant. Atque ut ex multis unum euidentis ac præclari exitus exemplũ referam hominis à me cogniti: Fuerat Princeps Mediolanẽsis prouinciæ Ludouicus Sfortia qui quæstuosum Astrologum, quicq; nihil minus quàm Astrologiam sciret (erat enim ex his quos Ptolemæus hic merito sugillat) aleret, eumq; ditauerat egregiè centum atque plus magnis aureis talentis. Ab hoc pro tãta mercede tẽpus unicuicq; negotio inchoando præscribebat, adeò ridiculè ut sapientissimus alioquin princeps cogeretur tẽpestatibus maximis equos conscendere, totamq; aulam cohortem & stipatores per medios imbres, per cœnum atq; lutum tãquam hostes, uel insecuturus, uel fugiturus deducere. Nescio an Astrologi amentia an ambitione summa, an potius irrisione: Vt qui Principi ipsi talibus commentis per flagitium illuderet. Atque ei quod nullis alijs prorsus prouinciæ nostrę Principibus cõtigerit unq̃, euenit, ut Regno ab inimico Rege spoliatus, & captus miserè uitam in carceribus, etiam colapho accepto & in clatrata ferrea dormiens, finierit. Itaque id ad artis uituperationem minimè pertinet. Vnaquæque enim ars quanto nobilior est eo pernitiosior, si per sycophantas administretur. Quid enim sanctius religione? quid iniquius perdito sacerdote? Quid melius Iurisprudentia? quid deterius improbo Iurisconsulto? Medicina utilissima est humano generi, uenefici & ipsi titulo sanctissimæ artis, pessima admittunt flagitia. Sextum genus hominum, qui eadem causa peccant eorum est, qui seruientes Principibus aut magnis uiris ut pecuniam extorqueant, leuissima quęque & quæ nullius prope sunt momenti felicitatis indicia pro maximis ac securissimis ducunt. Quod familiarissimum est Iulio Firmico. Is enim ex minimis causis atque configurationibus, puta accessu Lunæ plenæ luminibus ad Iouem, prouincias, & administrationes, & regna etiam decernit. Nescio an impudentius, an stolidius cum multi talem habentes configurationem uomere terram uertant, aut in parua nauicula operam menstruam alijs collocent. Ptolemæus tamen primi generis tantum meminit tanquam notissimi, & cuius medio cum causa ut dictum est nota sit, atque eadem, scilicet lucrum, alia membra diuisionis nota fiant.

TEXTVS XV.

At est manifestum, multum falli in hac parte etiam diligentissimos & summo studio in mathematis uersatos. Non fit hoc propter quicquã eorum quę diximus, sed rei natura & infirmitate profitentium in tanto onere

onere professionis. Nampr̃eterm q̃d materia pro quo modo sese habeat, generaliter considerauimus, non certitudine aliqua sed coniectura, præsertim quę ex multis diuersisq; rebus concreta sit, hoc quoq; accidit, ut configurationes quas ueteres tradiderunt, & quibus nos iudicia accommodare cõsueuimus, pnuntiantes de ijs quas nunc obseruamus, ut illi olim: eæ igitur configurationes ne semel quidem cum nostris similes & cõgruentes repertę sint. Nam magis quidem aut minus concordare possunt, atq; id quidem immensis temporum ambagibus, prorsus autem conuenire nullo modo, cum omnium rerum cœlestium simul ac terrestrium instauratio (nisi cui lubeat inanitate quadam glorioſa ostentare scientiam & perceptionem earum rerum quarum nulla esse potest) aut nõ sit prorsus expectanda, aut non intra saltem tempus quod humano intellectu comprehendatur. Si quando igitur in prędicendo erratum fuerit cõmissum, ex eo usu uenit, quod subiecta exẽpla dissimilia inter se fuerint. Atque hæc una est in aëris exploratione difficultas, ad quam nulla accedit causa comperiendorum motuum cœlestium.

Non solum ex errore artificum negligẽtiaq; aut etiam improbitate astronomica diuinatio percussa est, adeò ut nostris temporibus in tantum cõtemptum abierit, ut astronomum consensus hominum cõmunis, dicere aliud non existimet, quàm fatuum, quàm stultum, quàm insanũ, ita perseuerans improbitas artificum artem ipsam perdit. Neq; desperandum ob id gloriam artis redimi posse, neq; uitium id artis huius quisquam esse putet, sed temporum cõditione ita ferente, cum Galenus testetur suo tempore actum esse de medicina nisi quis Deus humani generis misertus auxilietur, & tamen modo nuper reuiuiscit atq; floruit: Ita haud inconueniens est artẽ hanc quæ olim quandoq; ut temporibus Gordianorum senioris ac iunioris cæsarum floruit, aliquando etiam pristinæ suæ dignitati restituendam esse: Et certè nostra quantulacunq; sedulitate sola effectum est, ut si ars glorię esse non potuerit, tam profligatis eius rebus, saltem dedecori non fuerit: Atq; pro una Genitura centum coronatos habuerimus, aliasq; reiecerimus non minore honorario remunerãdas, & nobis quidem nisi maiora impedimento fuissent negotia magnarum diuitiarum uel hoc solo nomine accessio in promptu erat. Neq; euentus prædictionum minores fuerunt, ab arte à nobis restituta, præmiorum spe, aut principum pollicitationibus: neq; si in medicina tot sint artifices nebulones, tam pauci synceri professores, maiorem illa habitura est authoritatem apud homines quàm astrologia. Sed etiam quippiam proprium est astronomicæ tractationi quo necesse est artificem falli. Idq; cum Ptolemęus philosophus esset ac uerax fateri maluit quàm dissimulare. Est etiam egregiorum uirorum mos errata propria fateri, quoniam pręstat se uirum probum atq; ueridicum ostendere, quam mendacijs & dissimulatione sapientem. Tanta enim est huius artis præstantia ut etiam si quandoq; contingat qui etiam in alijs artibus ueluti medicina error necessarius, nihilominus neq; ars ipsa neq; artifex ulli alteri cedat. Nam & in septimo Epidemiorum quicunq; illius libri author fuit (& certè uir egregius fuit) ingenuè fassus est deceptum se futura capitis. Et philosophus testatus est præstantius esse atq; melius de rebus maximis uel minimum scire, quam de minimis uniuersa. Itaq; neq; scientia ipsa iudiciorum, nec qui eam profitetur minoris æstimãda erunt aut existimationem suam minuent, si quandoq; (tamen raro eueniet) error incidat necessarius. Atq; hæc præfari necessarium fore duxi, nunc ad textus expositionem deuenio. Cum in omni actione naturali duæ causæ sint omnibus quidem manifestę atq; principales, scilicet materia & efficiẽs, nã finis & forma in faciendo non con

currunt sed alterum eorum necessarium est ut fiat, alterum uerò ut factum sit, ut actionis quidem sint duę tantum illę causę priores, effectus autem omnes quatuor. In utraq; causa principali Astrologum peccare contingit: in materia quidem quoniam coniectura illam assequimur, præsertim cum ex multis cõflata fuerit, uelut cum de homine agimus. Atq; in hoc scientia hęc est longè inferior scientia Fati, ut in libro de Fato scripsimus. Et ob id contingit multa animalia magis præscire futura, & extasim patientes & per somnum, & longè magis oracula, itemq; sortes quam Astrologum. Exquisitius enim ista scire possunt quã Astrologus, quoniam totius materiæ imaginem habent, quam Astrologus comprehendere aliquando non potest, quãuis sagacissimus & diligentissimus. Sed tamen illorum scientia fortuita est, nec Astrologi scientiæ comparanda, cuius est certa ars atq; præcepta. Altera causa est, quoniam configurationes cœlorum nostris temporibus similes non sunt, neque esse possunt antiquis, quarum similitudine ars ipsa confecta est. Ars enim omnis à sensu & obseruatione initium ducit, ut etiam Aristoteles docet in Analicticis. Quamobrem cum Sol semper calefaciat & Luna humectet, non tamen neq; quantum, neq; quam celeriter illud faciant, nisi per obseruationes, constat. Itaq; tum propter hoc, tum propter proprias uires de quibus dictũ est superius, necessarium est ignoratis obseruationibus Astrologum delinquere. At necessarium est, ut hę obseruationes aliqua ex parte à prioribus differant, neque enim ad unguem concursus syderum in æternum in idem redibit, aut saltem in tempore tanto cuius memoria humana aut libri sint capaces. Alludit autem ad illud Vergilianum:

Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Et opinionem illam Platonis de Anno magno qui constabat triginta sex millibus annis Solaribus, nunc uero iuxta sententiam Alfonsi Regis Castellę uidetur continere quadraginta nouem millia annorum Solarium: in tanto enim tempore octauus orbis qui stellas omnes quas uidemus continet, circunuoluit. Fuerit igitur gratia exempli, coniunctio aliqua Saturni atq; Iouis in initio Arietis, ante tempus Seruatoris nostri, cũ stellis ut tunc erant initij Arietis, redeunte in eundẽ locũ cõiunctione quę nõ nisi post nongentos annos reuerti potest, stellę illæ iam nouẽ penè partibus processerunt: aliæ uero ex piscibus ad eum locum accesserunt, quo fit ut duplex discrimen sit præcedentis cõiunctionis à posteriore, ut ex priore quid posterior decernat ad unguem statuere non possimus. Similiter & in cõiunctionibus ipsis solum planetarum discrimen est, ut quamuis ad eandem partem redeant, neq; id tamen nisi post multos ac multos annos, imò post multa secula, non tamen in eodem minuto partis reditus fiet. Et quanquam etiam ad idem minutum rediret, non tamen in eadem parte Epiciclus aut Eccẽtricus absidem habebit in qua prius, quo fit ut planeta ipse altior sit, uel humilior quàm in priore coniunctione. Erit etiam planeta aliam habens latitudinem, aut in alia cœli parte collocatus, utpote in priore in nono loco, in posteriore in duodecimo, ut quę in Gallia circa religionem significabuntur in priore congressu, significentur supra discordias in posteriore. Et quę eadem sunt obiecto, utpote circa religionem in Palęstina per primam coniunctionem, in Gallia per secundam expectare oportet. Illud præterea cõtingit, cuius exemplum præstitisse referunt Publicum Nigidium Figulum: Is enim accepta rota duabusq; simul effusis guttis, dum celerrimè illam uersaret ac toto impetu, ubi rota moueri destitit, guttę quę simul ceciderãt, procul altera ab altera inuentę sunt, quòd ex astris nihil eodem modo atq; cœlo, horum inferiorum comparatione, procedit. Vnde Albubater in libro de Natiuitatibus refert, singulo horę momẽto ascendere uiginti quatuor millia Roboat cœli, quorũ singulũ diuersam habeat naturã atq; colorẽ. Istud uerò quanam ratione dicere potuerit incertum est, sed tamen hac ratione dictũ existimo, quod cum cœli octaui magnitudo tanta sit, ut si etiam in mille quadringentas quadraginta partes diuidat, totidem enim momenta horę in uno die naturali contineri certum est, unaquęq; pars plusquam ducenta millia Italicorũ milliariorũ continebit. Atq; hęc una est difficultas cognoscendi aëris qualitates, scilicet non reuerti congressus aut configurationes, ad

nes, ad quam dissoluendam nulla cognoscendorum motuum cœlestium diligentia accedere potest.

Huc usq; duas causas explicauimus propter quas in dijudicandis aëris qualitatibus Astrologi fallunt, atq; utinam hęc tantum esset causa seu causę in permutandis aëris qualitatibus, nempe uenti afferunt & referunt nubes, ut necesse sit etiam illorum originem nosse: Sed Ptolemæus uult, ut à uentis initium prędicendi sumamus. Porrò qualitates quę in ambientem aërem referuntur, si non sint qualis lux (atq; id rationi consentaneum est fieri) necesse est, ut flante uento syderum constitutiones & promissa ex uno in alium hominem & ex una in aliam regionem transferantur, alterq; pro altero occidetur, aut infirmabitur, aut ditabitur: quę omnia cum absurda sint, dicendum est ea quæ in continenti ab astris recipiuntur, quędam quidem ut qualitates quædam ut sonos, quædam uero ut lucem recipi. Qualitates quidem plenè transmutantur ex loco in locum, lux nequaquam, sonus uero medio modo. Impressiones quoq; quę à cœlo fiunt per consensum recipiuntur in subiectis non secus ac Herculeus lapis uires à certa cœli parte obtinet. Atq; hæc sola ratio est, qua & Ptolemæi opinionem & scientiæ iudiciorum authoritatem & ueritatem ipsam aduersus nimis callidas contradicentium disputationes tueri possumus. Iam uero ubi diligenter utraq; has difficultates quas Ptolemæus proponit euaserimus, uia nobis latissima aperta est. Maior etenim uis astrorum est quam ut quisq; eam existimare possit. Nanque & Legum mutationes, & Imperia, & miracula naturæ quę uarij in uaria referũt, ab his prodeunt. Naturę miracula dixi, non quę diuina fiunt prouidentia, ut mortuorũ resurrectio. Itaq; Ptolemęi uia, uelut & Aristotelis in Philosophia, sic ab errore remotior est in tradendis regulis eorum quę futura sunt, ut illustres prędictiones atq; admirabiles pariat.

TEXTVS XVI.

Quod autem ad Genethliologica & alia singulatim & peculiariter compositarũ rerum iudicia attinet, permulta cernere est quę singulares constitutiones illarum adiuuent & conficiant. Quis enim nescit quantũ seminũ diuersitas ad proprietatem generis uniuscuiusq; momẽti habeat, cum & hoc ipsius cœli circunfusi & definiti omnibus terris hemisphęrij ambitus opus sit, ut uires omnibus seminibus instruant, quibus unumquodq; in sui generis effectione & informatione excellat, ut hominis, equi, & cæterorum.

Iam declarauit difficultates quę in qualitatibus aëris cognoscendis cõtigunt, atq; ex his duo nos Ptolemęus docet, unum quòd quę frequentius reuertũtur exquisitius etiam cognosci possunt, quia sępius reuertendo proximius etiam ad loca præcedentiũ cõgressuum accedũt: Atq; ex his per successum prioris experientiã cõfirmare licet, ut ex multis experientijs ars cõfletur iuxta præcepta Aristotelis. Notissimi igit primo sunt cõgressus Lunę cum fixis stellis, inde cũ Sole, post cũ Saturno atq; alijs planetis. Quarto loco cõgressus sunt Solis cũ fixis stellis, inde cũ Saturno, post cũ alijs planetis. Septimo loco cõgressus sunt Mercurij cũ Sole & cũ fixis stellis & cũ Saturno. Decimo & undecimo & duodecimo sunt cõgressus Veneris cũ ijsdẽ. Mercurij uero & Veneris cõgressus tertiũdecimũ locũ obtinẽt. Reliqui uix noti sunt. Saturni quidẽ & Iouis, ppter tarditatẽ motus. Martis aũt, ppter parui orbis in quo defert magnitudinẽ. Reliquũ est qd Ptolemęus cũ causas illas, pprias esse cẽsuerit qualitatũ aëris, docuit nos nõ ex ambiẽtis mutatione uel sola uel maximè immutari corpora nostra, sed per impressionẽ factã quidem medio ambientis. Sed ut dictũ est lucis causa per lumẽ. Hic igit declarat tres causas principales. Nã plures longè sunt quibus promissa astrorũ minuunt, aut augentur, aut peruertuntur, quarum prima est natura seminis, & eius augmentum est à notissimis, si lactuca & quercus & ouis eodem momento generentur, & eodẽ loco ex eadem constitutione astrorum oriunt, &

tamen omnino diuersa sunt: Igitur si ex diuersis hominibus filij nascantur quamuis eodem tempore & loco, tamen pro natura parentum erunt diuersæ naturæ, formę, & ingenij, & fortunæ. Recitat Aristoteles quod si canis ex cane non uenatico oriatur uix in sex mensibus instruitur, uenaticum dico ex eorum genere qui retarij appellantur, si ex uenatico in quindecim diebus eruditur. Illud Horatianum in mentem mihi uenit:

Nec imbellacem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

TEXTVS XVII.

Loci etiam in quibus gignimur, ne ipsi quidem mediocres mutationes afferunt constitutionibus. Nam & singulorum generum seminibus propositis, ut exempli gratia, humanis, & eodē in statu aëris, tamen multum diuersis in locis geniti & corporibus & animis inter se differre comperimus.

Quis dubitare potest mores Gallorum, & Italorum, & Anglorum, & Aethiopū, & Indorum, & temperaturas & uitam non differre multum inuicem? Atq; hic narrauit duo principia quæ sunt intima & causæ per se natorum, patria quidem generale, parentes autem proprium, plus autem potest proprium principium quam generale: Vnde filius robusti Aethiopis ualidior erit filio debilis Germani. Cū igitur tractasset de principijs proprijs & generalibus per essentiam, transit ad principia exteriora. Manifestum est igitur quod genere plura esse non potuerunt. Principium autem proprium in duo diuiditur, patrem et matrem. Principium autem generale unum est, scilicet patria. Verum & in patria discrimen est mōtium & uallis, loci aridi & aquosi. Sed si pro patria locū, Ptolemæū sequentes, dixerimus, omnes differentias amplectemur. Itaq; si nascatur puer ex parentibus candidissimis prędomināte corpori Venere in regione Aethiopum, nascetur quidem candidus, sed non candidissimus: Successu tamen temporis fiet niger, quia nigredo est opus Solis, & Sol est potentior omnibus planetis. Sed principia exteriora cum sint uaria & diuersa ideo aliqua uincūt principia quæ sunt per se, & aliqua uincuntur ab eisdem.

TEXTVS XVIII.

Et ut hæc omnia paria faciamus ipsam tamen educationem & cōsuetudines non nihil ad uitam degendam singulatim conferre constat. Quo circa, & si uis maxima est circunfusi cœli, quod hæc omnia quę diximus & ipsum in talem modum adornarit, cum illa contra in hoc nihil contulerint, tamen nisi quis & ipsa coniunxerit cum aëris causis multum turbabuntur qui omnia arbitrati fuerint sese collecturos ex solo supernorū motu, etiam quę ab illis absolutè non dependeant.

Ostendit duo membra similiter causarum fortuitarum generale, scilicet consuetudinem, & proprium, & est educatio. Consuetudo quidem constat ex pluribus, religione primum, legibus secundum, moribus tertium, & naturæ principijs quæ pro lege habetur. Educatio et ipsa plurima habet capita, nam et parentum mores, & cibi, & conditio fortunę, & affines, & amici parentum, & ars, & studia, omnia quidem ad educationem pertinent. Hęc igitur augere & minuere, & mutare decreta syderū possunt. Quamobrem dicit Ptolemęus, si quis hæc omnia prętermittere uoluerit & soli syderum constitutioni inhęrere, uel etiam aliqua solum ex his prętereire in magnos incidet errores, decipieturq; in prędicendo. Et quoniam hęc à cœlo non pendent, id est, à constitutione nati illius, non à cœlo simpliciter, quoniā omnia quę sunt in uniuerso mūdo à cœlo dependēt, sicut in libro de Fato demonstratū est. Et uelut omniū

corporum

corporum umbræ sunt, & totidem quod corpora cuiusq; luminis ratione, ita omnia quæ hic fiunt in cœlo principiũ habent uelut umbræ corpora. Sed talis consideratio ad librum de Fato pertinet, non ad Astrologum, ut alias dictum est.

TEXTVS XIX.

Ex his igitur facilè poterit intelligi, quã peruerse facturi simus, si propter quædam errata iudiciorum, ipsam totam rationẽ euertere uelimus. Neq; enim gubernandi artem ideò respuimus, quod gubernatores sæpe offendant. Ac si non potius ut in tanta & tam diuina professione grato quidem animo contenti fuerimus, eo ipso quod supra uires nostras non sit, siue tanq; humano quodam more certa omnia ab ipsa postulauerimus, cum magis debeamus nostrum studium ad illam conferre, & bonitate quadam animi attribuere etiam aliena.

In prima parte huius ultimi ac principalis membri, docet Ptolemæus non esse relinquendam artem tam celebrem propter errores paucos qui in ea cõtingunt, neq; propter id quod totam artem assequi non possimus. Nam humani ingenij, inquit, est plura semper uelle, quàm præstari possit ab arte. Et reliquam partem exemplo comprobat, quoniam gubernatores nauium non propter id artem relinquunt, neque homines artem illorum respuunt, quod sæpius ipsi artifices decipiantur. Itaq; operam bono animo illis dandam consulit, & ut aliena tribuendo etiam illam alijs auxilijs adiuuare. Et quæ nam sint, statim declarat.

TEXTVS XX.

Vtq; non uertimus medicis uitio cum & de morbo, & de ægrotantis natura sæpe percontantur, ita etiam hac in professione ne pigeat assumere, & genus, & regionem, & alimoniam, atque adeò non nihil etiam eorum quę iam acciderunt.

Ea quæ sunt aliena, & quæ assumere oportet Astrologum, eadem sunt adunguẽ quæ de relinquendo peccare nos docuit, ea autem sunt ut dictum est, quatuor, patria, parentes, consuetudo, & educatio: Addit præterea quintũ, scilicet non nihil eorũ quæ illi contigerunt, duabus quidem causis: altera, ut per directiones exquisitã genituræ constitutionẽ colligat: reliqua, ut per ipsam doceamur quantum ex occulta quadam ui syderum influxus augeantur minuanturue. Vidimus enim quosdã quibus plus satis infelicitatis atq; frequentius cõtingebat quã astra polliceri uiderentur: Vt contra alijs. Nã & filiæ nostræ, & minori filio plura longe uidebãtur imminere pericula quã euentus præstiterit. Et filia cũ satis imbecillis uideretẽ futura, uix tamẽ unq; graui aliq; morbo correpta est. Et nobis longè maiora successerunt, circa honores, & actiones, & uitam, quã sydera polliceri uiderentur. Adeò ut Hieronymus Cutica sacerdos cõciuis & amicus noster auderet dicere cum peritus esset Matheseos hanc genituram quæ præfertur à nobis non esse nostrã, cum tamen nulla sit certior. Sed tamen horum omniũ manifestissimæ sunt causæ. Quẽadmodũ & quod non consulto cœlo XXIII die Februarij MDLII. quo tempore hæc scribimus è patria discesserimus, quo tempore Luna iuncta Saturno, & Marti cõiunctis in initio Piscium, Solis radios ingrediebatur: Nam Sol ipse iuxta locum Lunæ in genitura positus erat: Sed hæc non uidimus quãuis uidere facilè potuerimus. Illud uero & uidimus & nõ uitauimus quod cum essemus Lugduni, secũda die Maij discessimus, ituri in Scotiã hora fermè quarta post meridiem, quo tẽpore Luna Saturni opposito applicabat, parum plus parte una ab eo distans. Erat autẽ Luna in genitura nostra radijs Saturni infelix, & ipse Saturnus in Piscibus quod submersionis periculum denuntiat, quod quam malè cõueniat ituro per mare, quicunque uel principia artis ipsius degustarit promptè intelligit. Et nunc usque nihil hæc scribentes passi sumus incõmodi nisi multitudinem pluuiarum.

Verum

Verum de omnibus his quod conſpicuũ ſit exemplũ, ſuo loco Deo dante dicemus: Additis etiam genituræ & reuolutionis, & principiorũ itineris figuris. Nã iter hoc duo habuit neceſſaria principia ut inferius hiſtoriã enarrando declarabimus. Sed & ſchemata conſenſus adijciemus figurasq; illorum. Conſenſus enim primus die XII. Februarij fuit, alter die XVIII. Aprilis. Horum meminiſſe uolui, ut quiſque intelligeret cur eam particulã adijecerit Ptolemæus (atq; adeò non nihil etiam eorum quæ iam acciderunt) Nunc uero ad explicationẽ uerborũ Ptolemæi reuertor. Is cõprobat dicta & præcepta quæ nunc dederat Medicorũ exemplo. Nam & ipſi interrogare ſolent ſi ægrum non nouerunt, cuias ſit, & nũ morbus ille ſit hæreditarius, de conſuetudine etiam atq; educatione cuncta diligenter perquirunt, atq; ſiſcitantur. Trium igitur impedimentorũ, quæ in tertia parte huius capitis propoſuit. Primũ quidẽ quod ad uitia pertinent, aut negligentiæ, aut auaritiæ, uel ambitionis ex toto tolli poteſt. Secundũ uero quod ex materiæ mobilitate mixtioneq; ac propria diſpoſitione, tum aſtrorũ non exquiſita cum precedentibus configurationibus ſimilitudine nulla ex parte tolli poteſt, ſed manet. Vltimum uero, quod ex adiacentibus prouenit hisq; quæ nequaq; ex arte ſunt, minui poteſt diligentia atq; ſolertia, non autem tolli.

Caput tertium.

TEXTVS XXI.

QVo igitur modo fieri poſſit ut de Aſtronomia aliquid prẽnoſcamus, & ulterius non tendat hęc ſcientia quã ad aëris accidẽtia, et quibus ex ea cauſa homines afficiant, quę ſunt, ut opinor, prima cõpoſitio uirium & actionum corporis animiq; item q; certę affectiones & lõgęuitas, & breuitas uitę, prętereq; etiam illa, ſi qua ſunt cum his principijs propriè & naturaliter copulata, ut cũ corpore res familiaris & cõuictus, animo exiſtimatio & dignitas quo etiam certi caſus referẽdi erunt. Hęc igit cõfido in ſuperioribus eſſe explanata.

Diuiditur hoc capitulũ in octo partes primas, ab initio uero colligitur quæ prius dixerit, ea autẽ erant tria principaliter: Primũ, quod aliquid per Aſtrologiam præcognoſci poteſt. Secundũ, quod talis immutatio non fit niſi per aëris tranſmutationem. Tertiũ, quod in mutato aëre ambiente ſimul, primo corpora noſtra primis qualitatibus immutant, inde corpus atq; animus unde tẽperaturæ, ſanitas & morbi, breuitas uitæ longitudoq;, & quæ unicuiq; horũ cõiuncta ſunt, ut corpori res familiaris & cõuictus animo exiſtimatio & dignitas. Ad quæ, ſcilicet animi commoda incõmodaue caſus ſequunt. Veluti quoniam magni uiri capite truncãtur, ſi quid deliquerint, pauperes eiſdẽ flagitijs ſuſpẽduntur minoribus: pauperes corpore pœnas dant, præcidũtur mẽbra, triremibus mancipãtur, diuitibus & potẽtibus exiliũ pro pœna eſt, uel etiã mulcta pecuniaria. Ita uix unq; uiderim medicũ pœnas corpore luiſſe, quanq; multi ſint flagitioſiſſimi, milites quandoq; uel uno pullo ſubfurato ſuſpẽduntur, tantũ poteſt exiſtimatio. Sed & in itineribus multi ob ſocietatẽ non ſolũ à latronibus, ſed etiã in maris tẽpeſtatibus ſeruati ſunt, qui uel ſoli uel uno comite perijſſent. Ergo primũ hoc ad exiſtimationẽ referri debet, deinde quoniã à multis auxiliũ habet qui multis poteſt imparare. Accedit q̃d maximũ eſt, quod genituræ plurimæ in calamitatibus rarius poſſunt cõſentire quã paucæ, itaq; fit ut ſi in naui unus ſit qui ſubmergi debeat, plures autẽ alio mortis genere perire & ſerius, num par eſt nauim propter illũ unum periclitari, quin potius ſeruabitur propter multos. At dices & naues quidẽ cum pluribus pereunt, & plerunq; aliæ cum paucißimis quia leuiores ſeruantur. Hoc uero in ſecundo libro declarabitur. Nunc ſatis eſt edocuiſſe ea quæ ad intellectũ uerborũ Ptolemæi pertinẽt de exiſtimatiõe adeò ut nunq; legiſſe me meminerim principẽ aliquẽ

inſignem

insignem imò ne philosophum quidem præter Architam naufragio periisse, cum tamen multi à sæuissimis tempestatibus uexati sint. Iuuat igitur in itineribus & in negotijs multos secum ducere. Et præsertim rei peragēdæ uel itineris gnaros & fidos & fortes: His etenim iuuantur manifestissimis naturæ causis & euidentibus, tum etiam quia talibus plerunq; felicia sydera fauent, infelicia non obsunt. Atq; hæc dixisse uolui quæ ad præsens caput attinent, quoniam tractatio est scientiam Astrologię utilem esse. Cæterum conuictus nomine iuxta Haly sententiam intelligimus Vxorem, Filios, & Familiam. Hæc enim cum corpore iuncta sunt.

TEXTVS XXII.

Sequitur utilitatis consideratio, quam & ipsam paucis absoluemus. Sed prius constituendū uidetur quid utile hac in parte intelligi, & ad quē finem referri uelimus. Nam si animi bona spectabimus, quid poterit esse optabilius ad tranquillitatem, gaudium, felicitatem, quam hæc de qua loquimur futurorum cognitio, qua & humanorum & diuinorum contēplatores efficimur? Siue corporis magis à nobis respectus habetur, nulla est scientia qua intelligi melius possit quid uniuscuiusq; constitutioni aptius cōducibiliusq; sit. Quod si forte non est largitrix opum & gloriæ & aliorum huius generis, non feramus molestè, cum idem crimen totius philosophię inueniatur. Nihil enim horum ipsa quidem docet acquiri. Sed ut neq; hanc ideò damnamus, ita etiam nostram scientiam conseruabimus, maiores & potiores utilitates persequētes. Omnino si quis exquirat, reperiet à nulla plane re quæ alicuius momenti sit, huius scientiæ reprehensionem duci.

Quod inutilis esset hæc scientia obijcere illos iam te audiuisse satis existimo, nūc uero argumento pulcherrimo hāc obiectionem diluit ipse Ptolemæus atq; coarguit, argumentumq; demonstrat profectò, estq; sententia hæc præstantior quam hucusq; tradiderit, est autem talis: Omnis scientia per se utilis est, etiā si nullum alium habeat finem, sed iam uos fatemini iudiciorum astrorum aliquam esse scientiā, igitur iudiciorum astrorum tractatio utilis est. Maiorem propositionem assumptā declarat, quia cū triplicia sint bona, ut Aristoteles in Ethicis docet, animi, corporis, atq; fortunæ. Animi quidem bona sunt, uirtutes atq; eruditio. Nam ut primo primæ philosophiæ habetur, omnes homines natura scire desiderāt, nihil autem est optabilius, neq; felicius quàm naturale explere desiderium. Id uero tanto maius est, quanto ea quæ cognoscuntur nobiliora sunt, rariora, & magis optata, at nihil magis optatum quàm futura scire, nihil uero nobilius quàm cognitio cœlestium rerum. Estq; ac si quis in conciliū superum aduocetur. Raro uero hæc scientia atq; paucis omnino concessa, propria uero ipsis intelligentijs. Esse uero aliquam felicitatem in contemplatione, atq; eam egregiam & singularem docuit Aristoteles duodecimo primæ philosophię dicēs: Vita quidē in nobis paruo tempore qualis sempiterna dijs dū contemplamur. Itaq; cōstat maximā faustitatē & huius scientiæ solū studio atq; cognitione accedere. Sed neq; si ad corpus respicias, inquit Ptolemæus, nulla sciētia hac utilior esse poterit. Atq; istud inferius demōstrabit. Quod si neq; opes, neq; gloriā, nec talia largiatur æquo animo ferendū suadet duabus rationibus, tum quod cum sint tria ut dixi bonorū genera, nobilissimum animi atq; utilissimum, ignobilissimū et minus utile ipsius fortunæ, mediocre ipsius corporis, Astrologia in maximo & mediocri egregiā præstet utilitatem. Altera quod & philosophia quam omnes tamen colunt ac uenerantur nihil tale præstat, scilicet neq; gloriam, neq; opes. Cum ergo philosophiam ob id non deseramus quod talia nobis præstare nequeat, cur Astrologiam ea

sola

ſola ratione negligere debemus? Animaduertendum quod quamuis Ptolemęus negat Aſtrologiã gloriã & opes parare, ſimiliter & philoſophiam, quę tamen domina eſt omnium, ut cõmentator docet, ſcilicet diſciplinarum & etiam nobiliſſima omnium quæ homo poſſidere poſſit, nihilominus uidemus multos philoſophos noſtra ætate prędiuites & opulentos, multiq; alij fuerunt nec ſolum opulenti & diuites ſed uel hoc ſolo nomine glorioſi, quorum nomen etiam nunc celebratur: Velut Plato, Ariſtipus, & Ariſtoteles. Nec noſtro tempore defuerũt etiam cum mendace illa Aſtrologia qui ſibi rem pinguem familiarem parauerunt. Quid ſi ueram artem calluiſſent? Non'ne Thraſybulum ditauit Tiberius Cæſar, cuius etiam arbitrio atq; conſilijs orbis imperium agebatur. Ergo Ptolemęus hoc docere nos uoluit, artem non per ſe eſſe lucroſam, ut medicina & mercatura, neq; ad humanam gloriam natam quemadmodum militia & Iuriſprudentia, ſed ipſa quidem dum pręſcire docet, nihil uetat quin utilis ſit ad omnia bonorum genera comparanda, ſcilicet diuitias, honores, amicos, & reliqua. Hęc uero cum notiſſima eſſent Ptolemæus prętermiſit. Nam quemadmodum Galenus de Hippocrate inquit, in libris quos de Difficultate ſpirandi conſcripſerat, ita nos de Ptolemęo exiſtimare oportet: nihil, ſcilicet, illum ſcripſiſſe commune aut uulgare, ſed omnia ſingularia atq; recondita. Itaq; ſubijcit, nullius rei quę alicuius ſit momenti hęc diſciplina uel accuſat uel accuſari poteſt. Quod uero ita ſit, & quale ſit id in quo accuſatur, ijs planè uerbis edocet.

TEXTVS XXIII.

Hoc enim tantum dici audimus, ſuperuacaneam eſſe cognitionem earum rerum futurarũ quæ ineuitabili modo futuræ ſint, & dici ne hoc quidẽ diſertè. Neq; enim etiam in ijs rebus quę neceſſario accidunt, ignoramus ſubitis & inopinis aduerſitatibus animos magnopere percelli, & ſucceſſibus extolli. Sed pręuiſio futurorũ animũ componit & moderatur meditatione abſentium tanquam pręſentium, & pręparat ad excipienda uentura cum tranquillitate & conſtantia.

Cum res futurę neceſſario ſint uenturę ſuperflua eſt pręcognitio illarum eo argumento Phauorini quod ſæpius declaratum eſt. Reſpondet igitur Ptolemæus, hoc neque diſertè dici, ſic interpretatur Ioachimus Camerarius qui primos hos duos Ptolemæi libros in latinam uertit linguam, poſtremos autem duos qui difficillimi ſunt Antonius Gogaua Grauienſis qui & priori ſubſcribit duorum primorum librorũ conuerſioni. At nobis certè iter agentibus codex Græcus non adeſt, curabit tamen tametſi diligentiſſimè translatus ſit ab his Germanis ut antequam ædatur Græcè orationi cõferatur, præſertim in his locis ubi uarietas dictionum ſenſum peruertere poſſit. Cum enim nunc iam Lutetiæ proximiſimus facilè erit codicem recuperare. Itaq; pro diſertè, efficaciter aut bene, imò uerè interpretabimur. Nã, inquit, inopinata mala magis affligunt præuiſa minus: Vnde etiam carmen illud uulgatum eſt:

Et præuiſa minus tela nocere ſolent.

Quantum uero ad felicitatem pertinet, quod Phauorinus in malum uertebat, bonũ egregium Ptolemæus eſſe contendit, ſcilicet ſucceſſibus non extolli. Sed moderatè utranq; fortunã ferre. Et aſſignat rationem, quia cum futura certò expectãtur, iam ſunt tãquam præſentia, cunq; aduenerint, quaſi iam præterita ſint, animum diuturna cogitatione fatigatum non ſecus ac præterita quorũ iam memoria delituerit diuturnitate temporis, parum aut nihil mouent aut mutant. Itaq; fit ut uentura mala cõſtanter, & bona tranquillè ac moderatè ſuſcipiat. Neq; enim ſolis malis repentinis animus humanus perturbatur & deijcitur ac cõſternatur, uerum etiam bonis. Adeò ut Galenus recitet hiſtoricíq; alij plures quoſdam repentina lætitia ſubito perijſſe, omitto quod futuræ felicitatis certa expectatio deliniat animum, & in aduerſis præſentibus multum afferant medelæ: Cum etiam ſola ſpes quæ ſine certa expectatione eſt non parum iuuet miſerijs afflictos. Accedit quod præuiſa bona fortuna homi

nem

nem non reddit alijs intollerabilem. Repentino enim aduentu fauſtitatis animus elatus amicis & affinibus grauis redditur. Et hæc eſt cauſa cur qui ex humili loco ad magnam fortunam aſcenderunt, ambitioſiores & difficiliores illi ſint, qui è magna nobilitate eo potentiæ peruenerunt. Excipiuntur etiã occaſiones illæ paratis magis rebus ut duplo iucundiorẽ, ornatiorẽ, ſplendidumq; atq; accõmodatum uſum felicitatis præbeant. Tot igitur tantisq; modis præuiſa bona non præuiſis præſtant, etiam ſi auerti neq; hæc neq; mala poſſent. Verum utrunq; poſſe nunc demonſtrabitur.

TEXTVS XXIIII.

Non autem exiſtimandum eſt omnia à ſupernis cauſis in res recta humanas deriuari, tanq; inuiolabili, & diuino quodã edicto propoſito ſingilatim, ut nulla alia uis obſiſtere quin ita illa graſſentur ualeat. Nã ipſe quidem cœleſtium corporum motus ſempiternus eſt, & procedit diuino & inuariabili ordine & lege. Inferiora autem mutationibus ſubijciuntur de ſuperioribus quidem & primis cauſis, ſed accidit hoc illis per conſequentiam legis, & ordinis naturalis, & uariabilis.

Motus quidem cœleſtium corporum & influxus eorum in hæ inferiora ſempiternus eſt, & ordine procedit ac lege diuina, neceſſariusq; eſt. Verum non ita ut à ſuperioribus procedũt, ſic ab inferioribus recipiuntur, ſed ut fortuita & mutabilia & quæ euitari, peruerti, augeri, ac minui poſſint, non quidem ſuperiorum corporum cauſa, nam ipſa ut dixi ſunt immutabilia & neceſſariam habent actionem in hæ inferiora, ſed meritò inferiorum ipſorum quæ inconſtanti materia ac ſemper fluente compoſita ſunt. Non igitur quæ ab aſtris decernuntur ſunt neceſſaria, ſed neq; æqualiter fortuita: quędam enim ſunt neceſſitati proximiora magis, quędam minus. Quod etiam in rebus ipſis quotidie ſpectare licet, ut de morbis, cõtentionibus, negotiorumq; difficultatibus. Atq; hæc in ſequentibus proximè declarat.

TEXTVS XXV.

Præterea ſunt quę hominibus accidunt circunſtantia aliqua generali, non autem ex uniuſcuiuſq; naturali & propria conſtitutione, ut ſi qua ingenti & ualida aëris conuerſione, totę gentes intereant, ſicut fit in ardoribus, peſtilentia, diluuionibus, cum ſemper minor cauſa maiori ſuccumbat. Alia autem eueniunt ſingulorum peculiari & naturali conſtitutione, per exiguas & faciles aëris contrarias affectiones. Quibus hoc modo diſertè cognitis, perſpicuum fit, quod quęcunq; à prima cauſa uel in uniuerſum uel ſingulatim moueantur, hæc inuariabili modo procedere, cum illa inſuperabilis ſit & omni contranitente ui præſtantior. Quę autem aliter ſe habeant, eorum quibus contrarię affectiones contigerint, facilem eſſe conuerſionem, quibus uero defuerint illa primas cauſas ſequi. Hoc uero fit in ſcientia hominum, non illarum neceſſitate & potentia. Quod ipſum animaduertere eſt ſimiliter geri in omnibus quibus naturalia ſunt principia. Nam & ſaxa, & germina, & animantes, atq; inſuper etiam uulnera, & morbi, & ægritudines, partim neceſſarias affectiones, partim ex eo quod contrariam habet effectionẽ dependent. Atq; ita exiſtimari par eſt, naturæ ſtudioſos prædicere hac ſcientia euẽturas res hominibus non inanitatem quandam opinionum ingredientes. Quæ enim habẽt multas

& ingentes effectionum uires, euitari nõ possunt, cum alia quibus illud non accidit facilè conuersiones admittant. Hoc modo & medici si qui in notandis morbis exercitati sunt, planè præuident qui letales sint, quiúe curabiles. De his igitur quæ mutationibus obnoxia sunt, ita audiemus differentem Genethliacum, ut si uerbi causa, talẽ orationẽ habeat. Quoniam talis est de qua loquor constitutio, fiet si proprietates aëris tali modo cõuertantur, magis quidẽ aut minus ad subiectas congruentias, ut illinc talis quispiã morbus existat. Eodem modo & medici prædicunt de ulceribus, quæ uel ut serpant, uel ut putrescant, futurum pronuntiant. Similiter & de metallis exemplum dari possit, ut si quis doceat lapidẽ Magnetem, id est, Herculanum, ferrum ad se trahere. Nam quemadmodum horum utrunq; per se tendit rectam uiam, in quam à primæ illius naturæ ui rapitur, si relictum sibi sit, ignoratione contrarię effectionis, sed si medicinam contrariã ulceri opposuerimus, neq; illud iam serpet, neq; putrescet, neq; lapis Herculanus illito allij succo iam ferrum attrahet. Sicut igitur hęc obsistunt, & contrarias effectiones inducunt naturaliter & fatali lege, ita in his quoq; rebus fit de quibus loquimur. Ignorata eñ aut prę-uisa quidẽ, sed neglecta tamẽ ea quæ hominibus euenire debeãt, haud dubiè seriem primæ illius naturę sequunt̃, prę uisa autẽ & sortita curã, naturaliter & fatali etiam lege aut auertunt̃ penitus, aut lęuiora efficiuntur.

Haly rectè inquam mihi dicere uisus est Ptolemæũ per hæc uerba ostendisse maximã in rebus diuinis atq; humanis sapientiam. Nanq; profectò maximarum rerum & quę pluribus etiam sapientissimis uiris difficultatem pepererũt notitiam tradidit, humanas leges atq; diuinas cum naturalibus rationibus euentibusq; ipsis, tum astronomicis iudicijs concordans. Itaq;, inquit, quædam sunt influxus generales qui toti uni genti pertinent uelut pestis, inundatio, annonæ penuria, æstus ingens, atque hæc cum à uehementissimis & primis causis fiant euadere non licet. Sunt enim à potestate & uí quæ cõparem non habet in his inferioribus resistentiã. Vnde manifestum est quare in sacra scriptura scriptũ sit, cor Regis in manu Dei est, quocunq; uoluerit uertet illud. Sit enim, gratia exempli, ut Deus uelit affligere bello aliquo ingenti & clade Germanos, cor Cæsaris & Regis Gallorum cœli medio & magnarum coniunctionum ac generalium congressuum seu constellationum. Ita enim clarius hoc nomine res ipsa explicatur, disponet ut pacẽ nolint inter se. Atq; ita Regum corda cum ad eorum uoluntatem pertineat regiones bene uel malè tractare, regionum autem accidentia generalibus subijciantur congressibus syderum, necesse est ut etiam corda Principum à generalibus cœli constellationibus gubernentur. At cor humanum tantæ uiolentiæ resistere non potest. Patet igitur cur corda Principum & mentes magis necessitati syderum & diuinæ uoluntati subiaceant, priuatorum autem sint magis libera. Hæc autem necessitas cordis Principis quæ annexa est diuinæ uoluntati, est necessitas effectus & non peccati. Quãobrem non tollitur libertas arbitrij. Et ob id nihil absurdum contingit etiam apud illos qui omnino liberã uoluntatẽ nostram esse affirmant. Ex hoc quoq; clarum est cur in superioribus uerbis Ptolemæus dixerit hãc scientiam diuina docere cognoscere, hoc enim diuinũ est prorsus quod nuper diximus, scilicet quod quædam eueniunt fatali necessitate, quædam uero ita ut declinari possint, ueluti si quis sit in mari cum tempestate, quamuis periculum præuideat non tamen euadere poterit, at uero in flumine natandi peritus, aut periculi gnarus seruabitur, alius uero minimè. Similiter & illud diuinum est quod omnino est necessarium,

quodq;

quodq; euitari non potest à diuina mente perfectum. Est etiam aliud argumẽtum, generalium horum decretorum præter id quod sumitur à pestilẽtijs & inundationibus, & bellis, & sterilitate, & terræ motibus, quæ quidẽ non nisi in hos generales influxus referri possunt, & hoc quidem Velleius Paterculus egregius rerum Romanarũ scriptor in primo uolumine historiæ Romanæ descripsit his uerbis: Quis enim abunde mirari potest, quod eminẽtissima cuiusq; professionis ingenia, in eandem formam, & in idem arctati tẽporis congruens spatium, & quemadmodum clausa capsam alioq; septo diuersi generis animalia, nihilominus separata ab alienis in unum quoq; corpus congregantur, ita cuiusque clari operis capacia ingenia, in similitudinem & temporum & profectuum semetipsa ab alijs separauerunt. Vna neque multorum annorum spatio diuisa ætas, per diuini spiritus uiros, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illustrauit Tragœdias: Vna priscã illam & ueterem, sub Cratino, Aristophane & Eupolide, Comœdiam, ac nouam comicam Menandrus, æqualesq; eius ætatis, magis quam operis Philemon ac Diphilus, et inuenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia, omnium quos paulò ante enumerauimus, quanto post Platonis Aristotelisq; mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem? quid post eius auditores eorumq; discipulos clarum in oratoribus fuit. Adeò quidem arctatum angustijs temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero uideri quiuerit. Neque hoc in Græcis quam in Romanis euenit magis. Nam nisi aspera ac rudia repetas, & inuenti laudanda nomine, in Accio circaque eum Romana Tragœdia est. Dulcesq; Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumq;, & Afranium sub pari ætate nituerunt. Historicos, ut & Liuium quoque priorum ætati astruas, præter Catonem & quosdam ueteres & obscuros, minus LXXX annis circundatum æuum tulit: ut nec poëtarum in antiquius citeriusue processit ubertas. At oratio ac uis forensis, perfectumq; prosæ eloquentiæ decus, ut idem separetur, Cato pace, P. Crassi, Scipionisq; & Lælij, & Gracchorum, & Fannij, & Serui Galbæ dixerim, ita uniuersa sub principe operis sui erumpit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari uero neminem possis, nisi aut ab illo uisum, aut qui illum uiderit. Hoc idem euenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribusque, ut quisque temporum institerit notis, reperiet eminentiam cuiusque operis arctissimis temporum claustris circundatam. Huius ergo præcedẽtisque seculi ingeniorum similitudines congregantis, & in studium par, & in emolumentum, causas cum semper requiro nunquam reperio, quas esse ueras confidam, sed fortasse ueri similes, inter quas has maxime. Alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit, naturaq; quod summo studio petitum est, ascendit in summum, difficilisq; in perfecto mora est: naturaliterq; quod procedere non potest, recedit, & ut primo ad consequendos quos priores ducimus, accendimur, ita ubi aut præteriri, aut æquari eos posse desperauimus, studium cum spe senescit, & quod adsequi non potest, sequi desinit, & uelut occupatam relinquens materiam, quærit nouam, præteritoq; eo, in quo eminere non possumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus, sequiturq; ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit. Transit admiratio ad conditionem temporum, & ad urbium. Vna urbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quam uniuersa Græcia, operibus floruit, adeò ut corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates, ingenia uero solis Athenien sium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmonium, Oratorem, aut dum uixit authoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum, quæ urbes & multæ aliæ talium studiorum fuere steriles, nisi Thebas unum os Pindari inluminaret. Nam Alcmana Lacones falsò sibi uindicant. Rectè quidem me hercle feciſſet Paterculus si tam pulchrè difficultatem dissoluisset quàm dubitauit, nam neque id facere poterat citra huius artis præcepta, cum non ob id solum desinãt simul ac simul floreant, quod ad apicem artes producantur, & studia uirorum elangueſcant, cum uideamus

in uno & eodem genere plures posse eminere principes. Qui fit ergo ut post Virgilium alius facta Romanorum non tam egregiè canere potuerit quam ille Troiano rum, præsertim quod res ipsa maius suggereret argumentũ? Et quale fuit inconueniens quod Virgilius si uita superfuisset cuius mens erat ad tempora Augusti peruenire medijs quidem iuxta Flacci sententiam:

Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici
Pleraq; differat & præsens in tempus omittat,
Hoc amet hoc spernat promissi carminis author,

Et rursus.

Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus, ac notas auditorem rapit, & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Sublatis alijs properantem ad Augusti tempora quempiam alium quod ille facere sperarat facere potuisse. Et melius sanè quandoquidem, teste Quintiliano, multum ab Homero Virgilius deficiat: nec linguæ uitio quandoquidem Demosthenes à Cicerone eodem teste superetur. Deinde cum uideamus res quæ à syderibus proceduntex generalibus constitutionibus non unas esse, sed multiplices. Nam aduenien te Sole, gratia exempli, ad nos, non solum herbæ pululant, sed & arbores florent ac germinant, aues nidificant, quadrupeda ad Venerem incitantur, serpentes è latibulis exeunt, pisces gregatim loca mutant, adeò ut flumina quædam maritimis impleantur. Veluti id quod per Lugdunum transit quod Ararim esse putant, alij uocant Sequanam, piscibus quos illi appellant Loxas tanta multitudine, ut uideatur flumen ipsum totum plenum. Similiter & homines lætantur. Idem in Lunæ contingit affectibus. Non enim solum in plenilunijs turgent maria, sed & cancri pinguescunt, & ligna redduntur uiuaciora, & morbi plerique ingrauescunt, & talia multa. Cum igitur eodem tempore non unm genus artis floreat utpote militaris disciplina, poëlis, eloquentia, pictura, plastica, musica, medicina, philosophia, simul quoque desinant, ut Alexandri, & Augusti, & nostra etiam ætate, cum tamen ab Augusto ad initium nostræ florentis ætatis, quod fuit circa annum salutis M CCCC XL. fluxerint anni inter medij circiter mille quadringentos, nihil egregium pro miraculo natura produxerit in lucem præterquam Antonini tempore cum tunc etiam floruissent simul Alexander Aphrodiseus, Ptolemæus Pelusiensis, & Galenus Pergamenus, & parum ante id etiam C. Plinius, & Plutarchus Cheroneus Traiani magister, manifestum est ex generalibus constitutionibus cœli principaliter ista pendêre. Non inficiamur etiam aliquid in rem facere quæ adducuntur à Paterculo. Sed iam ad textus expositionem deueniamus.

Inquit igitur (Præterea sunt) id est, sunt quædam constitutiones generales adeò potentes, in quibus homines per graues continentis affectus, scilicet terræ, aquæ, & aëris superantur. Veluti quis habeat genituram felicis ac diurnæ uitæ, contingat terræmotus in urbe sua qui totam diruat ciuitatem, aut inundatio, quomodo is seruari poterit? Verum in propriis affectibus cum per aëris constitutiones debiles fiant, contrarijs causis licebit obniti. Deinde docet quod quædam fiunt à prima causa generaliter, uelut cum tota urbs uel prouincia opprimitur, aut cum singulatim pluribus mala eiusdem generis contingunt, ueluti anno salutis M D XXVIII. morbus epidemius & pestilens generalis uniuerso orbi, non tamẽ uni ciuitati, sed singulatim quibusdam ubiq; uexauit humanũ genus. In his ergo ambobus generales cõstitutiones dicit fati necessitate alligantur. (Quæ autem) intelligit quatuor genera influxus duo iam dicta quæ permutari nequeunt, & tertium iam dictum quod à propria pendet genitura, & potest cõuerti studijs ac diligentia hominũ. Quartũ genus est illorũ qui nihil habent propriũ tunc, & hi sequuntur primã causam, & hic declarauit magnũ secretum, de quo inferius dicam. Dicit autẽ quod tales euentus fiunt in hoc quarto genere

propter

propter ignorantiã hominum, & non propter uim causæ uniuersalis sicut in alijs duobus. Probat autem hoc ibi: (Quod ipsum) Quia & in morbis, & in rebus naturalibus, quædam sunt per se insuperabilia, quædam possent superari uel deduci ad effectum, quæ tamen non superantur neq; ad effectum deducuntur, propter ignorantiam. In quibusdam uero diligentia, fortitudine, & scientia, (nam hæc tria scientiæ nomine intelligit) decretis contrarijs astrorum occurrimus. Et propter hoc qui fortes sunt, solliciti & prudentes, felices sunt plerunq;, nam multæ eueniunt occasiones præter illas generales quas uir industrius arripit, & in commodum suum uertit. Vt contra negligens & stultus aut diffidens prætermittit. Vnde etiã patet quod triplo plures necesse est esse infelices quàm felices, quia ad felicitatem tria illa omnia sunt necessaria, ad infelicitatem unum solum defficere, sat est. (Quę enim) Dicit igitur quod in ineuitabilibus non est utilitas quantum ad consilium. (De his igitur) Instruit Astrologum futura prædicentẽ sic: Si talis constitutio quæ tum ab astris pendere uidetur fiat, tales morbi euenient: Veluti si Mars in Leone sit cum Sole calorem & siccitatem immensam produci consentaneum est. Hæc si producantur perseuerentq;, multas acutas febres parient illo loco magis, uel illo minus: utpote in perflatis ab Austro quàm ab Aquilone magis, & plus in uiris quàm in mulieribus, & bilijosis & exercitatis quàm pituitosis & in otio degentibus, & in his qui multo uini potu utuntur, & maximè potẽtis, & aromatibus quã qui cõtrarijs, & in pestilentibus locis pestilentes ut in Anglia & Flãdria magis quã in India, & alijs salubribus locis. (Eodẽ modo) Declarat hoc per duo exẽpla notissima, alterũ de medicis qui dicũt ulcus hoc ad cancrũ & sphacelon perueniet nisi medicina contraria adhibeatur: & similiter lapis Herculeus ferrũ trahet nisi succo allij illinatur, sequutus potius in hoc communem opinionem quam rei ueritatem. Declaratum enim est à nobis in libris de Subtilitate, hoc experimentũ esse falsum de succo allij. Nam nihilominus lapis Herculeus ferrum trahit, quamuis perlitum allij succo, quam antea. Sed exempla dantur non quia ita sint, sed ut intelligant qui docentur. (Sicut igitur) Per fatalem legem intelligit naturalem quæ à nulla alia peruerti potest, nisi potentiore alia naturali. Velut fluminis aqua necessario inundationem pariet nisi aggeribus ripa muniatur. Hoc enim necessarium est, aquam turgentem effundi in humiliorem ripam & campos ei adiacentes: Sed & istud magis necessarium terram plus posse quàm aquam, & ideo aquam non effundi. Dixit aũt hoc, scilicet naturales esse fatales, ut à uoluntarijs actionibus distinguantur, quæ necessariæ non sunt. Nam uoluntas mutatur etiam per se, quod uero à natura fit non nisi à potentiore causa alia naturali impediri potest. Dicit igitur quod sicut naturalibus affectibus morborum & Herculei lapidis occurrimus alijs causis naturalibus potentioribus seu necessarijs (melius eñ ita erat uertere κατ' εἱμαρμένην, quam fatali) occurrere licet. (Ignorata enim) Dicit quod seu ignorentur causæ istæ generales seu negligantur, hoc autem dupliciter fieri contingit, ut dictum est, uel diffidẽtia, uel socordia, seriem primæ causę sequuntur: & homo prælio cadit, uel suffocatur aquis, uel peste moritur, quòd si præuideat & curã adhibeat euadere poterit, aut infortunium lenire. Dixit commentator circa hoc pulchram sententiam: Si præuideamus quod futurum est & occurramus, duorum alterum sequi necesse est, aut ut effectus impediatur, & tunc habebimus utilitatem contra illos, scilicet qui negant artem esse utilem, aut non impedietur, & ita ueri uates iudicabimur, eritq; scientia uera, & ita duarum opinionum quæ astrologiæ contradicunt una alteri repugnat. Nam si occurramus præuisis malis & non sequatur effectus, utilis erit hæc scientia: si omnino sequatur, erit necessaria. Verum ex his nobis insinuat Ptolemęus duplicem esse causarum connexionem, unam quidem stellarum ad continentem in primis qualitatibus, altera quæ est continentis ad singulares effectus, utpote pestilẽtiæ, belli, penuriæ annonæ, & hanc secundam connexionem uult esse ualidiorem prima, non quidem in se, hoc enim impossibile est, quia causæ quanto primæ sunt proximiores, tanto sunt potentiores, ideo cœlum plus influit in continens quàm cõtinens in homines, uel animalia, sed hoc dicit, quia ut sciuerimus affectum cõtinentis, nihil est quod possit impedire opus illius in

nos uel in animalia: Quia uel erit consiliũ hominũ, uel cœlum, uel ipsum continens. Consiliũ hominũ imbecillius est, ut declaratũ est, quã ut possit resistere generalibus causis. Continens non agit nisi uirtute cœli ut docuimus, hancautẽ iam recepit, cœlum non potest prohibere quoniam nõ agit nisi medio primarum qualitatum, & has iam produxit, nec potuerunt impediri. Concluditur igitur quod fatalis lex seu naturalis quæ generalis est, & à generali cõstitutione cœli proficiscit, firmior est quo ad nostrã cognitionẽ pertinet, ea quæ proficiscitur ab astris in hæc inferiora. Quia cum astra sint plura & multa ex illis penitus incognita: aliorum uero quæ cognita sunt natura non prorsus sit perspecta, & quorũ prorsus perspecta sit etiã non sit modus exquisitè cognitus, uel etiã dubius, utpote an per circulũ positionis, an per locũ, an per antiscia, an per eandẽ declinationem stellæ agant. Item cum sit de locis dubitatio in nonnullis, ut maxime Mercurio, Marte, & Saturno, tum uerò propter principia locorum & situs uarios, & proprios, affectibusq; quibusdã singularibus præditos & non exquisitè consideratos, & ipsa etiam principia incognita, his sex de causis cõtingere potest, ut Saturnus sit in Aquario, & Iupiter in Cancro cum Sole, & Mars in Leone, & tamẽ æstas sit tẽperatissima. Et si Astrologus prædicat eam futurã calidissimã, erit ridiculus. Et propterea consulit Ptolemæus ut Astrologus prædicat hoc modo: Quia Saturnus est in Aquario, & Sol in Cãcro, tum reliqua quæ diximus, ideò uerisimile est futurã æstatem calidissimã, puta in Italia. Et si talis fuerit erũt febres acutę, & etiam patientur fata & qui bilioſi erunt male se habebũt, & qui calidis & siccis utuntur cibis & uinis potẽtibus, & qui multũ exercentur, & erit penuria aquarũ, & pisces pauci erunt, & qui illis utentur lędentur. In primo igitur dicto plerunq; erit uerax Astrologus. Nam licet aliquando ut dixi possit cõtingere contrarium propter causas illi incognitas, nihilominus rarò istud cõtinget, imò rarissimè. In secundo autẽ erit semper uerax, scilicet quod si continget illa immensa caliditas, cõtinget & illa quæ dicta sunt. Non solum propter ipsam caliditatẽ, sed quia signum est causas ipsas caliditatis, scilicet astra, non impeditas iri.

Ex his colliguntur septẽ dubitationes celeberrimæ: Primũ, quod fuerit famosissimę & ab omnibus fermè antiquis sapientibus quæsitę. Secundũ, quod illis dissolutis apparebit ueritas ipsius Astrologiæ. Nã omnes qui illam oppugnauerunt, aliqua ex his septẽ difficultatibus ad illã oppugnandã usi sunt. Quod si eas diluerimus rectè, ut speramus, nemo tam huic artí infensus fiet, qui illi manum non det. Tertium, quia his cognitis tanq; principijs, ars tota constitui poterit. Quartum, quod horũ cognitio ad seriẽ rerũ naturaliũ cognoscendã, & Fati uim intelligendã, & ad sciẽdum quid necessarium sit in rebus naturalibus, & quid fortuitum, & quomodo liceat fortuitis occurrere, utilis erit. Prima igitur est, quænam dicatur constitutio generalis, & quæ propria: cum uideantur in cœlo omnia astra semper esse & moueri absq; alio principio: similiter quot sint illius genera:

Secunda, in quo differat constitutio generalis locorum à constitutione generali qua singuli homines afficiuntur.

Tertia, quomodo cum cœlũ sit absq; principio & rotundum, plus influat ex hac parte quã alia: & in hanc partem quàm aliam: cum uideamus in terra pluere hic, & procul decẽ millibus passuũ immẽsa affici siccitate, & rursus ad duo millia passuum imbres cadere, & hoc adeò uicissim, & per paruam distantiam ut mireris: similiter in partibus maris tanta uentorum uarietas & singulis horis, ut sit incomprehensibilis.

Quarta an generales constitutiones in cõparatione unius hominis sint potentiores illius genitura propria: cum uideamus morbũ letalem, quo quis moritur magis inexpugnabilem quàm pestilentem.

Quinta, an homo, gratia exẽpli, qui debet mori ex peste habeat aliquid necessario coniunctũ cum cõstitutione: Et si habet quomodo sit: tan ineuitabilis, sic ut talis connexio illum adigat necessario ad mortẽ: Et an ex mutatione loci quis debeat euadere à periculo: Et cur aliquæ cõstitutiones sint à quibus nulli euadunt, & aliæ à quibus euadant: Et cur illi qui euadunt euadant: Sexta, an in bello singuli qui moriuntur

riuntur genesim habeant constitutioni belli connexã? Et an ille qui est in bello extra patriã, uel in negotiatione, subijciatur genituræ secundũ locũ propriũ, aut secundũ locum in quo morã trahit? Et an electiones Regum, & initia dignitatum, & habitationis in alia regione sint obseruãdæ & potestatẽ habeant? Et an fortuita commigratio potestatẽ habeat, & quæ fit cum electione non habeat? Nã hoc multũ refert, quia si etiam electio tẽporis habitationis aliquid potest essent electiones ualdè utiles? et posset aliquis facere differẽdo uel accelerãdo partũ quod filius priuati nasceretur Rex aut Imperator? Et etiã dubitare cõtingit an reuolutiones reuolutionibus succedẽtes absque testimonio genituræ aliquid possint? & si possint, quid possint, & quantũ, & in quo genere? nam de uita haud uerisimile est. Septima, an nauis quæ submergẽda est aquis, habuerit hoc à principio cõstitutionis suæ uel à lignis? Et quãdo debeat intelligi principiũ in unaquaq; re? Et an artificialia et maximè quæ cõsilio fiunt, habeãt principiũ uerũ & recipiãt influxũ ab astris? Nã si hoc ita erit, euidẽtius electiones ualebunt, & forsitan etiã sigillæ? Quod si non, nõ. Hæc igitur cum totã artem cõprehendant, singula suis locis declarabũtur. Nã si uellemus hæc omnia hic declarare oportet in expositiõe unius huius cõmenti totã artẽ cõpleri: Et expositionẽ huius textus quæ satis p se prolixa est in immẽsum extẽdere & augere: Ideò ꝓsequamur in textu. *Lib 2. com. 2. et sequẽtibus.*

TEXTVS XXVI.

Cum autẽ, ut semel dicam, nihil interfit quod ad hanc uim attinet, inter generalia & singularia, mirum uideri possit, qua nam de causa in uniuersum quidem persuasum plerisq; sit, & prævideri illa posse, et prævisis utilẽ esse attentionẽ. Maxima enim pars hominũ fateri se quoq; uẽturas cognoscere, & annuorũ temporũ mutationes, & significatiões stellarum inerrantiũ, nec nõ Lunæ cõfigurationes. Adq; eam cognitionẽ nõ medio crẽ cautionẽ adhibent magna cura prẽparãtes ad æstus gelidifica, ad hyemes calidifica, omninoq; dant operã ut rerũ cunctarũ naturæ tẽperentur. Prẽterea quo rectiora fiant omnia, & in tẽporum cõuersionibus & tuto naues in portu soluant, obseruant significationes fixarũ stellarũ. In coitu autẽ pecorũ & sementibus cõfigurationes Lunæ augescẽte illius lumine, neq; quisquã inuentus est qui hæc dãnaret, ut quæ aut non obseruari possent, aut obseruata nihil afferrẽt fructus. Cur igit negant esse singulatim prævisionẽ, ex proprietatibus reliquarũ cõmistionum, ut æstus hyemsúe intẽtiores aut remissiores futuras, deq; itẽ uniuscuiusq; ꝓpria constitutione, uel quare inutilẽ ferè in his cautionẽ esse uolunt? Cũ manifestũ sit si ad generales æstus gelidis instructi minus illũ sentiãt, similẽ posse efficientiã esse etiã in singularibus rebus, quarũ cõstitutio augmẽta magnitudinis cõplectatur. Sed eñ omnis hic error ex eo nascit, quod ferè propter difficultatẽ in singulariũ prævisionibus parũ exercent, quæ res & alijs pene omnibus scientijs fidẽ detrahere solet, quodq; cõtrariæ effectionis uis negligit. Et qa non multũ inuenire est talẽ constitutionẽ & tam perfectã, cui nõ impedimentũ à prima illa natura obijciat, ideò opinio extitit, incõmutabiliter nobis uniuersa & ineuitabili modo penitus immitti. Verũ sicut ipsa ꝓuisio, & si nõ nusq; incurrẽs, tamẽ qa aliqua sit, digna summo, nisi fallor, studio uidet. Ita etiã de attentione faciendũ iudico, ut quamuis non cuncta sanare possimus, tamen quæ possimus seu magna siue parua,

in his libenter & grato animo illam amplectamur, & non uulgaris lucri instar ducamus ipsius factam nobis copiam.

Proponit Ptolemæus fundamentum ex uniuersalibus, uolens demonstrare singularium etiã esse artem præsciendi futura. Vniuersale autem tripliciter dicitur, aut quod multa continet, ut populus, gens, prouincia, ciuitas, & hoc est plerunq; minus notum singulari, nec de hoc intelligit author. Est etiã uniuersale quod dicitur de multis quod consideratur à philosopho naturali & dialectico, & hoc quandoque potest esse notius singulari. Tertio modo pro cõmuni & indiscreta cognitione ut hic capitur: Argumentum igitur est generales constitutiones sunt notæ & utiles iudicio omnium hnminum, ergo singulares. Quæ autem sint generales constitutiones declarat tribus pulcherrimis exemplis: Primũ de tempore, & hoc dicit pendere à Sole. Nã scimus certò æstatem & hyemem futuram, & ita etiam fit utilis hæc cognitio, quoniam homines præparant ligna, & uestes ad temperandum frigus hyemis, & umbras ac porticus & aulas ad temperandum calorem æstatis. Secundum exemplũ est de nauigatione, in qua cauemus congressum Lunæ cum stellis fixis quæ tempestatem inducunt, ut sunt Orion & Arcturus. Igitur hæc est scientia & utilis. Tertium est in serendis seminibus, plantandis & inserendis surculis, & admittendis iumentis, porcis & ouibus, & fouendis ouis in quibus quæritur plenilunium. Hoc igitur præsciri potest, & utile est. Igitur, inquit, etiam singularia præsciri possunt. Singulare appellat certam rei quantitatem & mensuram, quæ per reliquorum astrorum errantium mistiones figuras & affectus fiunt. Ex hoc patet trium generum maximè illustres esse effectus, & qui ab antiquis non negarentur, Solis, Lunę, et fixarum stellarũ insigniũ, magnitudine uel situ propinquo uiæ per quam Sol graditur.

Sed enim docet causas tres, quare singularis cognitio negligatur: Vna, quia existimant illud quod aduersatur (puta Saturni frigiditatem) calori Solis, esse minimã & insensibilem, atq; ideò contemnendam, & ita de calore Martis uel Iouis. Secunda, quia scientia istarum stellarum in situ, motu, & loco est difficillima, ideò ut reliquarũ scientiarũ, quamuis etiam utilium ad comparandas diuitias partes difficiliores prætermittũtur, uelut in medicina dissectio tuta in ꝓfundis partibus quæ supponit scientiã locorũ musculorũ, uenarum et arteriarum. Et in Geometria scientia conoydalium corporum, & coni sectionum. Et in Musica Enarmonicum diatessaron. Tertia causa est, quia quidam putant uim primæ causæ seu naturæ esse adeò potentem ut possit auertere quęcunq; uelit. Et intelligit secundũ Haly per primã naturã stellas fixas: Aliter posset intelligi Deus. Verum cõmentator aliter interpretatur, scilicet quod rarò (id significauit Ptolemæus per non multum) contingit, ut talis cõstitutio peruertat quod ex principio decretum est. Vnde factum est ut homines existimauerint, cũ tam rarò cœli decreta soleant peruerti, ut cuncta necessario fieri arbitrentur. Cunq; parum hoc ad artem pertineat, non laborabo ut doceam quid magis Ptolemæus per primam naturam intellexerit.

(Verum sicut) Declarat quod quemadmodum in medicina quamuis non omnia curare possimus in his in quibus potest, siue magna sint, siue parua, quasi dicat, siue multi seruari possint ut in salubribus morbis, seu pauci sicut in pestilentibus, pars ea tamen medicinæ non est negligenda. Ita in Astrologia quamuis non possimus occurrere omnibus, non debemus eam utilitatem negligere. Sicut etiam illius scientiam quod quandoq; (incurrẽs ille uertit) aberrans sit, non debemus paruipendere: Sed loco non uulgaris lucri ducere illius factum nobis esse copiam. Atque hæc cum cõmuni consensu hominum & ratione demonstrauerit, ad authoritatem sapientum Aegyptiorum se conuertit.

TEXTVS XXVII.

Quę omnia ita ut exposuimus sese habere cum & Ægyptij intellexissent, à quibus maximè auctam huius artis uim scimus, adiunxere ubique astronomicis præuisionibus medicinę præcepta. Neq; illi constituissent expiationes & auersiones, & curas eorum quæ ab aëre uel inciderent, uel imminerent,

immineret, et in uniuersum et singilatim, si in ea opinione fuissent, ammo ueri illa aut auerti nullo modo posse. Nunc uero quę contrarias effectiones in ordine naturę habeant, quasi secũdo in loco fati ponentes, coniunxere cum pręuisionis ui, ad usum & fructũ omnium, uiam præceptionũ quas illi uocant cõpositiones iatromathematicas, quę uox signficat conjunctionẽ rerum medicarum cum mathematis. Qua ratione astronomia quidem declararet subiectarum constitutionũ proprietates, & quid casuum cœlũ circundans nos intenderet, & suas quorumq; causas, nam sine horum cognitione opem certã ferri posse non sunt arbitrati, quippe qui scirent non eandem omnibus corporibus aut morbis cõuenire. Sed medicinę scientia hoc efficiebat, ut & futuri mali auersio, & pręsentis curatio quo ad eius rectissimè fieri posset, de concordibus aut contrarijs singulorum effectionibus existeret.

Probat igitur illorũ authoritate scientiã astronomię bifariam esse utilem. Primũ quod ipsi cõstituerint iatromathematicã scientiam, id est, scientiã ex medicina & astronomia: ueluti si quis, gratia exempli, laboret, obseruabant horã qua incipit ægrotare, & similiter ad quẽ locum directio significatoris uitæ peruenisset, & ex his morbi naturã statuebant atq; inde curã ex his cõstituebant à medicina sumptã eo axiomate, quod contraria cõtrarijs curantur. Alio modo docebant qui nam futuri morbi essent per astronomiã, futuros morbos, atq; homines cõtrario regimine uitæ instituebant, ut sic tuti essent ab imminenti periculo: dicit igitur, quid profuisset hæc diligentia, gratia exempli, quod Mars & Saturnus cum Sole in Leone æstate futura coiturĩ, debeant producere febres ardentes & maximè siccas acuenenosas, & ob id utẽdum esse humidis, & cordi utilibus medicamentis, si omnino nihil hæc diligentia profutura erat neq; ad tollendos, neq; ad auertendos, neq; minuendos morbos. Et quãuis de morbis etiã factis hoc intelligi posset, attamen ut etiã Haly rectè interpretatur, de futuris tantũ loquitur. Secundũ exemplũ est de expiationibus & auersionibus quæ hodie etiam in usu sunt, dum supplicationes populi & sacerdotes præsertim imminente siccitate, aut imbribus fatigati celebrant. Sed tunc multò antea quã fierent, Astrologia edocti procurabãt, nunc uero non nisi iam malo ipso perculsi atq; edocti, talia facere solent. Intelligit autem per expiationes preces ad Deum atq; sacrificia: per auersiones, magica quædam quæ grandines aut pruinam à campis auertere credebantur, per curam uero quod ex arte rustica est, ueluti si frigus immineat ingens, malorũ punicorum arbores palea circuncinguntur: Si carbunculus uitibus, serius putantur, procurandumq; est ut serius germinent. Namq; si non turgent plantæ ac germinare properant uix hoc malo pereunt. Propter quæ morus arbor raro perit q̃d sero pariat germen, ultima quippe est omnũ arborũ, & ob id sapientissima appellata. Quod uerò de Aegyptijs adiecit quos auxisse artem refert, intelligit tum illos tum affines illis quasdã prouincias, ueluti Chaldæos, de quibus narrat Suetonius in Nerone prædixisse illi imperiũ et paricidiũ matris, q̃d cum illa audisset, dixit, occidat cũ imperet. Ex his fuit Thrasylus q imperiũ Tiberio exuli prædixit, nimis magnus authoritate, quod Tiberius flagitiosè uixerit: Et C. Caligulæ Sulla Astrologus necem similiter & imperium atque utrunq; insperatum: Atque hic maxima etiam authoritate uixit. Infelicior fuit Ascletarion sub Domitiano, sed inlustrior euẽtu duplici atq; exquisitissimo, ex hoc genere fuit etiam qui Gordiano Imperium per instrumenta tempusq; prædixit. Vt appareat Chaldæos atq; Aegyptios hac in arte supra fidem fuisse celeberrimos. Quorum scripta cum collegisset Ptolemæus, in hunc librum compegit, sed tam breuiter, ut maxima pars artis desideretur. Præstabat enim quemadmodum & præstãtissimus Hippocrates postq; ex singularibus artem cõpegerat, librum etiã

& singularium

& singularium exemplorũ epidemijs correspondentem conscribere. Multum enim attulisset lucis ad intelligendũ ea quæ hoc in libro scripta sunt, simulq; fidei aduersus illos qui artem inanem esse declamitant. Sed hoc nos in Ephemeridũ Supplementis facere conati sumus. Nam neq; hoc efficere opus est cuiusq;, sed eius primũ tantum qui in omnibus bonis disciplinis, quemadmodum superius diximus, fuerit exercitatus. Secundũ qui diligenter ea quæ Ptolemæo atq; alijs scripta sunt, legerit & fuerit meditatus. Tertiũ, qui multa diuersis in disciplinis feliciter conscripserit, ne authoritas exemplis desit. Quartũ, ut sit hac in disciplina exercitatissimus, ut opere ipso præstare possit quæ docẽdo pollicetur. Quintũ, ut sit uerax, ne fides in scriptis desideretur. Sextũ, ut sit grauissimi iudicij, tum ut sciat quid ex unaquaq; seligendum constitutione seu generalis fuerit, seu Genethliaca, tum ut sciat distinguere ueras à falsis geniturας, cum plurimi delectentur falsas offerre, ut uel Astronomos probent, uel illudant eis: Est etiam ex usu iudicij grauitas, ut solum rara & uulgaribus Astronomis incognita doceat, quemadmodũ Hippocrates in medicina fecit. Quantum profuisset genituræ Domitiani exẽplum atq; Neronis, cum temporũ indicationibus habuisse, non solum ad gloriã artis astronomicæ, uerum ad ipsam disciplinã excolendam amplificandamq;, quas quidem Ptolemæum habuisse uerisimile est, quod proximus ei ætati fuerit & ipse prædiues, sed neglexisse uisus est. Periere & multa illorum monumenta, siquidem Chaldæorũ & Aegyptiorum, quæ in Iulij Firmici manus peruenerũt, quãobrem & ex eo multa seligemus transferemusq; in alium librum, maxima tamen cum difficultate, quod cum ille purus esset grãmaticus expersq; omnino huius artis, non solum omnia absq; iudicio, bona, mala, falsa, uera, ex toto & ex parte ueritatem cõtinentia, cõiuncta disiunctaq; in unũ absq; discrimine cõpegerit, sed quod multa non intelligens confuderit atq; corruperit, & quòd deterius est, suppressis undique nominibus, quæ si addidisset ut Aëtius in suo medico uolumine, & Galenus passim in libris de Medicamentis, (quoniã talia experimento constant) facilè fuisset coniectari, quantum unicuiq; præcepto, fidei esset tribuendum.

Quod uerò dicat (quasi secũdo in loco Fati ponentes) intelligit ut dixi præuisionẽ seu auxilia pro fato, id est, opere necessario naturæ q̃d uincit secundũ fatum, id est, minorem necessitatem, quæ ex astris habetur. Veluti si futura sit tertiana in æstate sequenti, purgaueroq; bilem ante, ususq; fuero lactucis & aqua lactis, & lymphato uino plane albo, necessitatem primam & certam quàm fatum hic exposuit ne tertiana hic adueniat, inducet, Astrorum uerò influxus secundi fati uim retinebit, quia necessitas illius ab alia necessitate opposita superatur.

TEXTVS XXVIII.

Verum de his ac summatim quidẽ hactenus. Nunc transeamus ad explicationẽ harum rerũ, ordientes ut in præceptionibus à primis, hoc est, quę sit cœlestiũ corporum & propria uniuscuiusq; natura & efficacia, ita ut tradidêre ueterũ naturales obseruationes, præq; cæteris de stellarum errantium uiribus, deq; Solis & Lunę disseramus.

Proponit ordinẽ tradendorum in hoc primo libro, scilicet de natura, inde de uiribus corporũ cœlestium, præcipuè autẽ Solis & Lunæ, inde errantiũ stellarum, & hoc secundũ traditiones ueterũ non quorũcunq; sed naturaliũ tantum, ut doceret nos cõtemnendas esse nugas illas quas postmodũ ex quibusdã sortilegis traduxere ad nos Arabes satis infeliciter artem corrũpentes. Per naturã uerò intelligit masculinos fœminosq; planetas, item diurnos ac nocturnos, tum uerò potestatẽ in signis, amicitiã & odium, quæ tamen non describũtur à Ptolemæo: Similiter & situs, & motus, & figuras ad Solem, & generaliter quæcunq; extra cœlum non extenduntur: Sed per uires quod calefaciant, infrigident, humectent, siccẽt, beneficę sint ac maleficæ, uẽtos aut imbres generent, diuitias aut paupertatem genitis, animos magnos aut humiles, aut auaros, aut sapientes, & generaliter quæcunq; ad hæc inferiora pertinent.

Caput

Caput quartum.

TEXTVS XXIX.

De uiribus stellarum errantium.

ANimaduersum est naturã Solis effectũ habere caloris paulatimq; siccitatis. Hũc nos etiã sensibus ꝓcipimus multo certius quã reliquarũ stellarũ, ꝓpter ipsius & magnitudinẽ, et euidentiã mutationũ tẽporaliũ, quandoquidẽ quo ꝓpius Sol accedit ad uerticalẽ nostrum locũ, eo magis ea quę diximus experimur.

Quoniam expositores hic præfari solent quædã atq; adeò curiosè, ut etiam circa titulum multa dicant, ideò & nos quatuor circa hunc præsentẽ textum faciemus: Primum quidem ponemus subiecta de quibus Astrologus considerat. Secundum exponemus titulum capituli atq; diuisionẽ affectuum planetarum & reliquorum. Tertio præfabimur quædã circa textus expositionẽ. Quarto & ultimo ipsum textũ explicabimus. Primũ igitur dico quod subiecta quæ Astrologus considerare debet sunt quatuor: Primũ sunt stellæ septem erraticę dictę, quod uarijs motibus moueri uideant manifestè, & etiã quod solæ uagẽtur, nam quãuis fixæ uarijs motibus moueant, ab antiquis tamẽ propter tarditatẽ motus ab occidẽte in orientẽ uisum est illas solo uno motu moueri, propter hoc, & quoniã etiã simul mouentur, fixas aliqui alij inerrãtes appellauere: planetas enim erraticas Græcè sonare & aplanes, id est, non errantes, haud obscurum est. Planetæ igitur septem sunt, Luna quę omnium infima est & terræ propinquissima, inde ascendendo Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus. Secunda pars subiecti à stellis inerrantibus comprehensa fuit. Tertia uero est de partibus cœli quæ secundum longitudinem, aut secundum latitudinem, aut substantiam, aut situm distinguuntur. Secundum longitudinem quidem sunt duodecim signa quę in tabula depicta uides cum characteribus, quorum initium est ab Ariete, cuius initium est in æquinoctij puncto, id est, puncto æqualiter distante ab utroque polo.

Planetæ seu erraticæ.						
Luna	Mercurius	Venus	Sol	Mars	Iupiter	Saturnus
☾	☿	♀	☉	♂	♃	♄

Signa.					
Aries	Taurus	Gemini	Cancer	Leo	Virgo
♈	♉	♊	♋	♌	♍
Libra	Scorpio	Sagittarius	Capricornus	Aquarius	Pisces
♎	♏	♐	♑	♒	♓

Secundũ latitudinẽ autẽ in Borealẽ & Australẽ ab Ecliptica, aut æquinoctij circulo, & uocatur declinatio. Secundũ sitũ autẽ quoniã quædã sunt in cœli corde & ad fortunam magis ualẽt, imò ad existimationẽ, quẽadmodum in ascẽdente, ꝓpria corpori & animæ, quædã in septimo loco quæ ad fortunã & potentiã, quędã in imo cœli, atq; de alijs eadẽ ratione. Quo uerò ad substantiã, partes sunt cœli alię alijs feliciores. Nam cœlum sic se habet ut terra, stellæ montium uicem habent & lapidum: ipsa cœli substantia quædam affert bona malaúe, calidior frigidior, siccior humidior, pinguis macilenta, arida fœcũda, felix infelix, æqualis inæqualis, pertinax mutabilis, ferax sterilis. Sed illud quod uitare non possumus, (nam de inani & pleno, tenebroso & lucido, magna est dubitatio,) est, quoniam partes cœli quædam sunt turbidæ, uelut uia lactea, & quædam perspicuæ. Quartum genus est crinitarum stellarum, Cometas Græci uocant: Hæ enim in cœlo fiunt ut aliâs docuimus. Non autem trabes aut gemini Soles uel Lunæ uel talia: hæc enim fiunt in inferiore aëris regione:

De his

De his igitur omnibus considerandum. Cæterum quòd ad titulum pertinet, illud primo animaduertendum, quo ad uires planetarũ intelligit quatuor modis, non tamen hic nisi primo modo qui est simplicissimus iuxta primas qualitates. Secũdus est, quo ad propinquitatem Solis, & refertur ad principium. Tertius est, quod refertur ad locum, & hic est duplex, aut enim ad locum naturalem, uelut in signo, uel in latitudine aut in comparatione nostrum, uelut in medio cœli, in occidente, supra uel infra terram. Vel in comparatione ad ipsum proprium cœlum, ut quod sit in absíde uel in opposito, uel quod sit uelox uel tardus. Velox enim fit in opposito utriusq; absidis, sed tamen cum absídem intelligo, de eccentrico loquor, cum uelocitas motus sit propinqua naturæ absidis uel oppositi eius, & propinquitati Solis, ut liquet ex his quæ dicta sunt à Ptolemæo de stellarum motibus. Diuiditur autem modus primus in tria, in naturam, sexum, & qualitatem. Natura quidem, ut dictum est, calidi, frigidi, sicci, & humidi, ex qua deriuantur beneficę, maleficæ, exitiales & uitales, fœcundę atq; steriles. Sexu autem, masculinæ & fœmininæ. Qualitate autem, diurnæ atq; nocturnæ. Diuiduntur autem planetæ præter id tribus modis, in luminaria & quæ erraticæ simpliciter dicuntur: Luminaria dicuntur, quæ plurimo abundant lumine, & sunt Sol & Luna, tantum enim habent luminis, ut utrunq; in die uideatur & reliquas etiam stellas obumbrent, quanq; Venus aliquando & maximè ab his qui acie uidẽdi pollent, quiq; iam ut dixi eius locum nouerunt, uideatur, obscurè tamen, & obscurius illa Mercurius quatuor eisdem conditionibus, situ, aëris natura, acie uidendi, & scientia loci, iuuantur & instrumẽto ut iam quinta sit cõditio obseruandi stellas in die. Secunda uero diuisio est, quoniam luminarium alterum quidem primum & per se est & est Sol: aliud, quod illi succedit, estq; Luna. Ob id clarum est cur à Sole inceperit: Nam Sol luminarium primum est, & luminaria erratícis quadrifariam præferuntur, potentia, claritate, cognitione, (multi enim sunt qui sola illa ab alijs separata esse syderibus putant) & simplicitate motus. Cum igitur Sol non solũ cæteris quinq; erratícis, sed etiam ipsi Lunæ his quatuor causis præstet, manifestum est cur Ptolemæus à Sole initium duxerit. A manifestioribus autem, ut bene dicit Haly peripateticorum sententia, è quorum numero Ptolemæus est, initium doctrinæ sumendum est, atq; ea de causa, quamuis non ordine situs, de Sole primum, secundo de Luna, tertio de alijs quinque erratícis, tractat. Atq; in illis cum nõ uideretur manifestus ordo doctrinæ, ab euidentioribus aut potentioribus, ordinem situs sequutus est, non quidem ascendendo sed descendendo, scilicet ut à Saturno initium duceret. Nam quinq; hi planetæ tertia diuisione distinguuntur, tres enim qui supra Solem sunt, superiores dícuntur, scilicet Saturnus, Iupiter, & Mars, duo uero qui infra illum, scilicet Venus & Mercurius, inferiores. Vt uero ad rem propius accedã, tria prẹponere docet: Primum est, quod Solis opera sunt à Lunæ operibus maximè distincta partibus anni: & diei, & elementorum, & regionum. Sol quidem æstate, id est, dum est ab initio Arietis usq; ad initiũ Libræ, potentior est & euidentiores facit effectus, Luna uero in sex reliquis signis. Similiter Sol in die potentior est quàm in nocte, Luna uero in nocte quàm in die. Similiter Sol potentior est in aëre, Luna in aqua, terra uero utriq; communis est. Declaratum enim est à nobis in physicis quod tria tantum sunt elementa, terra, aqua, & aër. In horum igitur altero, scilicet aëre Sol magis prædominatur, in altero, scilicet aqua Luna magis, in terra, quod calore Solis & humido Lunæ æqualiter indigeat, utrunq; luminarium quantum ad fœcunditatem arborum, & herbarum, & segetum, æqualiter dominatur. Quo uero ad regiones pertinet, Sol quidem in regionibus dominatur magis quę sub torrida sunt Zona, & propinquis, Luna uero magis in his quę iuxta polos sunt. Adeò ut in Scotia (ea ultima est Britanniæ pars quæ ad Boreã spectat) quinquaginta septem & amplius partibus ab æquinoctio distans, Luna potius quàm Sol uideatur æstatis aut hyemis esse causa. Sed tamen hyemis quidem & ubiq;, ut dictum est, causa est & moderatrix, æstatis autem solum moderatrix. Vltra uero circulos poli Arcticum atq; Antarticum, Luna utraq; tempora disponit, in medijs autem regionibus utrunq; luminare fermè ęqualiter. Sed et orienti magis præest Sol, Luna occidenti,

occidenti, Mediterraneis autem locis Sol, insulis & locis iuxta mare, Luna. Regula uerò una debet esse generalissima, quòd planetæ omnes successione fiunt potentiores, ueluti Luna non dominatur neq; moderatur nisi quia Sol non perfectè agit, uel quoniam regio est in extremo occidentis aut Septentrionis, aut insula, aut iuxta mare, aut est ipse Sol in signis Australibus, quod fit tempore hyemis uel autumni, aut in nocte, aut impeditus, uelut à Saturno, uel in duodecimo uel octauo loco. At si consideres potentiam Lunæ, non solum magis nocte quàm die potest, atq; hyeme quàm æstate, sed etiam plus Sole, sic etiam in terræ parte Septentrionali: atque hæc secunda est regula. Nam si Lunæ uis post Solem desinat, tunc locus est planetæ prædominãti alteri. Itaq; fit ut hac causa per se Saturnus terræ prædominetur. Quoniã Sol propter illius frigiditatem tantum non potest quantum debet excalefacere, neq; Luna quantum debet humectare, Ideoq; sub Saturni imperio relinquitur. Tertia regula est, quod omnis planeta aliquid adimit uel addit operibus Solis aut Lunæ, aut alterius, cum ei adiungitur uel opponitur, uel aliquo aspectu seu radio copulatur uel aduersatur. Illud tamen minimum est, cum planeta natura nobilior ualidus fuerit. Memẽto tamen quòd tempore omnia senescunt, & Sol quantumcunq; ualidus, aut Luna, temporis successu per directionem impeditur. Eadem est ratio stellarum fixarum. Ex his tandem colligitur quòd Solis opera illustriora sunt, inde Lunæ, inde Iouis aut Saturni, inde Martis aut Veneris, post Mercurij, inde fixarum stellarum secundum illarũ magnitudinem & lumen, ut persæpe errantium uires uincant.

Secundum ex his pendet atq; dubitationem habet: nam cum Ptolemæus uelit per qualitates manifestas in ambientẽ diffusas aërem, corpora nostra affici: sequetur natos mense Iunio Iulioq; calidissimos futuros, uel saltem calidiores natis mense Decembri & Ianuario, cuius tamen oppositũ sæpius experimur. Imò quod maius est, nati regionibus & temporibus frigidis, calidiores sunt atq; robustiores Arabibus atq; Indis, atque æstate natis. Propterea plurimi meritò Ptolemæum reliquerunt, ob hæc Astrologiam contemnentes. Sed ratio Ptolemæi subtilior est quam ut à quoq; possit deprehendi. Non enim in eo quod factum est, sed in eo quod fit, uis consistit. Decebat autem Ptolemæum hanc rationem prætermittere, quia apud populum non intellecta, ab arte alienaret legẽtes. Res autem ita se habet: nascitur quispiam Sole primũ punctum Leonis possidente in medio cœli, tunc uerò maximè aër feruet: Sin uerò Saturnus in ascendente, tunc profectò si nihil prius egisset Sol, aër totus nubilus atq; frigidus esset, calidítas quoq; quædam quasi subsultim uigeret: Itaq; diuersis modis continens afficeretur uincente frigiditate. Ergo non in eo quod factum est nisi ut signo, iudicium sumendũ decernit Ptolemæus, sed in eo quod fit. Quoniam quòd nascitur, nouum est, & iuxta impressionem quæ fit, non quæ facta est, afficitur. Hoc autem cum latuerit plerosq;, nescio quomodo quispiam adduci potuerit, ut Astrologiæ crederet, aut cum crederet illam tueri potuerit. Vel etiam dicendum quòd qualitas acquisita, uitæ author sit, quæ uerò acquirit, moderatrix: Veluti si duo hostes pugnaturi sint, quorum alter habeat in redditibus uiginti millia, alter tria millia tãtum, qui uerò uiginti millia habet, habeat & in expensis decemocto millia, qui uerò tria millia, nihil quandoq; habeat, quandoq; etiam omnẽ redditum absumat: Sic fiet in certa pugna. Ita cõtingit ut cum Sol uitæ, Luna uerò corpori suffragetur, iam absumptis uiribus Solis ac Lunæ in exhibenda uita ac statu corporis, aliorum planetarum effectus egregij apparerent. Aliud capiamus exemplum: sit egregius artifex quispiã cælãdæ statuæ, incurrat eum debilitas uisus, aut imbecillitas manus, aut nihil horum, sed quispiã dũ laborat, alius illius brachiũ collidat, aut scalptrũ. non ne statua absurda fiet: & tamẽ artifex ipse centũ obtinebit partes, ubi uix ille impediet unam. Atq; ut uno uerbo dicã, adagioq; Aristotelico utar, ad construendũ plures requiruntur, ad destruendũ sufficit unus. Itaq; quomodo, & quãdo, & cur planetæ uires habeant, tum reliquæ stellæ, iam satis declaratum est.

Tertiũ uerò quod prẽmittere oportebat est, quoniã declarauimus in physicis, non esse nisi duas qualitates, unam quidem agentem cœlestemq;, & uocatur calor, cui op-

ponitur priuatio quæ est frigiditas, alteram quę est humidum elementale, cui siccitas tanquam priuatio opposita est. Omnia igitur astra calida sunt, quia omnia aliquid operantur, atq; hoc Aristoteles & Auerroës quasi uates intellexerunt, propter principia tamen falsò supposita, quæ ab Hippocrate & prioribus acceperant, non poterãt reddere rationẽ eorum quæ admittebãt, imò in maximas difficultates inciderunt tùm maximè Auerroës. Igitur Saturnus caliditatẽ habet metallis, & lapidibus conuenientem, tùm etiam herbis atque arboribus, tùm etiam quibusdam animalibus, utpote scorpionibus & scarabeis: homini autem noxiam ac minimè congruentem, ob idq; frigidus dicitur. Sic nõ solum unusquisq; planeta, sed etiam inerrans stella & suum habet calorem, & comparatione diuersorum calida dicitur, aut frigida, sed hîc omnia ad hominem referuntur. De sicco autem & humido alia ratio est, de qua nunc textum explicando disseram.

Dicit igitur Solem esse calidum, sed paulum habere siccitatis: intelligit ergo Solem magnã habere caloris uim: Nã uerè Sol est calidissimus, cum tam procul distans & à terra & à uertice sic quandoq; aërẽ in Britannia excalefaciat, quẽ nec mille magnæ pyræ accensæ excalefacere sufficerent. Quod si dicas hoc ex magnitudine contingere, respõdemus id non sufficere, quoniã Sol licet dimetientẽ habeat quinquies cum dimidio globo terrę maiorẽ, habita tamen distantiæ ratione, uidetur ac si esset tantus quantus apparet. Vnde nõ male omnino uidentur Epicurei dixisse: Solẽ non esse nisi qualẽ apparet, scilicet pedalẽ, uel paulò maiorem. Caliditas igitur illa est potius ob robur syderis quã magnitudinẽ. Nam si ignis pedali rotunditate magnus sub initio Cancri distans mille passibus à terra, solum circunageretur Britãniæ, nullum penitus sensum caliditatis effingeret in aëre. Ergo Sol ipse longè igne calidior est, atq; uiuacior. Verum calor ille quia siccus nõ est, immoderatus non dicitur. Intelligit ergo Solis calorẽ esse multum, non tamen immoderatũ, coniungitur enim calor hic cum humido. Itaq; corpus quod sic immutatur, calidũ est uehementer. Regula em̃ est, & quarta in ordine, obseruatiõe digna, Quoniã omnis planeta & omne sydus talem habet uirtutẽ qualem habet impressionẽ. Veluti Luna, gratia exẽpli, Sole potentior est in nocte, quia lucere solet in nocte: quãuis ergo Luna sit sub terra nocte sicut & Sol, attamen Luna plus poterit quã Sol, quia Lunæ nõ repugnat lucere de nocte, sicut Soli. Et similiter, Luna plus potest in Borealibus regiõibus & Australibus iuxta polos, quã Sol, quia magis appropinquat illis partibus. Nam Luna potest habere quinque partes latitudinis tam Australis quã Borealis: ergo cum fuerit in primo puncto Cancri cum latitudine Boreali maxima, id est, in capite Draconis, erit propinquior polo Boreali, quinque partibus ipso Sole. Et eadem ratione cum fuerit in cauda Draconis in initio Capricorni, erit propinquior polo Antartico, quinque partibus ipso Sole. Licet igitur in hyeme Luna esset in principio Capricorni cũ Australi latitudine quatuor aut quinq; partiũ, plus posset in mutationibus temporũ, & plus faciet apud Scotos quàm Sol, quia potentia talis est. In Brasilia autẽ & sub Antartico polo duplici causa, & quia potentia talis, & quia actu iam propinquior est. Simili ratione sub polis non tanta est frigiditas quanta creditur, quia Luna, Venus, & Mars maximas habent latitudines. Luna quidem quinque partium, Venus autẽ etiam octo excedit. Saturnus autem, qui frigoris author est, uix tertiã partem potest implere: Dictum est autem de his in Problematibus, & libris decẽ Astronomicorũ Iudiciorũ. Sequit etiam pari ratione ut planetæ in prima domo uires habeãt maximas, non in sexto loco, cum tamen utrinq; fiat crepusculũ in Sole (nam stellæ aliæ iuxta luminis quantitatem eandem rationẽ subeunt) quia matutinũ crepusculum ad perfectũ splendorẽ terminat, uespertinũ autem desinit in tenebras. Iuxta hoc igit dicemus, Solẽ esse calidissimũ. Et quomodo nõ erit calidissimus cum longissimã uitã decernat? Declaratũ enim est à nobis in Medicis, uitã consistere multitudine humidi pinguis, & humidum pingue idem substãtia esse cum calore naturali. Cum igit Sol lõgæuissimos faciat, idem humidissimos & calidissimos necessario faciet. Hoc autẽ contingit illi propter motus æqualitatẽ, ut non uideat immoderatè calidus: Quæcunq; enim mouent æqualiter,

tepescunt

repescunt: quæ autē modò uelociter, modò tardè, qualitates magis excitant, nō autē substantiā mutāt. Declaratū est enim à nobis in expositione primæ partis primi libri Auicennæ, duplicē esse calorē, atq; etiam duplex humidū, alterum quidē, substantia, atq; hoc in genere Sol est calidissimus atq; humidissimus, cuius aduētu omnia uirēt, & animalia turgent ad Venerē, & homines, ut dixi, fiunt lōgæuissimi qui illo potente, & potentissimo nascunt. Cum uerò ad qualitatē respicimus, moderatè calidū dicimus, ut Ptolemæus: qa immensitas caloris humidi multitudine obtundit, & siccum paululū, quia humidū aqueum ab illo totū consumit aut immutat, iuxta ꝙd humida secundū qualitatē dicunt, id est, quæ aqueo abundant humido: ob id igit Solē paulū siccū dixit Ptolemæus, quia ubi dominatur, nihil uidet humidi aquei, sed totū in pingue cōuertitur humidū. Dixit autē effectū habere caloris & siccitatis uerè potius quā calidū & siccū: quia, ut diximus, Sol minimè siccus est, imò neq; ulla alia stella (ut docebimus) sed humidissimus, & non calidus, sed calidissimus. At ipse alia ratione sequutus Peripateticos somniantes Solē nō calidū esse, sed calefacere, dixit effectū habere caloris & siccitatis, non calidum esse uel siccū. Quod tamen, ut dixi, si ad qualitates referat impressas, & non substantiā, uerissimū est. Neq; enim Sol neq; ullū aliud astrū qualitate prædituū ulla est, sed sunt astra omnia impressiuarū qualitatum expertia. Calor ēm qui in nobis fit, ut in libris de Subtilitate docuimus (quē impressum soleo ego uocare) ex motu fit seu in igne, seu cum res dura mouetur. Ostēdit autē hoc Ptolemæus ex magnitudine non quidē simpliciter tantum, sed simpliciter & quo ad nos, nam fixarum plurimæ simpliciter maiores sunt Sole, sed nō quo ad nos magnę, Luna uerò quo ad nos æqualis fermè Soli, sed non simpliciter, Sol utroq; modo. Igit cum maximus fermè sit, plus cōtinebit luminis & caloris. Peripateticorū enim sententia, calor pro luminis magnitudine distribuit. Non autem magnitudo simpliciter, sed ex quātitate, densitate, & claritate: sed Ptolemæus duo hæc ultima breuitatis causa prætermisit. Sicut etiā mutationē quatuor temporum causam facit magnitudinis caloris. Igitur, ut tandem hanc expositionem concludā, Sol quidem secundum substantiā calidissimus est, & humidissimus, secundum qualitatem impressam moderatè calidus est atq; paululum siccus. Ex quibus Haly non inepte has quatuor regulas colligit. Prima, Virtus omnium syderum cōsequitur magnitudinem ipsius syderis. Sed, ut dixi, melius est dicere ipsius luminis, quæ consistit in tribus, ut dixi, in corporis magnitudine, luminis claritate, & densitate. Secunda est, quod postq; Sol præcellit alias stellas omnes, ideo etiam dominatur in omnibus quæ sunt maxima, scilicet Regnis, Regibus, Magistratibus, Sapientiæ, Magnanimitati, Nobilitati, Fortitudini, Splendori, ac talibus. Tertia, quòd propter temperiem significat etiam mores bonos, longæuam uitam & incolumem, rationem bonam, amorem honorum, fidei, lucis, claritatis, uestium, pulchrarum gemmarum, & aureorum uasorum, munditiei & lautitiæ. Quarta, ut habeat opera affectibus cōsequentia, ut uersari cum principibus, diligiq; ab illis, ludere, iocari, à Republica non alienum esse, dignitatem retinere, & tamen esse comem, oculorum claritatem habere. Ex his etiā sequitur, ut omnia optima possideat in unoquoq; genere, inter metalla, aurū, inter gēmas, carbunculū (Haly dicit Hyacinthū) inter animalia equuum, leonem, aquilā, & inter arbores palmam, atq; ita in cæteris.

Regula Ptol.

TEXTVS XXX.

At Luna propterea quòd proximè terrā fertur, unde humidę exhalationes exeunt, plurimùm madefacit: Atq; ita prorsus subiecta corpora potissimum & mollia reddit, & putrefacit. Habet tamē propter illustrationem Solis, etiam calefaciendi communicationem.

Saturni stella maximè frigidifica est, sed & nō nihil arefacit. Quod ut uerisimile est & à Solis calore, & terrę humiditate longissimè distat. Cæterum & huius stellæ, & reliquarum uires exquiruntur etiam de obseruatione con-

tione, configurationum ipsarum cum Sole & Luna. Nam secũdum illas, aliâs aliter, pro intensione & remissione circunfusi nobis cœli, modũ constituere, manifestum est.

Stella Iouis temperatę naturę est. Media enim fertur inter frigidificã Saturni & æstuosam Martis. Calefacit autem & humectat, sed quia calefaciendi uis præcellit, ideo fœcundi ab illa uenti excitantur.

Martis stella & arefacit & urit, sicut congruit igneo ipsius calori, & uicinitati solari, cum subiectus illi sit orbis Solis.

Stella Veneris eosdem habet effectus, quod quidem ad temperationem attinet, quos Iupiter, sed ratio est diuersa: Nam quòd uicina est Soli, nonnihil calidifica est. Sed multo uehementius humectat, quemadmodum & Luna, propterea quòd ingenti luce prędita attrahit exhalationẽ humidam à proximis terrę locis.

Mercurij stella ferè quidẽ non minus, aliquãdo arefacere q̃ humores absorbere, propterea q̃d non ualdè lõgè à Sole recedat, aliquãdo tamẽ & humectare deprehendit̃ cum superposita sit terræ proximo orbi Lunæ. Subitarum autem mutationũ in utranq; partem effectrix est inflata, quasi celeritudine comitatus solaris.

Quicunq; expositores conati sunt hunc librũ exponere ante nos, nõ solum coacti sunt dissidentia à philosophis affirmare, sed nec sic etiã experimentis satisfaciebant, quandoquidẽ in stellis nihil aliud sit quàm calor, nam humidũ & siccũ affectus sunt patientium corporũ, qualia nõ sunt cœlestia: Frigiditas uerò priuatio solùm caloris est. Sed nec simpliciter calor qualitas est, qualis in igne uel motu, sed substãtia in lumine, ut iam dixi. Hic uerò trifariã distinguitur, multitudine (quæ duplex est) tenuitate, & puritate, seu claritate. Siccant̃ etiam omnia, uel à crasso calore, uel à modico. Cum enim aër humidus sit, maximus calor, si sit tenuis penetrando aërẽ inducit aqueos uapores, atq; ita cõcoquit & humectat, non siccat. Crassus aũt, dum non penetrat, cum primum calefacit, statim etiam siccat. Exiguus uerò etiam siccat, tùm præcipuè cùm crassus fuerit, quoniã cogit neq; dissoluit humidũ: ob id Saturnus atq; Mars siccãt, sed Mars longè plus, tùm quia plus calefacit, tùm quia substãtia illius impurior est. Est autem substantia illius non tota lux sicut in Sole, sed crassior, ac magis peruia.

Vt autẽ aliquid de his diligentius habeatur exquisitũ, scire decet, q̃d unũquodq; astrum, ut in physicis docuimus, dupliciter luceat, uelut & Luna proprio quidẽ lumine atq; Solis, q̃d à corpore astri terso atq; solido reflectit̃. Itaq; cum neq; omnino purum est astrũ, sed substãtia minus lucidũ, neq; solidũ, tunc obscurius est: uelut Mars & Luna ea parte qua à Sole non illuminat̃. Igitur stellæ fixæ quæ plurimũ lucent, ut Canicula, proprio lumine lucent. Propriũ autẽ non Soli simile, sed uel obscurius, uel debilius. Verũ dices, Saturnus frigidus esse uidetur, nã refrigerat homines & illorum mẽbra grauiter lædit: sed nõ simpliter hoc fit, uerũ quia Saturni corpus minorem habet quã homini conueniat, caliditatẽ. Rursus dubitabis, qa iunctus Lunæ frigiditatẽ auget, maximè hyemis tẽpore? Sed id etiã fit, quia cum Saturni calor minor sit quàm Lunæ, ut tepida aqua feruenti mixta, minus calidã efficit feruẽte: Et quæ minus calida est tepida, tepidæ, reddit minus quã tepidã. Itaq; Saturni calor calori Lunę iunctus, minorẽ illũ reddit. Verũ dices, etiam cum solus Saturnus ascẽdit absq; aliis stellis frigus auget. Causa est pulcherrima, qa cum, ut dictũ est in libris de Subtilitate, aër spõte sit frigidissimus qualẽcunq; consequitur caliditatẽ, ab astris cõsequitur: Saturnus uerò cũ omni alio astro frigidior sit, semp refrigerat, dum aliorũ opus impedit. Sciendum est etiam q̃d uniuscuiusq; syderis lumẽ propriũ, est magnitudine, multitudine

multitudine, tenuitate, & claritate ab alijs diuersum: Quòd uerò reflectit, cum sit Solis, purissimum est, tenuissimum atq; densissimũ, ob id etiam concoquere potest, cale facit & humectat. Quãobrem Ptolemæus Soli & Lunæ propriè & maximè uitæ principia tribuit. His uisis, ad textus expositionem accedo: Luna cum sit terræ propinquissima, plus in illam agit lumine suo, eleuatq; uapores ex parte humidiore (nam ex sicca non possunt eleuari) ideo humectat & madefacit aërem. Est alia causa quæ à Ptolemæo adducitur, scilicet cur Luna trahat uapores manifestè à terra, & humectet, quia non habet à quo impediatur. Nã licet Venus & Iupiter humectent & madefaciant, cum tamen Mercurius & Luna intercipiantur, non potest adeò esse manifestum opus illorũ. Tertia causa est à Ptolemæo declarata cum dixit, quod propter lumen Solis habet uim excalefaciendi, & est clarum, quia lumen illud, ut dixi, est densum, purum, & tenue: humectat autem utroq; lumine, scilicet proprio & Solis, sed calefacit solum manifestè lumine Solis. Calor enim illius proprius est fermè similis calori Saturni. Dixit quod propter hoc mollit corpora & putrefacit: mollit quidem quia humectat, omne autem corpus tantum habet molliciei quantum & humidi. Verum putrefacit quia humidum & calidum augentur: Sed humidum à duobus caloribus, scilicet proprio & Solis, calidum ab uno tantum. Quapropter humido uincente calorem, fit putredo: nam putredo prohibetur, uel quia calor dominatur humido, uel quia defficit humidũ, uel quia defficit calidum: modo Luna dominante nihil horum fieri potest, igitur Luna putredinis causa est. Sed dubitatur, quoniam Luna plena luminibus frigus maximum fit in hyeme? augetur enim frigus apud nos à nouilunio ad plenilunium, tametsi Luna cum recedat à coniunctione Solis quia est in signis Australibus ueniat ad nos, igitur Luna uidetur esse frigida. Sed hoc est casu, non per se: uapores enim plurimos eleuat à terra, qui cum sint frigidissimi aërem magis infrigidant. Nam & Sol à Tropico Capricorni recedens hanc ob causam magis infrigidat & sæuiorem facit hyemem. Par autem est ratio de Sole per triginta partes Capricorni, & de Luna donec peruenerit ad oppositum Solis peragratis fermè ducentis partibus signiferi: Nam Luna est longè tepidior Sole: Cum igitur Sol per triginta illos gradus in quibus accedit ad nos, deberet minuere hyemẽ, & tamẽ auget, Luna idem faciet per totam illam medietatem qua ad nos accedit, eadem ratione.

Ex his uerò quæ à Ptolemæo dicta sunt quædam excipiuntur, primum, quod Luna significat omnia quæ sunt secundo loco, uelut inter metalla argentũ. Similiter & omnia quæ humido abundant, ut cerebrum in homine, & oculos, & medullas, & etiam in animalibus, hæc enim ualde correspondent naturæ Lunæ, quia sunt uehementer humida & parum calida. Ideò nihil mirum est quod ouium medulla & oculi fœtium sequantur incrementa Lunæ. Tertium, quòd cum Luna sit uelocis motus, significat etiam eos qui sunt in assiduo motu, uelut nuncios & cursores. Quartum, quòd cum agat ratione humidæ qualitatis propter propinquitatem ipsi terræ, id est, cum erit in media cum Sole quadrata radiatione, tunc maximè humectabit. Hoc aũt magis in ea quæ sequitur oppositionem, quàm quæ coniunctionem. Ob id tunc maximè Oceani æstus augentur. Quintũ, quòd cum caliditas augeatur iuxta luminis quantitatẽ quam à Sole recipit, cum magis plena erit luminibus tũc magis excalefaciet. Sextum, quòd cum Luna in quadrata radiatione Solis sit humidissima quia terræ propinquissima & mediocriter calida, quia mediocre lumen habet à Sole, ideò tũc maximè putrefaciet, & hoc est manifestum in pestilentiæ temporibus experimento. Nam nullo tempore magis sæuit pestis quam in ultima quadra. Septimũ, quòd Luna ut propinquior Soli fuerit plus simpliciter recipit luminis à Sole, minus autem in cõparatione nostri. Ideo uerò cum recedit maximè à Sole tunc plena luminibus dicitur. Octauũ, qd in planetis tardioribus non tantum facit uelocitas motus, sicut in tribus interioribus. In Venere igitur uelocitas motus consideranda est, & multum facit, magis autem in Mercurio, maximè autem in Luna.

Saturni autem stella quia plurimũ recedit à Sole, debiles recipit illius radios, igitur minimum calefacit simpliciter, hoc autẽ est multum refrigerare in cõpositione

quo ad nos. Cum uerò Saturnus, Ioue & Marte intermedio, distet à Sole, longè plus distat quàm Luna, quia Martis & Iouis cœli decuplo maiores sunt cœlis Veneris & Mercurij. Cæterum dat regulam generalem, quoniã oportet in alijs quinq; erraticis considerare illorum habitum ad Solem non solum, sed etiam ad Lunam. quomodo autem, dicemus inferius: Bifariam autẽ generaliter, uel aspectuũ ratione, uel ut sint orientales à Sole, hac enim constitutione omnes gaudent, & ut sint occidentales à Luna. Dixit autẽ Saturnum parum arefacere quia plurimũ ab humido terræ distat: quoniã declaratum est quod Luna propter id humectat, quia plurimũ uaporum eleuat à terra propter propinquitatẽ. Saturnus igitur cum sit distans plurimũ à terra, siccabit, quia cõprimet uapores humidos propter crassitiem & paucitatẽ caloris sui. Parũ autem, dicit, exiccat, quia non potest fieri siccitas magna, ut dictum est, nisi à calore immenso. Saturnus autem præest plantis, non quia frigiditas eius faciat ad plantarum generationem, nihil enim minus, sed quia prohibet generationem uermium frigiditate sua, & seminis putredinem, à quibus semina corrumpuntur & infrugifera euadunt. Nam quod ad fœcunditatem illorum pertinet, Iupiter author est cum Sole & Luna.

Is igitur cum sit medius inter Saturnum & Martem, temperatus est in calore, quia mediocriter propinquus est Soli, & quia mediocriter ualidos excipit Solis radios. Ideo uerò temperatus & fœcundus, quia ubi calidum humido dominatur, ibi est temperamentum & fœcunditas optima: modo Iupiter calidus est mediocriter & temperatè humidus, ideo fœcundus est, & temperatus dicitur, id est, optimè dispositus. Excitat autem uentos, quia calidum humido iunctum, superante humido, generat uapores, ut in Venere & Luna, superante autem calore, uentos, ut in Sole & Ioue. Mars igitur calidior est Ioue, quia propinquior, & etiam quia densior: ob id enim rubet quia substantia crassa est, ob id etiam arefacit. Sed & Venus calida est & Ioue calidior, quia Soli propior est, ob id igitur excalefacit manifestè: Similiter & humectat. causa est, dicit Ptolemæus, quia plurimum habet luminis, supple solaris: tale enim lumen profectò, ut declaratum est, quia tenue est, & densum, & purumm, ultum excalefacit. quia in hoc sequutus est Aristotelem, qui existimauit omnia astra lumine solo Solis lucere, cum tamen non ita sit, hoc enim bis demonstrauimus in physicis. Ideo nostra sequendo principia, in quibus si quis persistat nihil absurdum cogetur fingere, & quæ Ptolemæo non contradicunt, quoniam nondum inuenta essent, dicimus Veneris lumen proprium esse ex Solis natura. Est enim Veneris cœlum quasi unum substantia cum cœlo Solis, quod apparet ex motibus qui fermè ijdem sunt: Vnde qui fabricant sphæras cœlestes, iungere solent Venerem Soli in una sphæra.

Solum igitur supponere decet, omnia astra proprio & Solis lumine prædita esse, Lunam quidem plus alieno, cætera proprio, aut æqualiter, sed ualde pauca: demonstratum est enim hoc, ut diximus. Superest igitur ut declaremus, cur Venus non sit adeò calida ut Mars, cum tamen sit Soli proximior: defferens enim absidis Veneris superius tenuius est defferente Martis inferiore. Causa est, quia ut dixi de Sole (& innuitur à Ptolemæo in textu) multitudo luminis & (ut dictum est de Luna) propinquitas eius ad terram, facit ut attrahat plurimos uapores à quibus refrigeratur aër & calor minor redditur, atque ita temperatur. Quod uerò hoc non sit cõmentitium, facilè est intelligere ei qui scit quod iam etiam diximus aliâs, scilicet insulam sancti Thomæ quæ sub æquinoctij circulo posita est, hyemem pati, quodq; maius est, dum Sol illorum capitibus superstat, scilicet propter uehementem humidi attractionem atque uaporum. Si igitur hoc in Sole qui tanto uiuacior est Venere, quid de Venere censendum erit? Venus igitur minus calida est Marte, quia Mars propter paucitatem luminis, & raritatem, & remotionem à terra non potest trahere uapores, sed ab alijs attractos consumit & dissipat, & ob id Mars dicitur siccus: ut regula qualitatũ passiuarum ita statuatur: Astra quæ abundant plurimo lumine & puro atque tenui, dum trahunt multos uapores & purum resoluunt, humectant egregiè: Quæ autẽm

mediocriter

mediocriter trahunt, & mediocriter resoluunt, temperatè humida sunt: quæ autem non trahunt & plurimum resoluunt, sicca sunt ualde, ut Mars, & fixæ quæ ex illius natura sunt. Quę uerò non trahunt, resoluunt tamen parum, parum sicca sunt, ut Saturnus & fixæ quæ ex illius natura sunt. Hinc soluitur dubitatio, cur, cum Iupiter medius sit inter Saturnum & Martem, qui sicci sunt ambo, ipse tamen sit humidus? uidetur enim pari ratione qua Ptolemæus illum esse temperatum dicit, quia medius sit inter Saturni frigiditatem & Martis calorem? Sed hoc non uult Ptolemæus quod quicquam Iupiter accipiat à Saturno uel Marte: esset enim absurdissimum: sed quia mediocriter distat à Sole: Mars autem quia nimis propinquus, ideo calidissimus: Saturnus quia maximè remotus, ideo quam minimè calidus. Ex quo apparet Solem minimè esse siccum sed humidum, aliter Iouem necesse esset esse siccũ. Humidum autem & siccum, ut centies dixi, nõpendent in planetis à Sole, sed à proprio calore & illius qualitate, scilicet multitudine, densitate, puritate, & tenuitate. Iupiter igitur cum luminis plurimum habeat & sit ualde magnus, scilicet maior Saturno & Marte, & uerè, & quo ad uisum, trahit uapores & humectat, sed parum trahit, quia ualde est remotus à terra. Nullus igitur superiorum potest esse ualde humidus, sed tamen Iupiter humidus est, ut dixi: Nec ullus inferiorum potest esse ualde siccus, Mercurius tamen est siccus.

Ideo dixit ꝙd Mercurij̃ stella aliquando siccat propter propinquitatem Solis: non intelligit in situ, quia sic Venus est Soli propinquior, sed in loco, quia non recedit à Sole unquam plus uiginti octo partibus, modo citra, modo ultra: sed humectat quia est prope Lunam secundum situm. Cœlum enim Mercurij̃ contangit cœlum Lunæ, & etiam quia dum est propinquus Lunæ, est etiam propinquus terræ, & ideo trahit uapores & humectat. Et quia breuissimo tempore redit ad Solem & recedit ab illo ideo facillimè mutatur, & omne quod est potentia tale, fit actu tale: ideo Mercurius semper facit ancipitem naturam & semper noua excogitantem, quia Mercurij̃ sydus nunquam quiescit, ut bene dicit commentator. non enim habet stationes in quibus uerè quiescat secundum sensum momento. Ideo Luna & Mercurius faciunt instabilissimos homines, quia neuter eorum quiescit unquam. Sed quia motus Lunæ est perpetuo manifestus, ideo instabilitas lunaticorum est omnibus cognita: quamobrem stultitia nominatur. Mercurij̃ uerò cum dubia sit & non adeò manifesta, callidi tas appellatur, & ad prudentiam referri solet. quamuis non sit uerè prudentia, sed natura instabilis & dolosa. Cum igitur est cum Sole, exiccat ob paucitatem luminis, & etiam occidentalis, ut dicemus: orientalis autẽ humectat si sit remotus à Sole, & maximè Lunæ propinquus, aut in illius configurationibus. Quantum enim Sol calefacit, tantum fermè Luna humectat. Indicio est, quòd dormientes sub Lunæ splendore, humido alieno ualde replentur: & carnes quæ in lumine Lunæ exponuntur, putrescunt. Ergo Mercurius ob frequentes & celeres mutationes, & ob luminis puritatem (adeò enim lucet, ut quandoque etiam per diem, ut dictum est, uideatur) mouet uentos: præcipuè tamen ob duas alias causas, & quòd circa Solem uersetur semper, Sol autem, ut dictum est, uẽtorum causa, & quòd in paruo circulo celerrimè motus, ut uirga quasi stridens dum concutitur, aẽrẽ perpetuo moueat & conturbet. Atq; hæc de textus expositione. Nunc uerò doceamus ex his consequẽtia: Saturnus dominatur melancholiæ: Iupiter sanguini: Mars bili: Sol sanguini in arterijs contento: Venus semini: & Mercurius spiritui & uaporibus: & Luna pituitę & sanguini mẽstruo, is enim est pituitosus & crudus. Rursus Saturnus dominatur senectuti & senibus à LXVIII anno supra, Iupiter antecedenti ætati in qua sanguinis temperies uiget, non feruor: Luna in primis quatuor annis, quibus maximè comitiali morbo obnoxij̃ sunt, atq; ita à quinto ad XIIII Mercurius præest: post Venus ad XXII. & sic de reliquis. Nam ultima ætas est frigida, tremula, inepta, tristis, morbosa, pauida: quæ omnia sunt Saturni & eius naturæ propria. Sic de alijs. Et eodem modo Saturnini lenti sunt, pauidi, taciturni, suspitione & dolis pleni, auari, tristes, & stulti. ob id etiam laborioſi & pauperes, contempti atq; infelices. Iupiter graues, mediocres, in acti

onibus prudentes, iustos, liberales, diuites, honoratos, fideles atque felices. Mars præcipites, audaces, et temerarios, loquaces, simplices, prodigos, lętos, furibundos, inæquali statu semper uarios. Sol fortes, secretos, probos, magnificos, lætitiam præ se ferentes, magnanimos, cogitabundos, honoratos, quietos. Venus quales Iupiter, sed luxui, & ocio, & libidini magis deditos. Mercurius uarios et sagaces, dolosos, & auaros. Luna inconstantes, laboriosos, minimè magnanimos. Saturnus quoq; dominatur cicutæ, halicacabo, apollinari herbæ, mādragoræ, scorpionibus: Sol aromatibus & acribus: Mars amaris & uenenis quæ ob calorem statim occidunt: Iupiter dulcibus: Venus pinguibus: Mercurius salsis, mixtam enim talia habent naturam: Luna insipidis. Saturnus igitur iuxta hoc, pater est agricolarum & mendicorum: Iupiter mercatorum, magistratuum, sacerdotum: Mars militum & tribunorum: Sol Regum, Principum, & aulicorum: Venus ociosorum, & coquorū, ac musicorū, & poetarum: Mercurius Thesaurarios secundos, qui sunt à secretis, artifices omnes generaliter, scriptores & eruditos omnis generis, philosophos & professores: Luna nautas & nuncios significat. Iuxta hoc igitur solum ex primarum qualitatum natura ac mensura mixtioneq; non propria, sed quæ ex caloris magnitudine procedit, genera omnia effectuum in planetis dignoscūtur. Quæ uerò ex illorum commixtione fiunt, tot sunt & talia ac tàm diuersa ab illorum simplici natura adeoq; mirabilia, ut qui non uim compositionis intelligat, uix credat hæc fieri posse stellarum decreto. Tertia regula est, quod postquā hæc à temperatura proueniunt, ita illa mutata, mitescunt, aut corrumpuntur.

TEXTVS XXXI.

Quę cum ita sese habeant, cunq; quatuor sint humores, seu primę naturę: Duę fœcundę & uiuificę, nempe calidi & humidi, ex his em̃ omnia & coalescunt, & roborantur: itemq; duæ exitiales & detrimentosæ, aridi & frigidi, unde rursum dissipantur, & debilitantur omnia. Tradidere similiter ueteres, & stellas beneficas esse, Iouem, Venerē, & Lunam eo q̃d temperatę naturę sint, & in qua plurimū insit calidi & humidi. Stellas uerò Saturni & Martis maleficas, quòd contrarię sint naturę & effectus. Alteram em̃ frigidissimā, alterā feruentissimā esse uoluerūt. In medio uerò reliquerunt Solē & stellā Mercurij, ut participes utriusq; naturę suosq; effectus accōmodantes illarū stellarū ad quas accesserint, pprietatibus.

Cum docuisset primas qualitates harum stellarū, scilicet errantium, declarat quæ ex his sequūtur, eandem fermè quam & nos docuimus primarum qualitatum quamuis eorum qui ante nos fuerunt opinionē sequutus. Par enim erat cum frigiditas atq; siccitas solæ essent priuationes, nihil præstare præter impedimentum. Itaq; quæ uel immodicè frigida sunt uelut Saturnus, uel immodicè sicca uelut Mars, quem feruentem appellat, quoniā maximæ siccitati immodica caliditas necessario, ut dictum est adiungatur, intemperata seu malefica appellat. Quæ uerò calido humidoq; ue abundant, temperata atque benefica. In quibus igitur calor humido perfectè dominatur, ut in Ioue, temperamentum est supremum, & benefica maximè: in quibus mediocriter propter humidi abundantiam mediocriter temperata, ut Venus, atque benefica. In quibus autem minimè propter caloris paruitatem minimè temperata, minimeque benefica, uelut Luna. Manifestum est igitur quod Luna dum luminibus plena est, maximas adducit felicitates, quoniam calida satis est pro humidi ratione: Vbi uerò uacua, debiliter quidem nobis benefacit. Eadem ratio & in Mercurio, qui cum modo siccus sit, scilicet cum Soli aut Marti iungitur, modo frigidus, cum Saturno, maleficus erit atque intemperatus. Similiter cum Ioui, Veneri, uel Lunæ iungitur, calidus & humidus efficitur, atque ideo temperatus & beneficus. Mercurij

enim

enim stella à Sole atque Luna uincitur ratione quidem generali, quòd potentissima sint, hæc luminaria: At uerò ab omnibus alijs planetis, tùm uerò in errantibus maioribus uincitur atq; mutatur duplici ex causa, & q̃d simpliciter minimus sit inter omnes stellas, & uisu etiam minimus, & quod celeriter motus ab alijs astris, quæ non celeriter moueri possunt, ualidiore influxu facto succũbat. Accedit quod Mercurij sydus potentia, ut dixi, in utramq; naturam mutari paratum est. Tria igitur in his iam docuit, qualitatem, scilicet luminis, magnitudinem, (quæ prima est in Sole, deinde in Ioue, quo ad robur & quoniam in toto corpore est, In Luna uerò, quo ad dẽsitatem ac terræ propinquitatem, post Venere, post Marte, inde Mercurio, atq; Saturno) deinde temperiẽ, quæ optima est in Ioue, secundo loco in Venere, tertio in Luna, mediocris in Mercurio atque mutabilis, praua in Marte, pessima in Saturno, ab his uerò opus quod à facultate fit, id uerò perpetuo simillimum facultati. Vnde temperatissimæ etiam maximè beneficæ, intemperatæ autem maleficæ. Sol maxima omnium fortunarum est, neq; planeta ullus magis est beneficus, neq; magis tẽperatus, ut supra ostendimus. Verum quia planetas reliquos primum lumine suo impedit dum occultãtur sub illius radijs, maleficus dicitur, quoniam illius lumine aliorum decreta benefica frustrantur. Deinde etiam quod maleficarum uires fouendo, aut repugnãtia quadam ac ueluti dissidio, ut cum Saturno iungitur, maxima afferat incõmoda. Tertium, q̃d cum æstatem facere possit, & hyemem, potentia quidem maximas mutationes subire aptus est: omne autem astrum, ut declaratum est, tales habet actiones, quales potentia ipsum est. Mutationes autem recipit & ab astris inerrantibus, & à locis ipsis superioris cœli noni. Ab astris quidem magnis triplici causa, & quòd tardiora sint, & quòd maiora, & quòd altiora. Porrò neq; altitudo, neq; tarditas lumen illius immutant, sed opus tantum uincunt. Magnitudo uerò etiam lumen uincit & superat. Est & quarta ratio qua Solem inter ambiguæ naturæ sydera collocamus, quoniam uelut quicquid nobis euenerit boni maliue in signis Principibus imputamus, ita impedito Sole ingentia mala sequi consueuerunt, quæ in illum reijcientes, infortunatum & maleficum appellare audemus ingrati, cum tamen natura sua nullus sit melior. Nã longæua uitæ spatia, corpus incolume, mentem synceram atq; optimam, Regias dignitates, honoresq; atq; opes, plus Sol largitur quàm omnes errantes aliæ stellæ simul, ut non immerito Sol quasi solus appelletur. Quod uerò calidam & humidam intemperiem temperatam appellauerit, nos equidem non ut alios, minimè fatigat. Moderata enim qualitas temperamenti nomen meretur, multitudo autem ut calida dicantur & humida. At quæ non ob multitudinem sed qualitatis excessum calida & humida dicuntur, non iam temperata merentur appellari, sed calidæ & humidæ intemperies. uelut frequenter Veneri & Lunæ, rarissimè autem Ioui contingit, cum debilitatis luminibus atq; corruptis, inanes qualitates potius quam luminis multitudinem ad nos detulerint.

Caput quintum.

TEXTVS XXXII.

De Stellis masculinis & fœmininis.

RVrsus cum primarij sexus duo sint: Masculinus & Fœmininus, conferenda ex supra dictis naturis humiditas ad fœminum, quòd illa in hoc sexu abundet, reliquæ uerò ad masculinum apponentur. Proinde conuenienter traditur Veneris stella & Luna fœminini sexus, propterea quòd in illorũ naturis humiditas excellat. Sol uerò stellaq; Saturni, & Iouis, & Martis masculini: At Mercurij

curij ſtella utriuſq; particeps, cum ex pari ſiccę & humidę conſtitutionis effectrix ſit. Cęterũ ipſę etiam ſtellę maſculas fœmininasq; uires ſuſcipere dicũtur, pro eo atq; ergà Solem ſeſe habuerint. Ac maſculeſcere quidẽ matutinas & antecedentes, ueſpertinas & ſequentes effœminari. Similiter pro eo atq; habuerint ſeſe ergà horizõta. Nam ab oriente uſq; ad medium cœli, nec non & ab occaſu uſq; ad imum cœli, maſculeſcere tanquã orientales, in reliquis autem duabus portionibus, tanquam occidentales effœminari.

Maſculos planetas uocat efficaces magis, & qui etiam maſculorum fœtuum ſunt ſignificatores. Conſtat enim quòd in omni fermè genere maſculi ſunt fœminis efficatiores, præterq;, ut dicunt, in urſis. Hæ igitur ſunt utilitates: & ut ſciamus quibus gaudent locis atq; ſignis. Vnuſquiſq; enim errantium ſuo ſimili gaudet. Non tamen loco, ſed omnes maſculino. Trifariam autem dicitur maſculinus planeta, aut fœminínus: Natura, & hæc eſt quotiẽs humidum non uincit calorem, at ita Saturnus, Iupiter, Mars, & Sol maſculini ſunt: nam Iupiter tametſi humidus ſit, non tamẽ humidũ calorem uincit. Sic & Saturnus cum frigidior ſit quàm ſiccus, maſculus eſt. Nõ igitur quia humidus planeta, ideo fœmininus, ſed quia calor ab humido uincitur, ut contrà in maſculis ſuperat & concoquere poteſt ſemẽ. Venus igitur & Luna, cum humidum maius ſit calore, fœminini ſunt planetæ. Mercurius uerò, ut in reliquis, ancipitis eſt naturæ. Comparatione ad Solem quilibet planeta maſculinus fit, cum dum Sol oritur, eſt ſupra terrã, & quicunque ſub terra eſt, tunc fœmininus: uel, ut idem alijs uerbis dicam, quicunq; ordine ſignorum minus ſex ſignis diſtat à Sole, fœmininus eſt & occidentalis, quicunq; plus ſex ſignis, maſculinus & orientalis: orientales matutinas uocat, quæ ante Solem exoriuntur, occidentales ueſpertinas dicit, quæ poſt Solem oriuntur ſtellæ: uel, ut aliter explicem, & cauſam ſimul reddã, cur orientales ſtellæ occidentalibus ſint efficatiores, orientales uocantur, quæ nocte oriuntur, nam tũc ſplendorem ſuum uiſibilem habent, atq; ideo efficacem: omne enim aſtrum, ut inferius docebimus, uim ſuam in ortu acquirit, quæ ſi iam exorto Sole obumbretur, ut in occidentalibus quorum ortus eſt de die, multo minus aẽrem afficit. Itaq; qui ſint orientales qui occidentales planetæ, & cur maſculini ſint, aut fœminini, debiles aut ualidi, iam intellexiſti. Occidẽtalem autem planetam intelligit hic, atq; orientalem generalius quàm alibi, quoniam per oppoſita diuiſio eſt, ut omnes errãtes hac diuiſione ſub altero membrorum maſculini uel fœminini comprehenderentur: Comparatione mũdi, quicquid eſt ab ortu ad cœli medium quod aſcendat, eſt maſculinũ, quod à cœli medio ad occaſum, fœmininum, atq; id omnino certum & ab omnibus receptum. At quod à ſeptima ad quartam ſit maſculinũ cum deſcendere uideatur, à quarta uerò ad primam fœmininum cum aſcendere, id non ab omnibus conceditur, ſed plericq; quod eſt à quarta domo ad decimã, maſculinum, quod à decima ad quartam fœmininum eſſe uolunt. Verũ ſeu ratio ſumatur ab aſcenſionibus quæ æquales ſunt à prima ad decimam, & à ſeptima ad quartam, ſicut & à decima ad ſeptimam, his quę à quarta ad primam, ſeu quoniam ambæ uel æqualiter aſcendunt ad meridiei circulũ, uel ambæ æqualiter deſcendunt, ſeu quod non niſi partibus quæ ſupra terrã ſunt, uim tribuat Ptolemæus, alijs autem oppoſitionis cauſa, tandẽ id conſtat (atq; ea ratio maxima eſt) à ſeptimo loco ad quartum aſcendere aſtra, à quarto autem ad horizontem ſeu aſcendens, deſcendere. His regulis manifeſtè declarauit Ptolemæus non ſolum quæ aſtra eſſent maſculina aut fœminina, ſed & quæ ualidiora & imbecilliora. Nam tres ſuperiores ac Sol, cum maximi ſint inferiorum comparatione & altiores, potentiores ſunt fœmininis minoribus atq; inferioribus: inferiores enim fœminini ſunt. Mercurius enim qualitate maſculinus eſt, imbecillitate fœmininus.

Caput

Caput sextum.

TEXTVS XXXIII.

De Diurnis & Nocturnis.

PRæterea cum euidentia temporum discrimina dies & nox efficiat, & diurnum quidem spacium masculum censeatur propter calorem & rerum gerendarum opportunitatẽ, nocturnum uero fœmininum, propter insitum humorem illi & acquiescendi conuenientiam. Stellarum quoq; consimili ratione nocturnam esse docuere Veneris & Lunam, diurnos Solem, & stellam Iouis, promiscuum Mercuriũ. Sicut matutina in figura diurnus, in uespertina nocturnus habeatur. Vtriq; etiam conditioni attribuere maleficarũ alteram, secuti non similitudinem, sed diuersitatem naturarum. Nam si stellis bonę constitutionis similia applicata fuerint, augentur uires bonitatis illarũ, sed exitialibus admista dissimilia coercent uehementiã maliciæ illarum. Qua de re frigidã Saturni stellam attribuere calori diurno, ac Martis siccam humiditati nocturnę. Hoc enim modo utraq; ad temperatã conditionẽ accedet, postq; à contraria constitutione correcta moderationemq; adepta fuerit.

Post temperiemac sexum docuit errãtium naturã tempori congruentẽ, naturalẽ in omnibus secutus rationẽ, ut scilicet, tẽperatis similia tribueret, unde Soli & Ioui diem, propter calorẽ, Veneri & Lunæ noctẽ ob humidũ: planetæ enim hi tẽperati sunt, & qualitates tantũ duę ut dixi, calor & humidũ: in Sole autẽ & Ioue calorẽ humidũ & omnẽ aliã qualitatẽ supare docuimus: uelut in Venere & Luna humidũ superat calorẽ, lõgeq; magis aliã omnẽ qualitatẽ. In intẽperatis Saturno diem ad tẽperandum frigus, noctem Marti ad temperandã siccitatẽ. Oportet enim in mala tẽperie semp deteriores qualitates emendare. Ita fiet, ut si Saturnus in die dominet, nõ adeò refrigeret, nec Mars in nocte adeò exiccet: quare neuter tantum nocebit. Sed Iupiter quo modo in die magis iuuabit, cũ iam cõfessum sit omnia astra die uires amittere? Hoc igitur per se est intelligendũ seu supra terrã sit, seu infrà, seu orientalis, seu occidentalis, ut fiant iuxta hoc status octo singulorum planetarum, Solem excipiendo.

In die supra terram orientalis.
In die supra terram occidentalis.
In die infra terram orientalis.
In die infra terram occidentalis.
In nocte supra terram orientalis.
In nocte supra terram occidentalis.
In nocte infra terram orientalis.
In nocte infra terram occidentalis.

Cũ igit Iupiter in die fuerit supra terrã atq; orientalis, erit optimè dispositus. Quòd si orietalis de nocte supra terrã, erit etiã benè dispositus. Quòd si orietalis de die infrà terrã, minus benè dispositus quã his duobus modis, & quã si supra terrã diurnus, sed tamẽ occidẽtalis esset. Habes quatuor modos in benefica atq; diurna: quatuor reliq modi deteriores sunt ut pessimus sit Ioui esse in nocturno tẽpore infra terrã & occidentalẽ, atq; alij eadẽ ratione. Fuerũt tamen qui absurdissimè diurnum in nocte præferrẽt sub terra, cũ Ptolemæus doceat hæc non ante Solis præsentiã, sed ad tẽporis naturã debere referri. Itaq; orietalis semp melior est occidentali, & diurnus in die quã in nocte, supra terrã quilibet planeta quã infrà terram. Solis autem præsentia exseplus nocet quã iuuet. Amittũt enim omnes stellæ corã Sole lumen atq; splẽdorem,

& cum

& cum his etiam uires. Diurni uerò actionibus sunt magis opportuni, nocturni magis defatigantur & præcipuè Venus. Mercurius suam ancipitem naturã retinet, matutinus cum calidior sit, diurnus est, uespertinus autem nocturnus.

Caput septimum.

TEXTVS XXXIIII.

Quid ualeant configurationes ergà Solem.

NEque ignorandum uires cùm Lunę, tùm trium stellarum, Saturni, Iouis & Martis intendi aut remitti de figurationibus ergà Solem. Luna enim ab oriente usq; ad primum incrementum cũ quasi dimidiata, apparet, efficiens est humiditatis maximè. Inde uerò usq; ad plenilunium, caloris. Hinc etiam usq; iterum ad dimidiationem, siccitatis. Atq; etiam hinc ad interlunium usq;, frigiditatis. Et stellæ quas diximus, matutinæ usq; ad primam stationem, humoris plurimum habent. A prima uerò statione usq; dum oriuntur de nocte magis calefaciunt. Hinc etiam usq; ad secundam stationem, magis desiccant, à qua quidem donec occultentur, magis frigefaciunt. Atq; has singulæ uires in uniuersum quidẽ in circunfuso nobis cœlo exercẽt, quibus prævalentibus uarietates tamen constitutionũ plurimę existunt, ex commistione diuersarum stellarum, coercente contraria semper natura uniuscuiusq; effectuum uehementiam.

Cum in tribus præcedentibus capitulis de propria uniuscuiusq; planetæ natura egisset, in hac de aduentitia agit. In fine autem, ibi: (Atq; has) duarum dubitationum nobis rationem reddit, primæ scilicet, cur non semper talia proueniãt ab erraticis: impediri enim singulas aut mutari posse docet. Secundæ uerò, quoniam cum quinq; sint tantum erraticæ ac duo luminaria, quónam pacto tot possint fieri effectus naturales omnino distincti? Respondet, quoniã ex mixtione horum, uarietates plurimæ emergunt. Septem enim cum sint stellæ quæ cœlos habent proprios, ac singulæ iam octo modis uarientur, ut diximus, fient LVI modi. Inde simplicium unusquisq; masculini uel fœminini sexu duplicatur mundi non sui ipsius habita ratione uel Solis, nam hi modi annectunt ut fiant CXII. Quatuor uerò ex his, ut docebimus, quadrifariã etiã mutant, sed dicamus bifariã tantũ, ne orientalẽ & occidentalẽ iterũ repetere cogamur: igitur status trium superiorum & Lunæ XXXII Veneris autem & Mercurij XVI. Solis uero à mundo quatuor. Sic igitur omnes erunt CLXIIII. ut uerò duxeris Saturni status in reliquorum, fient XXXII. in CXXXII. eruntq; Quatuor millia ducenti uigintiquatuor. Iouis autem tria millia ducenta. Martis bis mille centum septuaginta sex. Lunæ mille centum quinquaginta duo. Veneris trecẽti uiginti. Mercurij sexaginta quatuor. Bini igitur planetarum status totidem modis uariari possunt, scilicet undecies millies & centum triginta sex. Quid de ternarijs dicam quorum Saturni & Iouis status possunt uariari cum tertio planeta cẽties atq; bis millies supra centum. Inde Saturni & Martis cum reliquorum præter Iouem uno, sexagies nouies mille sexcenti triginta duo. Totidem ad unguem erunt Martis cum Ioue, & tertio alio planeta à Saturno. Ita de reliquis combinationibus quæ ex tribus fiunt. Quaternariæ autem longè plures ut una sola combinatio ad bis millies ducenties tricies octies

Status.	
Saturni	XXXII
Iouis	XXXII
Martis	XXXII
Lunæ	XXXII
Veneris	XV
Mercurij	XVI
Solis	IIII
Omniũ	CLXIIII.

cties mille supra ducentos uiginti quatuor modos perueniat. Ita fit igitur, ut excep-
tis mutationibus quæ à signis & inerrantibus proueniunt, tum radijs, genera ipsa
cõplicationum erraticarum etiam præter singulares modos, sint infinita. Atq; hoc
Ptolemæus in ultima parte huius capitis indicauit. Quòd si quis simplices binarias
ac ternarias aliasque scire desiderat usque ad septenariã quæ sola modos continet
1073741824 ex superiore tabella facile condiscet. Cæterum quinq; nobis insinuare ui
detur Ptolemæus, quorum primum declarat, tria alia ex uerbis illius intelliguntur, u-
num penitus remanet indiscussum. Primũ, quod proponit, est quòd planetæ quatuor
habent status, superiores scilicet & Luna: & istud declarat litera adeo aperte, ut du
bitatione non indigeat, nec ulteriore expositione. Secundũ est, quòd sydera hęc cum
sub Sole sunt nullas habent uires: nam primum statum tam in Luna quã in superiori
bus orditur ab exortu, & ultimum statum finit ad occultationem. Habent igitur sy-
dera quinq; status, sed unum in quo nihil penitus possunt. Tertium est, quòd Vene-
rem & Mercurium ab hac cõparatione eximit, licet Haly conetur inferere. Causam
describebat commentator dicens, quoniam hi status metum recipiunt ab oppositio-
ne, Venus autem & Mercurius ad Solis oppositum nunquam perueniunt. Quartũ,
an solũ Luna humectet, uideturq; ex dictis, ὑγρότητος ἐστι μᾶλλον ποιητικὴ, id est, magis
humidi factiua est, ut intelligamus in primo exortu, scilicet Heliaco (nã uesperi à cõ-
iunctione Luna incipit exoriri, quod Sole sit uelocior) eam esse magis humidã quã
calidam, post magis calidã quàm siccam usq; ad plenilunium, à plenilunio siccã ma
gis quàm frigidam quousq; dimidia sit, ab eo tempore frigidam magis quam humi-
dam, & ob id maximè in ultimo quadrato aquæ maris augentur, & quòd dum est in
Solis quadratis, sit in absidis opposito propinqua terræ, & quòd peculiariter ab op-
positione quadra sequens frigida sit & humida, quæ temperatura aquæ consimilis
existit. Quod quidem etiam de superioribus intelligendum est, ut de Luna. Quintũ
uerò dubitatione dignum, quomodo Iupiter ab oppositione Solis & reliqui superio
res siccet, cum superius dictũ sit planetas ut propinquiores terræ fiunt, uapores ma-
gis ad se trahere atq; inde humectare. Nã superiores cum in oppositione Solis sunt
in absidis etiam parui circuli opposito sunt cõstituti. Et non solum imaginatione hu
ius circuli inferiores uidentur, sed tales esse deprehenduntur, ob magnitudinem: ui-
dimus enim aliquando Iouem in Solis opposito, qui duplo fermè maior uidebatur,
quam cum primum Solis radijs relictis exoriebatur, cum tamen in opposito Solis fer
mè cœli medium possideret, quo in loco astra minora uideri solent. Vnde etiam dubi
tatio alia emergit: quonam pacto, cum occidentalis sit siccior quã orientalis, cur oc
cidentalis masculinus non sit, & orientalis fœmininus, ut in præcedenti capite osten
sum est? Simile est quod dicitur de Mercurio, nam occidentalem statuit fœmininum,
orientalem masculinum, & tamen infra statuit Mercurium orientalem humidum, oc
cidentalem autem siccum: cum tamen uelit planetas humidos esse fœmininos, sic-
cos autem masculinos? Haly ad primum dubium, cuius ipse fuit author, respondet,
quòd planetæ debiles fiunt in Solis opposito, quia à ui Solis uincuntur: & quanquã
hoc uerum sit, attamen dicimus planetas in Solis opposito siccliores esse secundum
qualitatem, non secundum quantitatem, nam Iupiter in Solis opposito magnas præ
stat felicitates, & lumen, ut dixi, habet, si quando aliàs illustrissimum: opera autem
planetarum, illorum lumen sequuntur. Propterea dixi, quòd qui nostra non fuerit se
cutus principia, nunquam ab his euadet, ut non intelligat Ptolemæum, & ipsum eti-
am in absurdas conijciat contradictiones. Propterea ad reliqua duo dubia dicimus,
orientales planetas esse humidiores quantitate luminis, non qualitate. Purum em
lumen atq; abundans humidum est secundũ substantiã, & tale masculorum auctor
est & efficax: est enim hoc principium uitæ: masculi uerò non minus abundant uitæ
principijs fœminis, imò magis: occidentales autem humidiores in comparatione ad
calorẽ qui minor est, ideoq; fœminei & debiles. Iuxta hoc igitur omnia clara sunt.
An uerò inferius dum sunt Saturnus, Iupiter, atq; Mars sint debiliores, quod Haly
censere uidetur, quanquam non hoc dicat Ptolemæus? Respõdeo, sic: Sed non ob lu

minis paucitatem, cum, ut dixi, plurimum habeãt, nec quia à Sole impediantur, imò in ipsa oppositione à Sole magis illustrantur & roborantur: Sed quia naturali suo motui contrario modo uersantur, ac quasi noni orbis legi repugnant. Cum itaque retrogradi sint debiles, in ipsa tamen cum Sole oppositionis parte, sunt potentes. In reliqua etiam parte retrocessus, sunt potius à natura propria alieni quam debiles.

Reliquum est ut quædam uerba exponam, Quasi dimidiata, intellexit quadratam radiationem exquisitam, sed tunc Luna non est uere dimidia sui corporis parte illustrata, ideo dixit Quasi. Primam stationem uocat cum planeta incipit retrocedere. Secundam, cum ex retrocessu incipit dirigi. Oriri in nocte incipiunt, cum in Solis sunt opposito. Ante enim dum essent iuxta primam stationem oriebantur de nocte: Itaque ortum hic uocat communem, cum stella, occidente Sole, in oriente est, id est, quandiu post stationem primam adhuc stella exoritur de nocte, donec exoriatur ad unguem, occidente Sole, calefacit magis quàm humectet. Manifestum est igitur ex hoc quod cum status stellæ in quatuor modos diuidat, orientalem propriè dici à primo exortu usque ad stationem primam, non usque ad oppositionem, & occidentalem à secunda statione ad occultationem, non ab oppositione ad occultationem,
Cap. 5. quibus modis capi orientale ac occidentale superius diximus. Separata igitur est ratio orientalis & occidentalis à natura retrocessus & directionis: Et quanquam idem sit planeta qui à prima statione fertur ad Solis oppositum, & qui retrocedit, alium tamen habet effectum ut retrocedit, alium ut ad Solem comparatur, & tertio, ut terræ fit propinquus: quamobrem hos status cõmiscere non oportet, etiam si inuicem necessario coniuncti sint. Nam si non commiscueris non errabis, intelligesq; plura de creta unius planetæ ualde inuicem diuersa, & illorum magnitudines inuicem distinctas: quod etiam in alijs facere suadeo. Similiter ut memineris distinguere calidum & humidum cum pro qualitatibus sumuntur, ab ipsa substantia illorum, quæ est lumen uel luminis effectus.

Caput Octauum.

TEXTVS XXXV.

De uiribus stellarum interrantium.

SVperest ut stellarum quoq; fixarum naturas & proprietates effectuum percurramus. Nunc igitur deinceps sicut de erranibus fecimus, percensebimus & in his peculiariter obseruatas rationes. Ac primum quidem earum quę per signiferum descriptę sunt. In capite Arietis stellę effectus habent commistos ex uiribus Martis & Saturni. Quę in ore sunt idem possunt quod stella Mercurij, nonnihilq; quod Saturni. Quæ in posteriore pede, Martiæ: in cauda, Venerię sunt.

Vbi Tauri signum quasi amputatũ cernitur, ibi stellę sunt naturam sapientes Veneris & Saturni aliquantum. At Vergilię Lunã Martemq; referunt. In capite inter suculas una luce rutila excellens, quæ & facula dicitur, Martia est.

Geminorum signum in pedibus stellas habet, quarum natura similis est naturę Mercurij, & nõnihil Veneris. In femoribus lucidę stellę Saturniæ sunt. In capitibus duę nitent, quarum prior Mercurialis est, cognomento

gnomento Apollinis, posterior Martia, cognomento Herculis.

In Cancri oculis stellę duę, effectum similem habent stellę Mercurij, & aliquantulum Martis. In brachijs stellę Saturni sunt & Mercurij. Illę uerò in pectore quasi girus nebulosus præsępis cognomento, Martius & Lunaris est, iuxta quem utrinq; positi, ut uocantur, asini, Martij sunt & Solares.

Duę stellę in Leonis capite idem possunt quod Saturnus, & paulatim accedunt ad Martis etiam naturam. In ceruice tres Saturnię sunt, & aliquantulum Mercuriales. At illud in corde lucidum sydus, Regulū uocant, æquale est Marti & Ioui. Alię in ilio, & una cauda splendida Saturnię & Venerię. Alię in femoribus Venerię, & nō nihil Mercuriales sunt.

Virgo habet in capite stellas, & unam supra alam Australem idem pollentes quod stella Mercurij, & referentes nonnihil Martis quoq; naturā. Reliquę in ala & quę sunt in cingulo Mercuriales sunt, & aliquantum Venerię. Vna in ala Septentrionali, uindemiatoris nomine Satur. & Mercur. At illa quę Spica nominatur, Veneria & aliquantum Martia est. Alię in extremis pedibus & uestimenti tractu, * Veneriæ, & nonnihil Martiæ sunt. * Alias Mere.

In chelis quę sunt in iugo, siue chelis Scorpij extremę stellę effectus habent similes stellę Iouis & Mercurij. Medię uerò Saturni, & aliquantum Martis.

In ipso Scorpio, quę in fronte sunt splendidę, idem ualent q̄d Mars, paulatimq; accedunt ad Saturni quoq; naturam. Quę in corpore numero tres, quarum media reliquis rutila luce præstat, nomenq; habet Græcum quo Marti comparatur, referunt naturam Martis, & nonnihil Iouis. Quæ sunt in nexibus dorsi, Saturnię, nonnihilq; Venerię. Quę uerò in ipsa cauda, Martiales & Martię sunt. At girus ille nebulosus, ut dicitur, Martius est & Lunaris.

Ex stellis, quibus Sagittarij signum effingitur, sunt in cuspide sagittæ Martiæ & Lunares. In arcu & ubi illæ manu comprehenditur, Iouiales & Martiæ. Ille in ore girus Solaris & Martius. Aliæ in fascia & dorso, Iouiales, & aliquantum Mercuriales. Aliæ in pedibus Iouiales & Saturniæ sunt. Illa caudæ quatuor laterum figura Veneria, & aliquantum Saturnia est.

Stellę, quę sunt in cornibus Capricorni, idem efficiunt quod Veneris stella, & ad Mart. quoq; naturam paulatim accedunt. Quæ in ore q̄d Saturn. habentq; nonnihil Vener. uirium. Quę in pedibus & aluo Martis naturam & Mercur: Quę in cauda, Saturni & Iouis naturā referunt.

In Aquarij humeris, itemq; ueste & manu sinistra, stellę sunt effectus similis stellarum Saturni & Mercurij. In femoribus quæ cernūtur, magis Mercurium, minus Saturnum referunt. Quæ in profuso latice,

Saturni & aliqua ex parte Iouis naturam habent.

Stellę in capite Piſcis Auſtralis, Mercurij uires repreſentãt, habentq; Saturni quippiam. In huius corpore ſtellę Mercuriales & Iouiales ſunt. Quę ſunt in cauda & filo Auſtrali, cum naturam referant Saturni, accedunt ſenſim tamen & ad Mercur. Quæ ſunt in corpore & ſpina Piſcis Septentrionalis, Martię ſunt, ualent tamen & Venerium qniddam. Quę in filo Septẽtrionali Saturnię ſunt & Iouiales. Illa in nodo ſplẽdida Martis naturam & Mercurij quoq; nonnihil habet.

Reliquarũ effigierũ in regione Septẽtrionis ſunt ſtellæ in Vrſa mino re lucidæ natura Saturniæ, non tamen nihil Venerem quoq; referentes.

Stellæ uerò Vrſę maioris, Martię ſunt. Sub huius cauda quaſi crines, Lunares ſunt & Veneriæ.

Draconis ſplẽdidæ ſtellæ Saturnię ſunt & Martiæ, atq; etiã Iouiales.

Stellæ Cephei Saturniæ ſunt & Iouiales.

Bootæ, Mercuriales & Iouiæ ſunt. Rutilus ille fulgor qui Arcturus nominatur, naturæ eſt Iouis.

Stellæ Coronæ Septentrionalis, Veneriæ ſunt & Mercuriales.

Quæ in ſigno quod in genua uidetur procubuiſſe, Mercuriales.

In Lyra Veneriæ & Mercuriales.

Quibus idem ualent alitis quoq; ſtellæ.

Caſſiepiæ, Saturniæ ſunt & Veneriæ.

Perſei, Iouiales & Saturniæ. Girus ille in capulo enſis, Martius & Merc.

Aurigæ ſtellæ ſplendidæ, Martiæ ſunt & Mercuriales.

Serpentarij, Saturniæ, quæq; Veneris aliquid habeant. Ipſe quidem Serpens Saturnius & Martius eſt.

Sagittæ ſtellæ, Martem referunt, habent & Veneris quiddam.

Aquila, Martia eſt & Iouialis.

Delphin, Saturnius & Martius.

Stellæ lucidæ equi, uires habent Martis & Mercurij.

Andromeda, Veneria.

Delta, Mercuriale eſt.

In regione Auſtrali, eſt in roſtro Piſcis Auſtralis ſtella lucida, poteſtate Veneria & Mercurialis.

Cœti ſtellæ ſunt Saturniæ.

Orion in humeris ſtellas habet Martis & Mercurij naturę. Reliquę ſplendidæ Iouiales ſunt & Saturniæ. Extrema ſplẽdida illa fluminis ſtella, Iouem, reliquæ Saturnum referunt.

Leporis ſtellæ Mercuriales ſunt.

Canis, Venerię, una in roſtro fulgida, Iouis, & aliquantũ Martis naturam habet.

Hydri lucidæ, Saturniæ & Veneriæ ſunt.

Crateris, Veneris uires, deq; Mercurij aliquid habent.

Corui

Corui, Martiæ & Saturniæ sunt.

Argo nauis lucidas stellas habet Saturnias & Iouiales.

Centauri humana figura, stellas complectitur Venerias & Mercurias. Equina habet splẽdidas, Venerias & Iouiales. Quę in fera sunt splendidæ, Saturnum referunt, & nonnihil Martem.

Quæ uerò in ara, Venerem, & aliquantulum Saturnum.

Corona Australis stellas habet splendidas natura Saturnias & Mercuriales.

Hic textus per se manifestus est nec longa indiget declaratione, adeò ut Haly pauca circa illum dicat, commentator uerò ignotus etiam uideatur prætermittere illius expositionem. Quamobrem solum cum essent quædam circa illum adnotanda totum in unum redegi. Itaq; uidetur primum illud animaduertendum duobus modis stellarum fixarum notitiam effectuum haberi: uno quidem modo per experimentum, quod certè securissimum est, altero per rationem. Ob id igitur Ptolemæus docet experimento uires illarum cognitas fuisse. Quo autem experimento facilè est intelligere, quod ex obseruationibus Chaldęorum & Aegyptiorum, cum Sol uel Luna eis iungebantur, per longitudinem deprehensæ sunt uires. Solis quidem propter magnitudinem effectuum & naturę simplicitatem, & reditum annuum ad illas, tùm moram unius diei aut etiam plurium: Vltimo, propter exortus qui quidẽ ad multos dies extenditur cum fixa primum ante Solem sub auroręe tempore ab oriente emergit: Lunæ uerò propter frequentes coniunctiones certissimasq; tùm uerò magnitudinem effectuum & maximè in mari ob æstus, & naturæ simplicitatẽ, & luminis delationem. Quinque igitur modis & à Solis coniunctione, & à Lunę, seu accessibus & recessibus fixarũ naturã antiqui uenati sunt. Licuit & in coniunctionibus aliorũ planetarũ & dum emergerent occiderentúe, tam in temporum mutationibus quàm etiam geniturís, & dum cœli medium, seu cor occuparent, in geniturís tamen tantum, & ex locorum natura quibus super uerticem feruntur, aliquid de natura illarum intellegere. Ratione uerò etiam quinque modis, aut magnitudine: quæcunque enim sunt maiores, eo sunt efficatiores, paruę autem imbecilles: Lumine, quæcunq; lucidum habẽt illustria omnia faciunt, seu bona seu mala: tenebrosæ obscuritatem mentis, & intellectus, atque aliorum effectuum: Rursus quæ densum habent lumen, efficaces, quæ rarum, debiliores, quæ plurimum micant, ut Canicula, magnas conturbationes efficiunt, & maria agitant, & proditiones suscitant, & mentes hominum inquietas reddunt. Rubræ quoque, hoc autem ad colorem pertinet, Marti assimilantur, ut plumbeæ Saturno, & claræ micantes Soli, atque aliæ, ut dictum est à nobis in decem libris Astronomicis, quibus titulus est Supplementũ Ephemeridum. Loco uerò, quoniam robustissimę sunt quæ circa uiam Solis locum habent: Vnde dicebat Haly, quod cor Leonis cum sit secundæ magnitudinis propter robur (hoc autem illi ineſt quia maximè propinquus est ecclipticæ) numeratur inter stellas primæ magnitudinis. Est enim efficacissima omnium earum fermè quæ in cœlo sunt. Causa est, quoniam à Solis lumine & dum præsens est & per radios uehementius illustrantur stellæ quæ in uia Solis sunt quã quæ extra illam. Proximæ his quæ usq; ad octo gradus (ea em̃ est latitudo Veneris maxima ab ecclíptica) distant, seu Australes seu Boreales. Causam reddebat Haly, quoniam cum fixæ plurimum absint à terra, & proprio motu tardissimè moueantur, uis illarum ad terram non defertur. Quæcunque igitur proximiores sunt ecclipticæ, erraticarũ, quæ illis iunguntur, beneficio uires ad nos transmittunt. Ideoq; & frequentius quanto propiores sunt ecclipticæ. Validissimæ igitur quæ intra tertium gradum latitudinis continentur, quoniam corpore omni planetæ præterquam Soli, iungi possunt. Post has sunt quæ à tertio gradu usq; ad quintum,

nam & his Mars & Luna iunguntur. Debiles uerò quæ à quinto usque ad octauum. At de his in Ephemeridum Supplemento distinctè conscripsimus. Propter hoc igitur Ptolemæus à stellis, quę in Zodiaco sunt tanquam ualidioribus, & quarum opera celerius & uehementius nobis manifesta sunt, initium duxit. Præponuntur tertio loco quæ Borealem habent latitudinem nobis, quę Australem, habitantibus in regione Antartici poli. Similiter & quarto loco quæ declinationem habent Borealem nobis: quæ Australem, habitantibus ultra æquinoctialem. Quinto, quæ supra uerticem alicuius regionis sunt, plurimum in illa regione possunt, quę autem remotę sunt à uertice regionis, tanto minus possunt quanto magis remotæ sunt. Sexto, quæ cum aliquo planeta in longitudine iunctæ sunt. Septimo, quæ in antiscio alicuius planetæ ad unguem sunt costitutæ. Octauo, quæ simul oriuntur aut occidunt cum aliquo planeta plurimum possunt, uimque exhibent illi planetæ cum quo oriuntur uel occidunt. Nono, cum medium cœli cum aliquo planeta occupauerint. Decimo, cum simpliciter exoriuntur. Vndecimo, cum occidunt. Duodecimo, cum radijs alicuius planetæ illustrantur. Hic autem modus est ualde debilis, quia neque planetę à stellis radijs afficiuntur, quoniam fixæ radijs carent: neque ipsæ fixæ per se uires ad nos transmittunt ualidas, nisi cum coniunctæ fuerint planetæ alicui, aut in eadem declinatione ab æquinoctij circulo, aut secundum aliquos in circulo equicrurio cum planeta aliquo (id est, in circulo magno qui per puncta intersectionum transit circuli meridiei & horizontis habitationis illius) aut cum stella emerserit primum in horizonte, aut cor cœli occupauerit, aut occiderit in horizonte posita, uel septimo loco cum directio ad illam peuenerit, ipsa uerò aut maxima fuerit, aut prope ecclipticam. His septem modis fixæ solum habent euidentes effectus: atque eo ordine quo scripsimus euidentiores: reliquis omnibus obscuros & penè inutiles. In his etiam cum Sole maximos circa uitam & honores: cum Luna deinde circa fortunam: post Ioue, Saturno, Marte, Venere, atque Mercurio, nisi similitudo naturæ præuertat ordinem: Similis enim stella fixa cum erratica euidentissimos habet effectus, cum contraria obscurissimos, cum dissimili atque alterius generis, incertos, & qui fermè non nisi post euentum dignosci possint. Figuræ uerò existimantur uires habere, multumque his Ptolemæus tribuit, cum tamen figura non sit principium actionis: deinde quod figuræ illę haud exactę sint, imò ne tales ut quisque unquam ullam agnoscat nisi ualdè edoctus ac potius persuasus quam edoctus. Plurimum enim absunt Arietis stellę ab Arietis figura, & longè plus quę in Tauro à Tauri, atque ita in cæteris, præter triangulum: ea enim sola, quod simplicissima sit forma, nomen refert & dignosci absq; artificio potest. Verum ut dicam, figurę illę his stellis ascriptę sunt ut nomen posset imponi. Nam quod fortuitę sint, uel solum declarat quod adijciendo alias uel adimendo, semper figura commutetur, ut liquidum sit eas esse uoluntarias. Sed tamen aliquid posse uidentur quod experimento, non ratione ulla, comprehensum est. In quibusdam tamen succedit, ubi nomen consequens effectui impositū est: Velut Tauro, qui laboriosos significat, & frontem facit elatam utrinq; prominentem: Sed quid habet Aries cum stellis quę Arietem formare uidentur? Itaq; figurę hoc modo uires habent cum linea horizontis comprehenduntur atq; aliquam effigiem formant. Refert enim natus & qui sub ea constitutione nascuntur, effigiem lineę comprehendentis stellas quę tūc exoriuntur: atq; id pulcherrimū scire est. Nam ob id in diuersis regionibus idem signum eademq; pars signi diuersas hominum formas præstat, sed tamen consimiles, quoniam horizontis linea diuersis modis figuras illas secat. Est etiam, ut dixi, quippiam ex figuris ortum habens incertis quidem nobis, conditori autem certissimis, ex quo plurima atq; ardua, sed solo experimento, deprehenduntur.

Est etiam illud consideratione dignum, quod fixis stellis quippiam accidit Solis causa superioribus planetis simile, nō tamen idem. Cum etenim primum Sole illas relinquente ante ipsius exortum illuxerint, tunc ualidissimę sunt, remittuntur autem dum Sol longius abest: Cum uerò sub oppositione fuerint, debiliores fiunt, donec ad

exortum

exortum matutinum redierint. Hoc autē experimento & Mathematica ratione constat: nam cum proximæ Soli fuerint, lumen Solis, quod altiores sint, ad nos reflectūt: quod imbutum uiribus stellæ, dum illa nocte exoritur, minimè natiuis impedita radijs Solis, maximos effectus atq; repentinos, tùm celeres in his inferioribus producit. Vtrum uerò à primo discessu à Sole stellæ sint humidiores, deinde usq; ad oppositionem calidiores, Caniculæ exortus ostendit uerum non esse: quādoquidem dum primū apparet, omnia excalefaciat atq; exurat. Calidior igitur est atq; humidior Solis radijs proprio lumine infectis, non quidem ut dictum est centies, humido secundum qualitatem, sed secundum quantitatem, atq; inimico humano generi, quemadmodum est uisus serpentū. At uerò quæret quispiam de planetis in oppositione atq; quadratis Solis, quonam pacto se habeant cum in ipsismet punctis fuerint? Itaq; dico in primo stationis primæ puncto tanto calidiores sunt quanto humidiores, antea humidiores quàm calidiores, post sicciores quā calidiores. In ipso oppositionis puncto tanto calidiores quanto sicciores, tunc uerò est ac si nihil caliditatis ac siccitatis addidissent. Protinus uerò fiunt sicci atq; frigidi, sic ut siccitas augeri incipiat usq; ad medium spatij quod est usq; ad stationem secundam: inde siccitas remittatur, frigiditas uerò semper augetur donec ad medium spacij peruenerit, quod est inter stationem secundam & occultationem: tunc enim propter quintum tempus frigiditas in ultimo consistit, & planeta fit debilissimus. Hæc autem necessaria sunt ad determinandam magnitudinem qualitatū. Sententia igitur Ptolemęi est, ut in omnibus astris habitum illorum ad Solem tribus ex causis respiciamus: Prima, quia omnia astra moderantur Solis effectus, & illius uirtutem in hæc inferiora augent aut minuūt, ipse autem principalis causa omnium est. Secunda, quia uirtus quæ ad nos defertur ab astris tanta est quantum est lumen quod à Sole recipitur ab illis. Hoc autem, ut dictum est nō simpliciter intelligi debet, sed omnibus his modis quibus explicauimus. Tertia, quia omnes planetæ, ut dicebat Messahallac, alligantur Soli uelut fune: & uerum dixit, omnia enim cœli sydera Solis cursum obseruant. Nam Venus & Mercurius eodem motu in eccentrico mouentur, & cētrum epicycli eorū idem est cum centro Solis semper. Luna epicycli centro & absside media hiccinde semper æqualiter distat à linea medij motus Solis: sicut linea quæ ducitur à centro Solaris circuli per centrū Solis media semper sit inter absidem Lunæ, & lineam ductam ex centro circuli Lunæ per centrum parui sui circuli. Tres uerò superiores tātum distant ab absside sui parui circuli quantum linea medij motus Solis à linea medij motus ipsius planetæ. Fixę uerò stellæ eodem motu ad unguem mouentur quo ipsius Solis absis. Itaq; constat Solem esse metrum & mēsuram omnium syderum quæ in cœlo sunt. Hęc uolui dixisse, ut intelligeres Solem esse principem atq; regem inter astra, cuius consideratione atque respectu omnia metiri debeant. Quantum uerò ad figuras signorum, sciendum est quod propter octaui orbis motum Aries amplius non est iuxta æquinoctij circulum, nec signa ipsa æqualis sunt longitudinis atque latitudinis, sed quædam quadraginta & amplius partium in longitudine. Similiter & circa latitudinem plurimum, ut dixi, differunt: Quamobrem non ex antiquo situ sed ex stellarum natura & configuratione, Virtus signorum octaui orbis sumenda est, Signa uerò noni orbis neque figuras habent neque figuris cognitis constant, sed partes ipsius cœli ad æquinoctij circulum comparatæ, diuersas existimantur habere naturas, siue in nono cœlo sint, siue in octauo. Et tamen cum omni figura careant hæ partes, signorum nomine intelliguntur, non autem figuræ octaui orbis. Cum ergo dixero Arietem, non iam figuram in octauo cœlo intelligo quæ stellis Arietem refert, sed triginta primas illas partes ecclipticæ quæ primum ab æquinoctiali uersus Septentrionem numerantur.

Cum igitur stellas octaui orbis considerat eas quæ proximè sunt, id est, in eodem signo, aut cœlesti imagine, & quę eadem habēt uires, breuitatis causa & euitandi tędij studio, sub una ratione connumerauit: Velut eas quas in ore Arietis, naturæ Mercurij simi-

curij similes parumq; Saturni esse dixit.

Hic igitur dubitatione dignum est, an qualitates ipsas simul temperet an utrasq; simul, tametsi contrarias esse uelit: Similiter an, cum dixit, gratia exempli, stellã quæ est in corde Leonis habere uim Iouis atq; Martis uelit, in his in quibus naturę horum planetarum pugnant, utramq; aboleri, an utranq; adesse? Velut Iupiter significat iustitiam iustosq;, Mars iniustitiam atq; iniustos, utrum ne illi quibus cor Leonis in ascendente erit, erunt modò iusti modò iniusti, aut simul iusti atq; iniusti, an prorsus medij inter iustos atq; iniustos? Sed mihi uidetur ut non aliter interpretandus sit Ptolemæus quàm per ipsummet: In tertio libro enim Planetarum naturas miscet, ubi de qualitatibus animi loquitur. Quamobrem ex eo loco stellarum errantium mixtionis ratio in fixis erit interpretanda. De qualitatibus autem, quoniam non Galeni, sed Aristotelis sequutus est opinionem, existimandum est similes in unum coëgisse, atq; ex similibus similia auxisse, in contrarijs autem ob repugnantiam aut utramq; sustulisse, aut ex maiore minorem ademisse. Eademq; ratio est de corporis & fortunæ decretis, quã de animi coniugationibus obseruandã ex Ptolemęo docuimus. Igitur stellæ in cauda Vrsæ maioris quasi crines humidissimæ sunt, & suffocationes ab aquis, uel propter pituitam nuntiant: quia ex natura Veneris sunt atq; Lunę. Vterq; autem istorum planetarum humidissimus est, in calore uerò mediocres: Luna scilicet calidiores & Venere frigidiores. Ita stellæ de natura Saturni & Martis siccissimæ erunt, Vterq; enim planeta siccus est, in calore quasi temperatæ, sed declinabunt ad frigus, quia Saturni frigus Martis calore maius est: Erunt autem iracundi propter Martem, & tenacis iracundiæ propter Saturnum, & in illa iracundia feroces & audaces, ea de feruescente, timidi, propter Saturnum.

Cap. 17.

Caput nonum.

TEXTVS XXXVI.

De Anni temporibus & quatuor angulorum natura.

ATq; hæ sunt uires singularum stellarum, ut à ueteribus obseruatæ fuere. Exquiri autem & anni temporum quatuor natura debet, quæ nominamus, Ver, Æstatem, Hyemem, Autumnum.

Qui putant Ptolemæum solum ea quæ fiunt considerare non ea quæ facta sunt, caput istud non diligenter considerauere: Docet aũt se tradidisse doctrinam de stellis iuxta antiquorum experimenta: nunc anni tempus in quatuor partes diuidit proportione respondentes quatuor partibus mensis Lunaris, & quatuor partibus diei, & quatuor ætatibus, & quatuor constitutionibus superiorum: in omnibus enim his prima pars est humida & calida, sed minus calida q̃ humida: secunda calidior quàm sicca: tertia siccior quàm frigida, & quarta frigidior quã humida. Ideo ex natura horum temporum præter id quod cognoscimus illam, cognoscimus etiam quod dictũ est de comparatione Lunæ, & superiorum, & fixarum quomodocunq; & ætatum, & partium diei in medio puta in stationibus. Nam quemadmodum medium inter Ver & Aestatem, ubi Ver Aestati coniungitur, est calidum manifestè, in humido autem & sicco temperatum: Ita in fine pueritiæ dum iuuentuti iungitur, & dum Luna est in prima quadrata radiatione Solis, & in superioribus in prima statione. Posuit autem hanc tractationem post stellas fixas, quoniam à stellarum exortibus tempora permutantur.

TEXTVS XXXVII.

Ac Ver quidẽ humiditatis plurimum habet, cum soluto frigore aura calore

calore diffunditur. At æstas calidior est, propterea quod tùm Sol proxime uerticalem nobis punctum fertur. Autumni uerò propria siccitas est, humiditatem tùm præterito æstu reprimente. Hyems autem tota est frigida, quod Sol tùm longissimè distet à uertícali nobis loco.

Quòd uer sit humidum secundum Ptolemæum, & temperatum secundum Galenum nullam habet repugnantiam: quoniã quantitate quidem humidi ac substantia humidum dicitur, iuxta qualitatem autem est temperatum, non sicut humidũ hyemis quod crudum est: eodemq; modo de Ioue supra distinximus. Similiter quod medici breuius faciant uer & autumnum, longam æstatem, & longissimam hyemem, Astrologi autem omnia tempora æqualia, neq; id rursus repugnans est, cum Astrologi rationem sequantur omnibus gentibus generalem, quæ est quòd uer fit dum Sol permeat ab initio Arietis usq; ad initium Cancri: dissoluit enim humidum & impinguat terram, nec tamen adhuc sensibiliter excalefacit. Ex quo liquet manifestè quod diximus prius stellas humectare antequam excalefaciant: paruus enim calor & multus humectare potest, non autem calefacere. Aestas uerò à Cancri initio ad Libræ initium: à Libræ initio ad Capricorni initium autumnus, à quo ad Arietis initium rursus hyems. Neq; obstat quod medici annum in septem tempora diuidant: nam rationem stellarum fixarũ, non Solis tantum sequuntur. Hæc autem inferius declarabi-.

Porrò cur Zodiacus in duodecim signa diuidatur, Haly duas pulchras rationes adducit, primam, quoniam unumquodq; tempus istorum quatuor habet initium, medium, & finem: cum igitur tria ducuntur in quatuor, fiunt duodecim signa. Secunda, quia Luna, quæ & ipsa quatuor tempora facit in mense, licet non adeò cõspicua, duodecies in anno coniungitur Soli, adeò ut multi Lunarem rationem nõ Solis sequuti, annum constituerint dierum CCCLIIII. Quia uerò Sol in trecẽtis sexaginta quinq; diebus & sex horis fermè totum peragrat signiferum, & hic numerus erat incõmodus supputationibus, diuiserunt signiferum in numerum proximiorem partibus plurimis constantem, qui est CCCLX. ut sic unumquodq; signum triginta partibus constet. Sed hæc diuisio ut computationi aptior est, ita physica minimè est, sed ea quę fit in trecentas sexaginta partes cum quarta fermè: Diuiduntur etiam partes singulæ ex trecentis sexaginta in sexaginta partes, quas minuta uocant. Vltra quas procedere curiositatis est, non utilitatis: Sed tamen cogimur & debemus in supputãdo, non autem in assignando loca planetarũ, & fixarum, & signorũ, minuta enim sufficiunt.

TEXTVS XXXVIII.

Sed cum signiferi nullum sit initium, ex ipsius quidem, ut circuli, natura, prætulere tamen alijs, principiumq; fecerunt Arietis locum tribuentes, ut in animante primas, humido quo uer excellit, atq; ordine reliqua tempora adnumerantes. Omnia enim animalia prima in ætate humido abundant, & mollia teneraq; sunt, sicut illa tempestas sentitur. Proxima uerò ętas, ut æstas feruet. Tertia, tanquam defloreſcens & proprior interitui, arida est, autumnoq; assimilis. Vltima, in qua animantis est corruptio, ita ut hyems, prorsus est frigida.

Octo cõparasse iuxta cõbinationes primarũ qualitatũ quatuor modis, primum Solẽ per quatuor anni tẽpora, secundo Lunã, tertio superiores, quarto inerrãtes, sed obscurè tamẽ, quinto horas diei, sexto ętates, septimo uẽtos, octauo angulos atq; cũ his regiones, iam dictũ sit. Cũ igit̃ in circulo Zodiaci non liceret inuenire principiũ quatenus circulus est, initiũ statuerũt à sectione æquinoctij, & ideo initiũ ueris fuit ab initio Arietis: Tũc uerò existimabat octaui orbis initiũ facere ueris, qa Ptolemęi tẽpore

ATENEO VENETO VENEZIA

pore Ariesoctaui orbis prima sui parte tãgebat æqnoctij circulũ fermè, intelligendũ tamẽ de signis noni orbis, seu octaui imaginarijs, & sunt triginta gradus primi q̃ sunt à sectione eccliptícæ & æquinoctij uersus tropicum Cancri, uel loco eccliptícæ dicas Zodiaci. Gradus autem dixi sequutus Arabes, melius est latinè dicere partes. Dicit igitur quòd prima ætas quæ est à natiuitate usque ad uigesimum primum annum ubi finitur incrementum, est humida longè magis quàm calida, & assimilatur ueri, & uocatur ætas incrementi. Secunda, quæ assimilatur æstati, est calidior quã sicca, & incipit à uigesimo primo anno, & extenditur usq; ad trigesimum quintum annum, in robustis usque ad quadragesimum, & uocatur iuuentutis. Tertia, quę assimilatur autumno, incipit à trigesimo quinto, & terminatur ad quinquagesimum annum: in robustis autem, incipit à quadragesimo & terminatur ad sexagesimũ. Quarta & ultima, quæ assimilatur hyemi, quæ est frigidior quàm humida, sicut præcedẽs est siccior quàm frigida, incipit in omnibus inter quinquagesimum & sexagesimum annum, & terminatur usque ad finem uitæ. Prima igitur ætas est incrementi. Secunda, roboris. Tertia sapientiæ. Quarta debilitatis, sicut & inter tempora anni. Primũ est uoluptatis, scilicet uer. Secundum generationis & profectionis, scilicet æstas. Tertium collectionis, autumnus. Quartum debilitatis. Prima igitur sectio uernalis erit calida humida puerilis, & sanguinea, & continet Arietem, Taurũ, & Geminos. Secunda calida & sicca æstiua iuuenilis, & continet Cancrum, Leonem, & Virginem. Tertia est frigida & sicca, melancholica decrescens, & continet Libram, Scorpionem, & Sagittarium. Quarta & ultima, est frigida humida hyemalis senilis, & continet Capricornum, Aquarium, & Piscem. Harum media maximè sunt talia, ut Taurus temperatissimus, seu calidissimus, & humidissimus secundum substantiam & multitudinem: Leo calidissimus & siccissimus: Scorpio frigidissimus & siccissimus: sed ut dixi, siccior quàm frigidus: Aquarius frigidissimus & humidissimus. Initia quoque seu prima signa cuiuslibet quartæ partis Zodiaci excessum habent maximum unius qualitatis supra reliquam, utpote Aries est longè humidior quàm calidus, Cancer longè calidior quàm siccus, Libra longè siccior quàm frigida, Capricornus longà frigidior quàm humidus. Vltima uerò signa minimum habent excessum unius qualitatis super aliam, & ad naturã alterius temporis tendunt: in Geminis calor superat humidum, in Virgine siccum superat calidum, in Sagittario frigidum superat siccum, in Piscibus humidum superat frigidum. Secundum hoc igitur habes naturam duodecim signorum ad unguem: Et quia, ut dictum est, omne quod potẽtia est tale, fit actu tale: planetæ in his signis, & fixæ, & cometæ, & ascendens, & reliqua talia fiunt & adipiscuntur naturam signi. Ex his etiam sequitur quod Taurus est temperatissimum signum quod sit in cœlo: nam est temperatissimum quartæ partis uernalis, quæ est temperatior omnibus alijs, & Leo est ardentissimum omnium signorũ quæ sunt in cœlo, bilioſissimum & animosissimum, quia est ardentissimum quartæ partis æstiuæ Zodiaci, quæ est calidissima & siccissima omnium partium Zodiaci. Et Scorpio erit pernicioſissimus & inimicissimus naturæ humanæ, quia est frigidissimus & siccissimus omniũ signorũ quæ sunt in cœlo: & ideo uenenũ ei merito tribui potest. Aquarius uerò erit timidissimus & ignauissimus, frigidissimus & humidissimus omnium signorũ &c. Hucusq; locutus est Ptolemæus secundum uera principia physica, & absq; dubitatione digna, modo quis sciat distinguere inter caliditatis magnitudinẽ & naturã, seu luminis & opus eius, q̃d est in se calidũ ubi multũ sit de lumine, & frigidũ ubi parũ sit de lumine & calore: & in cõparatione ad elementa, humidũ ubi sit multũ de uapore concocto, siccũ ubi sit parũ de illo uapore concocto, & de illa humida substantia. Omne enim astrum qualecunq; sit sicut est author caliditatis, ita etiam humidi, sic ut frigidum & siccum in astrorum operibus non sint qualitates contrariæ, calidi & humidi, sed nomina mensuræ paruitatis calidi & humidi: Et ut sciat distinguere inter primas qualitates in quanto quæ sunt substantiæ, & inter qualitates primas quæ sunt accidentia & impressiones: Vt sit exemplum, quòd Taurus est temperatissimum signum plurimum habens calidi & humidi, quia est signum

uernale

uernale medium ut dictum est, dicetur tamen planeta in eo siccus cum Taurus fuerit in parte orientali cœli secundum qualitatem, id est, quod natus sub illo, licet habeat pluimum de calore naturali, & humido uitali quod substantia ipsi idem est, ut in medicis expositionibus docuimus, illud tamen humidum erit siccius, & non erit tam purum neque tam feruens secundum qualitatem, ut esset humidum illius qui natus esset cum Taurus occidit. Et ita per contrarium natus sub planeta in Libra occidente, humidum habet purius & syncerius secundum qualitatem, non erit tamen neque densum, neq; multum: imò, ut ita dicam, aqueum, & benè uides ista non repugnare. Dabo aliud exemplum clarius: capiatur puer, & senex, & nutriantur duobus annis: puer quidem lentibus decoctis & brasica, bibens aquam, senex autem carnibus & ouis, & uino dulci bono: puer referret temperiem nati sub Tauro tam in quanto quã in quali, & senex nati sub Libra, tam in quanto quàm in quali. Hæc igitur uolui te intelligere, quoniam dubia uidentur & non sunt: & sunt claues ad intelligendum omnia dicta Ptolemæi tam quæ antecedunt quã quæ sequuntur: Sed quæ subijcit cum clara uideantur, maximam in ueritate habent dubitationem & sunt.

TEXTVS XXXIX.

Ad hoc exemplum quatuor anguli horizontis, ex quibus nascuntur, totas illas partes occupantes uenti etiam distribuuntur. Orientalis enim ariditatis plurimum habet: quòd cum ibi Sol est, tùm per noctem excitata humiditas desiccari incipiat. Hinc igitur uenti spirant aridi, & desiccãtes auras, qui ferè Subsolani uocantur. At plaga meridionalis & calidissima ipsa est, propter flãmationes Solis in cœli medio, quod non nostrarum terrarum situs est ad meridiem maximè declinat. Huius uenti nominantur communiter Noti, suntq; calidi & rarifici. Cæterum locus occiduus, quod ad illum cum Sol peruenit, tùm primum humiditas per diem exhausta diffundi incipiat & humectus ipse est, & qui inde exeunt uenti, quos nominant Fauonios, teneri sunt & madidi. Verum Septentrio totus frigidus est, propterea quod pro situ nostrę terrę longissimè absit à calore cursus Solis per cœli medium, quique inde spirant uenti, cõmuni appellatione dicti Aquilones, frigidi sunt & cõgelatores.

Maximã causam esse oportuit propter quam Ptolemæus à solito ordine in uentis & diei partibus, seu partibus cœli quæ horizonte & meridiano distinguuntur, recesserit. Si quidem ex ordine fuisset solito ut uẽtum orientalem ueri assimulasset, & similiter primã partem diei, quæ est ab ortu Solis usq; ad meridiem, & partem illam etiam cæli quæ inter horizontem & medium cœli posita est: Sequentem uerò à meridie ad occasum, æstati: Ita & tempus & uentũ, sed in hoc conuenit, in prima autem non conuenit. Similiter uentum occidentalem & partem primam noctis, quæ est ab occasu ad mediam noctem, poterat assimulare autumno, sed non facit. Partem uerò, quæ est ab imo cœli usque ad orientem, & noctis quæ est à medio ipsius ad Solis ortum, & Borealem uentum, hyemi quod & facit fermè. Dissidet autem in duabus partibus quæ sunt oppositæ ab ortu, scilicet ad meridiem, & ab occasu ad cœli imum. Nam illam quæ est ab ortu ad cœli medium, siccam facit, contrariam humidam: atque ita uer siccum, autumnum humidum. Primum igitur uidere decet quid Ptolemæum in hanc opinionem impulerit, inde contrariæ rationes adducẽtur. Quatuor igitur rationibus, ut mihi uidetur, Ptolemæus innixus est: prima est, quod nox tota sit humida: unde etiã illud Poëtæ, humida cœlo: dies uerò siccus. Vt igitur statueret diem totam siccam & noctem humidam, coactus est ponere partem quæ

ab oriente

ab oriente est ad meridiem, siccam & non humidam. Secunda est, quia dum Sol consurgit purus est & nitidus usq; ad meridiem: pellit enim uapores, non trahit, excalefacere multum non potest cum sit nouus, Igitur pars illa cœli ac tẽporis sicca est & contraria humida. Tertia causa est, quia si humida poneret & calida uelut uer, esset pars ima hyemi respondens, id est, à media nocte usq; ad ortum Solis, seu ab imo cœli ad ascendens, quare non posset esse principium uitæ. Quarta adducitur à Ptolemæo in textu, quòd Sol cum oritur exiccat humidum uaporum, igitur est siccus: & illud docet ab experimẽto quòd uenti orientales exiccent. Verum in oppositũ plurima sunt.

Cap. 12. Primum, quòd iam peruertat ordinem consuetum. Secundum, quòd uentus orientalis humidus sit & adducit pluuias in Italia, quòd & Galenus innuit 5. Methodi, occidẽtalis uerò exiccat & serenitatẽ parit, quod etiam Petrarcha docet in carminibus suis Italicis. Tertium, quòd uenti ijdem in diuersis regionibus diuersos effectus prorsus faciunt. Quartum, quòd Hippocrates in sexto Epidemiorum assimilat primã partem

Part. 1. t. Com. 15. diei quæ est ab ortu ad meridiem, ueri: sicut tẽpus quod est à meridie ad occasum, æstati, & tempus quod est ab occasu ad mediam noctẽ, autumno, & reliquum hyemi: ita etiam dicit moueri humores & morbos. Quintum, quòd idem author in libro de

Cap. 2. Aëre & aquis dicit, quòd ciuitates expositæ Euro, sunt similes in qualitatibus his quæ à tempore uerno procedunt. Sextum, quia ratio sua de uere probat quod prima pars diei sit humida, calor enim moderatus eleuat uapores. Septimũ, quoniam si pars quæ est ab imo cœli ad ascendens ponatur frigida, quomodo ascendens & prima domus erunt uitales? cum uita consistat in calido. Octauum, quia si pars quæ est ab oriente ad medium cœli sicca est, uel tantũ sicca est? uel etiam frigida? uel calida? si sicca tãtum, peruertitur ordo omnium aliarum qualitatum in temporibus, ætatibus, superioribus, & Luna, ubi nunquam una sola uiget qualitas: Præterea una qualitas sola diu manere non potest, ut Galenus & Auerroës docent. Si erit sicca & calida, talis erit etiam illa quæ est à meridie ad occasum, seu in parte cœli, seu in tempore, & ita erunt tantum duæ cõbinationes qualitatum, una in die, calida & sicca, alia in nocte, frigida & humida. Præterea nõ differret specie natura partis diei ab ortu Solis ad meridiẽ, & à meridie ad occasum: Si uerò ponatur sicca & frigida, erit contraria illi quæ est ab occasu ad mediam noctem, calida & humida quod est absurdissimũ & contra omne experimentum ponere primã partem diei usq; ad meridiem frigidã, & primã partem noctis usq; ad mediam noctem calidam? Quid enim absurdius quam ponere diem frigidum & noctem calidam? Perinde ac si lucem obscurã & tenebras claras. Nonum, quoniam processus erit contra ordinem quomodo libet ponatur, scilicet à sicco ad calidum, à calido ad humidum, ab humido ad frigidum, à frigido ad siccum, nam iste processus est absurdus & omnino contra naturæ ordinẽ: quia uidemus primo materiam dissolui & fieri humidã à calore non tamen incalescere, post incalescere & exiccari, & ex siccitate fieri frigiditatẽ, ut in senibus, qa sicci sunt, ideo fiunt frigidi, non quia frigidi ideo fiunt sicci. Ita pueri quia humidi, fiunt calidi, non quia calidi, ideo euadunt humidi. Hæc omnia adduxisse uolui ut quisq; intelligat Ptolemæi sensum non fuisse perceptũ ab ullis expositoribus, nec percipi potuisse nisi quis intelligat nostra principia, mordicusq; retineat. Sensus igitur est, tale tempus, talisq; pars cœli, talisq; uentus qui ab oriente usq; ad meridiem ortum habet siccus est qualitate & actione, nõ substantia, nec aliam copulat illi qualitatẽ. Ratio est, quia in his quæ sunt breuis temporis actiones considerare oportet quæ uehementes sunt, hæ uero pariunt qualitates non substantias. Substantia enim concoctione indiget, concoctio tẽpore, tempus autem breue est & perexiguum. Ideo planetæ & fixę in partibus diei atq; cœli qualitates mutant non substantias. Non igitur inconuenit actionẽ ex sicca transire in calidam, uel ex calida in humidã. Alia dubitatio est, quomodo imum cœli septentrioni tribuat qui nobis & Aegyptijs etiam semper apparet, imum uerò cœli semper occultatur: & contraria ratione mediũ cœli austro, cum Antarticus polus semper nobis & Aegyptijs occultetur. Verum hoc agit propter similitudinẽ Solis: cum enim medium cœli in meridie initio æstatis comparetur, mediũ noctis initio

hyemis

hyemis (utrinq; enim initium maximi caloris aut frigoris) Boreas uerò frigoris maximi initium sit, Australis uerò pars, id est, torrida Zona non Antarticus polus caloris author immensi, manifestum est cur imum cœli Boreæ, medium autem plagæ meridionali tribuatur.

TEXTVS XL.

Vtilis est harum rerum notitia ad iudicia singularum cõmistionum. Patet enim quod de talibus constitutionibus, horarum, ætatum, angulorum, ipsa etiam stellarum efficientia uariet, quę certe ut simplicior, ita & ualidior est peculiaribus aptisq; in locis, ut in calidis calidificę, & in humidis humidificæ. In alienis uerò admistione diuersitatis debilitat, ut in frigidis calidificæ, & aridis humidificę, atq; ita aliæ in alijs pro ratione & consequentia commistionis,

Non est nisi ut breuiter exponam quid dicat, scilicet quoniam scientia quæ in hoc capitulo continetur utilis est ad dignoscendum uires astrorum. Nam cum astra simplices obtinuerint qualitates, id est, nõ cõtrarijs mistas, ut calida & humida in calidis & humidis, frigida & humida in frigidis & humidis, maximos effectus faciunt. Nam & cicuta quæ frigida & humida est, in umbrosis locis nata, & frigidis atq; humidis ualidior est in suo genere & celerius interficit. Coniuncta uerò cõtrarijs locis astra, imbecilles effectus habent.

Sed utrum qualitates ipsæ ad substantias conferant, & an substantia ad qualitates? an omnino diuersa sint opera? & rursus, an contrarię substantiæ qualitatibus & substantijs qualitates se mutuo destruant? Et mihi uidetur quod ad conseruationẽ quidem similia similibus conseruentur, à cõtrarijs uerò destruantur: atq; hoc de substantijs ad qualitatates comparatis intelligatur. De generatione autem non ita est, nam substantiæ à uiribus fiunt, uires autem à multitudine & densitate substantiæ & puritate. Qualitates autem à robore & debilitate, aut consimili qualitate, sic calor à multo calido uel à caliditate, frigus à paruo calido uel à frigiditate, humidum à multo humido uel ab humida qualitate, siccum à pauco humido in substantia, uel à sicca qualitate. Et generaliter substantiæ quæ plurimum habent principij uitæ, id est, calidæ & humidæ, fiunt ab abundantia talis substantiæ non impediente contraria qualitate. Rigidæ uel siccæ substantię à pauco calore, uel humido in substantia, uel à uehementi qualitate consimili, ut pote sicca uel frigida. Calidum uerò & humidum in qualitate à qualitate consimili, frigidum uerò uel siccum in qualitate à qualitate consimili uel defectu substantiæ calidę uel humidæ.

Rursus dubitabit aliquis, si calidum & humidum in substantia idem sunt, quomodo dabit substantia frigida & humida? aut calida & sicca? Oportet autem frigidam & humidam substantiam intelligere, quæ potentia quidem calida est, actu autem humida: uelut uinum cum nondum calidum est qualitate actum substantiæ impediente. Et similiter calida & sicca substantia dicitur quantitate, cum substantia calida est, non tamen humida uidetur qualitate sicca impediente. In uniuersum igitur quo ad substantiam attinet uerè non sunt nisi duę temperaturę, calida & humida, & frigida & sicca. Cum tamen concreuerit humidum manente calore, appellamus calidam & siccam propter qualitates quę euidenter apparent: & cum humidum nondum incaluerit, propter qualitates manifestas appellamus frigidam & humidam.

Hieron. Cardani comment. in Caput decimum.

TEXTVS XLI.

De Signis Tropicis, æquinoctialibus, & bicorporibus.

HIs expositis, annectere pergamus ipsorum etiam duodecim locorum traditas naturales proprietates. Ac ipsorum quidem generales constitutiones, rationem eandem habent cum suis temporibus, colliguntur tamen quędam ipsorum proprietates à familiaritate Solis & Lunæ & reliquarum stellarum, sicut postea dicetur, ubi prius uires duodecim locorum simplices & quas per se, et quas erga sese inuicem habeãt, explicauerimus Primum discrimẽ solet fieri signorum, ut alia dicãtur esse tropica, alia æquinoctialia, itemq; firma & bicorpora. Tropica sunt duo, Primum à solstitio ęstiuo, hoc est partes triginta Cancri: Alterum à solstitio hyberno, id est, partes triginta Capricorni: Atq; his nomen à re inditum est, quoniã Sol, ubi hæc primum ingressus est, mox retro cõuertit, abitq; diuersam latitudinis uiam, in Cãcro quidẽ Æstatis: in Capricorno uero Hyemis autor. Sunt & ęquinoctialia duo, unum quod est æquinoctij uerni, Aries: Alterum quod autumnalis, Libra, quibus & ipsis à re nomen est impositum: Cum enim primum ad ea Sol peruenerit, per totũ orbem terrarum exęquantur diebus noctes. Ex reliquis octo signorum locis quatuor firma uocãtur, quatuor bicorpora. Firma quidem quæ tropica & æquinoctialia sequuntur, Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, quod per illorum peculiaria tempora, ubi ad hęc Sol accessit, multo uehementius sentiamus humores, calores, siccitatem & frigus. Non quod tum aeris status simplicior sit natura sua, sed quia nos aliquantulum in illis temporibus uersati ipsa mora uires eorum magis experimur. Bicorpora sunt quę post firma numerantur Gemini, Virgo, Sagittarius, Pisces, inter eũ firma tropicaq;, & ęquinoctialia posita, & initio & fine communes naturas cum illis habẽt quæ & antecedunt & sequuntur,

Excusat quod signorum iam proprietates tradiderit, & tamen rursus recensere uideatur. Sed tamen hîc diligentius, tres faciens ordines à Solis motu sumptos: Sed alia comparatione. Nam hæc à priore deducta est. Prima quatuor signa quatuor temporum anni quæ sunt Aries, Cancer, Libra & Capricornus, quæ à plerisq; mobilia uocantur, diuiduntur, nam Aries & Libra dicuntur Aequinoctialia, quoniam cum Sol est in illorum initio ęquinoctium est in uniuersa terra. Cancer autem & Capricornus tropica, quia dum Sol est in illis, conuertitur, in Cancro quidem à nobis recedendo, in Capricorno accedẽdo. Dum etiam in illa ingreditur commutatur uicissitudo noctis & diei: Sole enim Cancrum ingrediente, nox crescere incipit, quæ prius minuebatur: Sole uerò Capricornum intrante, crescit dies, quæ iam antea perpetuo minuebatur. Sunt etiam ista quatuor initia mutationis temporũ: Sole enim Arietem ingrediente Hyems mutatur in Ver, Cancrũ, Ver in Aestatem, Libram, Aestas in Autumnum, Capricornum, Autumnus in Hyemẽ: Ob id igitur mobilia dici solent. Sequentia Taurus, Leo, Scorpius & Aquarius fixa sunt, quoniam status tẽporis in illis sunt firmi,

firmi. Dicit Ptolomæus non quòd in Tauro sit tempus temperatius aut in Leone ardentius, sed quòd corpora hominum iamdudum eam qualitatem in mobili signo experta, inde in hoc eandem magis sentiant, atque immutatam. Tertius ordo est bicorporeorum, dicta ob id bicorporea uel quòd duobus corporibus constent, nam Gemini duos habet pueros, Pisces totidem animalia, Sagittarius, equi & hominis corpus, Virgo aũt quòd Libram contineat: uel bicorporea, quod Sol, dum est in illorum initio, uim temporis præsentis ostendat, dum in fine, succedentis. Vt dũ Sol est in Geminorũ initio, uere Ver sentitur, sed dum est in fine, potius Aestatis species quędam quam Veris. Quamobrem & medici tempora finium horum signorum dum Sol in illis est, succedentibus statibus aëris, non præsentibus ascribunt. Vtrum uerò signa sint tantum uelut materia, stellis octaui orbis relictis? non dicam. Cœlum enim substantia est, & substantia opus habet. Et etiam quia in ascendente uarias facultates habent ut Ptolemęus testatur. Et cũ omne quod potẽtia iam tale est alterius comparatione tale actu per se fit, quia quælibet pars cœli octaui & multo magis noni à Solis radijs perpetuo illustratur. Cum igitur potẽtia ad Solem talis sit, erit & talis semper actu per illius radios saltem. Porrò mobilia signa dicta sunt quia mutantur tempora ab illis non in illis. Communia autem non ab illis sed in illis. Dicta autem sunt communia quòd inter fixa & mobilia sint constituta. Palàm autem est eadẽ esse bicorporea quę & cõmunia. Vt animum duplicem quasi ut corpus habeant. Docuit autem nos per hæc quod in his signis multũ referat an in initio an in fine quis nascaẽ: minus, in mobilibus, minimè in fixis. Porrò cum fixa & communia indiuisa maneant, mobilia autem diuidantur in tropica & æquinoctialia, malè faciunt qui illa confundunt, cũ ualde diuersa sint natura: Sed sufficit scire quòd omnia talia mobilia sint. Per familiaritatem aũt Solis, Lunę, atq; Stellarũ intelligit domos, altitudines, triangulos, & fines. Quòd uerò communia signa interposuerit mobilibus ac fixis, ea ratione factum est ut intelligeremus naturã ab extremo in extremum non transire nisi per media. Oportet autem sic à fixo, inde commmuni, deinde mobili, initium ducere, atq; ita à Tauro. Hoc autẽ uoluit nos scire quia quomodocunq; cõmunia signa statuantur & fixa atq; mobilia, necesse est ut fixa mobilibus absq; inter medio ullo cohereãt: ut Arieti Taurus, Cancro Leo: Sed sufficit ut alio ordine interponantur. Nihil autem refert quòd in illo ordine nõ sumamus initium ab Ariete, sed à Tauro uel Leone uel alio fixo signo, quandoquidem zodiacus circulus sit, & in circulo principiũ omne ex uoluntate pendet, non autem à natura.

Caput undecimum.

TEXTVS XLII.

De signis masculinis & fœmininis.

PRæterea sex loca signorũ masculino sexui & diurnæ cõditioni attribuere, totidemq; fœminino & nocturnæ. Ordinis autem huius ratio consequentia & serie ipsa constat, ita ut uicinitas coniunctioq; est diei & noctis, maris & fœminæ, cumq; initium Arieti tribuatur, propter causas à nobis expositas, & mares principes dominiq; sint naturaliter, semper enim quod agit potentia prius est eo in quod agitur, Arietis quidẽ locus, atq; idem Libræ masculina signa esse accepimus & diurna. Vel ob hanc etiã causam quod per hæc circulus æquinoctij describitur, qui primæ & maximæ rerum omnium agitationis author est. Ab his igitur, serie singilatim seruata, consequenter ordinis ratio ducitur, id est, ut masculinis & diurnis cõtinue fœminina nocturnaq; subijciantur.

Nisi quis omnino sibi de Ptolemæo persuadeat quod de Hippocrate Galenus dixit, scilicet quòd nihil Hippocrates scripsit cõmune sed solum recondítum & abstrusum: profunditatẽ quoq; sensuũ illius nouerit atq; in perquirendis causís quàm lõgè semper recedat à manifestis sensibus (is uerò eam profunditatem agnoscet solus qui quę in magna cõpositione scripserat de causís motuum ac uarietatis planetarũ quam procul illas uenetur, perpenderit) nunquam quæ in hoc libro scripta sunt intelligere poterit. Proponit ígitur tria de signís circa antíquorum opínionem: Primum quòd quædam sunt uera & hic tractanda, in prima parte uerò id exponit: Quædam falsa atque reijcienda, in secunda parte ibi (Nonnulli tamen) Quædam uera sed non hic tractanda, ibí (sunt & aliæ) In prima igitur parte docet esse sex signa masculína & diurna & sex fœminína & nocturna, ut intelligamus diurnum & masculínum cõuerti, quía ambo sunt calida & sicca, & símiliter fœminína nocturna eadem causa quia conueniũt ambo cum frigido & humido: & hæc regula est generalis tam in signis quàm in Planetis quòd diurnum & masculínum conuertuntur præterquàm in Marte qui & ipse uerè díurnus est, id est, efficacior in die quàm in nocte, sed ponit nocturnus propter id quod minus nocet de nocte, non quia efficacior. Deinde reddit rationem quare melius sit alternatím ponere ista signa & non sex masculína continua & sex fœmínina continua, quía & masculi fœminarum societate gaudent, & dies & nox semper uicissim sibi succedunt. Rursus necesse fuit ut essent aliqua masculína & aliqua fœmínina diurna & nocturna, tũ quía hæc uicissitudo in cunctis rebus inuenitur, plantís, beluís, pisćibus, tum quía signa sunt quasi materiæ & planetæ quasi formæ: & istę differentię inueniuntur in formis, igitur etiam in materijs. Tertiò, ut Planetæ habeãt quibus gaudeant. Sed quòd masculínum debeat præcedere fœmínínum adducit rationem, quía agens príus est natura eo quod ab ipso pati natum est: At masculum est agens, prínceps & dominus, fœmínínum patiens, subiectum & parens alteri: Igitur masculínum natura præcedit fœmínínum. Ita etiam dies deberet præcedere noctem. Iam ígitur habes quatuor de signis: Primum, quòd debent esse masculína & fœmínína diurna & nocturna: Secundum, quòd debent esse totidem ex uno genere quot ex alío, scilicet sex ex unoquoq; eorum: Tertium, quòd debent esse alternatím dispósita masculínum & fœmínínum, & non continuata masculína masculínis & fœmínína fœmínínis: Quartũ, quòd masculína debẽt prȩcedere fœmínína. Díximus etiã quod quȩcũq; sunt masculína, sunt & díurna, & quæcũq; fœmínína, nocturna, & uicissim contra. Relinquebatur quintum, à quo signo esset incipiendum, & probat quòd ab Ariete, duabus rationibus: prima est dicta quía initium anni & accessus Solis ad nos
Cap. 9. est ab Ariete, & posita fuit superius, scilicet quòd initium in mũdo & in anno, annus enim est quasi ætas mundi: & initium in animante quo ad ætates, debet esse unum: Est enim mundus magnum animal in uía Aristotelis: sed principiũ in animante seu ętas príma est cum animal est humidissimum & mediocriter calidum, hoc autem cõtingit in Vere: nullum enim tempus est humidissimum & calidum nisi Ver, igitur Ver debet esse príncípium anni: igitur cum Sol Arietem ingrediens faciat Ver, à primo ad ultimum Aries erit primum in ordine signorũ, ipse igitur erit masculus, & Taurus fœmineum signum, & ita Gemini masculinus & Cancer fœmininus. Secunda ratio Ptolemæi est quòd oporteat esse masculína signa ubi est uehementissima mutatio: declaratum est enim superius quòd masculinum idem est quod efficax, seu quod agit seu in quo est príncípium motus: sed Aries & Libra talía sunt, quía sunt circa æquinoctij circulum qui efficacissimè agit, quía uelocissimè mouetur: actio enim quę per motum fit, consequitur motus uelocitatem.

TEXTVS XLIII.

Nonnulli tamen masculína signa ab orientalí loco, qui horoscopus dícitur, ordientes dispósuerunt. Sicut enim alíqui tropicorum locorum ínitia à Lunarí círculo ducunt, quòd celerrimæ Lunæ conuersiones sint, ita

& illi

& illi principiũ tribuere masculinis locis orientẽ propter subsolanũ. Horum etiã alij seriẽ cõsequentiãq; singilatim ut diximus secuti sunt. Alij totius circuli in quadrantes diuisionẽ. Loca quidem ab horoscopo usq; ad MC hisq; opposita, ab occidua plaga usq; ad IM matutina & masculina nominãtes: uespertina uerò & fœminina, q̃ sunt ĩ reliqs binis quadrãtibus.

Nũc ponit opiniones aliorũ distinguentiũ signa masculina à fœmininis & matutina à uespertinis ratione ascẽdentis, sic ut primũ signũ quod ascendit sit masculinũ & matutinũ subsolanũ enim est, id est, orientale: ueluti Virgo ascẽdat, erit Virgo signũ matutinũ & masculinũ, Libra erit fœmininũ & uespertinũ, Scorpio rursus masculinum & matutinũ, & ita de alijs alternatim. Alij uerò dixerũt signa cõtenta ab ascendente ad mediũ cœli & ab occidente ad imũ cœli esse matutina & masculina, in alijs uerò duabus quartis fœminina & uespertina. Alij uerò tropicorũ initiũ sumpserunt à Lunę circulo: hoc bifariã potest intelligi, uel de loco, ita ut signũ in quo Luna est sit signũ tropicum propter uelocitatẽ conuersionis Lunę: Veluti Luna est mihi in Piscibus, Pisces erunt loco signi tropici australis, inde quartũ ab illo quod est Gemini signum ęquinoctiũ Vernum & ita de alijs: Vel de loco uentris Draconis quia dicit σελληνιακὸν πύκλον non σελληνιακὸν τόπον, id est, si cuipiã caput Draconis sit in quinto gradu Geminorũ ibi erit punctus ęquinoctij Vernalis & quintus Virginis erit tropicus ęstiuus, quia tunc Luna incipit recedere uersus austrum: & quia est uelox motu faciet ęquinoctia & solstitia. Nõ laboro in distinguendo quæ sit uerior opinio quia utrãq; reiecit Ptolemæus. Quare aũt reiciẽda sit manifestũ est tũ hęc tũ etiã opinio de ascendente: quia idem esset masculinũ & fœmininũ, ut pote si Luna sit in Piscibus uel caput Draconis in Tauro, Pisces & Taurus erũt masculina, & iã erãt fœminina ex naturali ratione, igit̃ erunt masculina simul & fœminina. Nec obstat quod dicas posse esse masculina respectu unius & fœminina respectu alterius, uelut dictũ est de quartis cœli quę simul habẽt cõtrarias qualitates, uelut quarta q̃ est ab oriente usq; ad meridiẽ, est Vernalis calida & humida, sanguinea, puerilis, & alio modo est sicca: Et quę est inter occidentẽ & imum cœli est autumnalis frigida & sicca, melancholica, ex alia tamen ratione est humida ut dicebat Ptolemęus. Sed hic nõ licet ponere signũ idem sub contrarijs qualitatibus secundum naturã, nisi assignemus opera diuersa: non licet autẽ assignare opera diuersa masculini à masculino, nec fœminini à fœminino. Quod si dicas quod quartæ cœli possunt esse matutinæ uel uespertinę, dico quod illud iam declaratũ est superius. Alia ratio est quia non decet sexum mutari in signis & tropica & ęquinoctialia propter tam leuem causam, quia sexus est res naturalis, & similiter affectus illi sunt ualde potentes ut non possint per motũ Lunę & multo minus per ascensionẽ cœli in motu diurno toties mutari. Quod si dicas: nonne poterit quarta orientalis gratia exempli esse masculina & signa in ea erunt masculina? Respõdeo quod antecedens primo non concedit̃ à Ptolemęo: & dato quod concederet̃ nõ sequit̃ quod masculinũ signum conuertat̃ in fœmininũ: sed signũ retinebit suam uim, & locus contrariã: non secus ac si Mars esset in Tauro, nõ enim fit fœmininus sed effœminat̃ & gaudet tanquã nocturnus in nocturno. Ita loca possunt augere, minuere, imò etiã uincere sed nõ immutare naturã contentorũ in ipsis locis. Quod autem horũ opinionẽ nõ approbet prętet id quod absurda sit & quod nullibi illius meminerit phrasis ipsa Gręca edocet, inqt enim χρῶνται δέ τινες τῇ τάξει τῇ ἀρρενικῷ, quam efficatius Ioachimus Camerarius Pabergensis uertit his uerbis: (Nonnulli tamen masculina ordientes) ut per aduerbium tamen Ptolemæus ostendat se nõ approbare ea quę illi de signis adiecerunt. Approbat aũt ea quæ subijciuntur. Sunt aũt hæc. Cap. 5.

effeminat.

TEXTVS XLIIII.

Sunt & aliæ appellationes locis factæ, de formis signorũ, ut aut quadrupedia dicerentur, aut terrestria, aut ducalia, aut fœcunda, aut aliquid huiusmodi. Quorũ omniũ cũ ex ipsis figuris causæ manifestæ sint, nos il

las uerboſe perſequi ſuperuacaneum duximus. Cum quidem expoſitæ à nobis ſint huiuſmodi imaginum naturæ, quatenus in iudicijs utiliter uiæres illorum conſiderari deberent.

Proponit hic alias differentias ſignorũ quę ab antiquis acceptæ probantẽ, non tamen dignæ ſunt peculiari expoſitione, quoniã à forma facile eſt illorũ uires intelligere. Quas figuras ſe ſuo loco referre docet, ut pote in capite de morte & de itineribus & de opificio. Sunt aũt maximè duodecim principales. Humana ut Gemini & Virgo. Quadrupedia domeſtica, ut Aries, Taurus, Capricornus. Aues ut Aquila & Gallina. Aquatica, ut Delphin & Piſces. Naufraga, ut Argo & Nauis. Fera, ut Leo & ultima pars Sagittarij. Venenoſa, ut Scorpio & Serpẽtes. Sunt enim plures in cœlo. Mutilata, ut Taurus & caput Meduſæ. Vincta, ut Andromeda & Cepheus. Ducalia, ut ambę Coronæ borealis & auſtralis. Fœcunda, ut Cancer, Scorpio, Piſces. Sterilia, ut Leo & Virgo. Horum omnium meminit Ptolemæus ſuis locis.


Caput duodecimum.

TEXTVS XLV.

De configuratione duodecim locorum.

FAmiliaritas aũt intercedit locis zodiaci ſecũ, primũ ijs quæ cum alijs aliquam figurarum deſcribũt, quæ ſunt demetiens, id eſt, anguli bini recti. Signa aũt ſex partes centum LXXX. Triquetra (hoc eſt) angulus rectus unus atq; inſuper triens illius. Signa uerò quatuor, partes CXX. quadrata, hoc eſt, unus rectus angulus, tria ſigna, partes XC. Sexangula, id eſt, illæ reliquę duæ partes anguli recti, ſigna duo, partes LX.

Vnũquodq; indiget propria ratiõe ut demõſtrat, aliter è minima difficultate in maximã res euadit. Hęc Ptolemæi ſententia figura indigebat. Sit igit circulus ſignorũ quem uocant zodiacum quod ſigna contineat, & in eo ſignet pũctus B ubicũq; uelis nõ refert, ſit gratia exẽpli manifeſtioris doctrinæ cauſa initiũ Arietis, & ſit centrũ eius circuli A & capiant LX partes à puncto B quę ſint cõtentę arcu B C & ducta B C recta ipſa erit ſextilis radius. Nã totus zodiacus ut ſuperius uiſum eſt CCCLX partes, B C aũt LX, cũ igit LX ſit ſexta pars CCCLX, erit B C latus exagoni, ideoq; radius ſextilis. Et qa anguli circum A ſunt quatuor rectis æquales, & angulus C A C talis eſt pars ſpacij circũ A qualis B C portio arcus totius zodiaci, erit angulus B A C ſexta pars quatuor rectorum, igit duæ tertię unius recti. Et ſimiliter captis partibus C X X quę ſint arcus B E, erit B E tertia pars zodiaci, nam CXX eſt tertia pars CCCLX, & angulus B A E eadẽ ratione erit rectus cũ tertia, id eſt, tertia pars quatuor rectorũ, & reſiduũ ad duos rectos anguli ſextilis, nã rectus & tertia pars recti cum duabus tertijs recti faciunt duos rectos. Cõſtat igit & in trigono & in ſextili & quadrato quod radij, & rectè, ſi reflecterent uerſus partẽ oppoſitũ ut pote ſextilis ex C



in

in E & ex E in G & ex G in F & ex F in K & ex K in B tandem rediret per æquales lineas & angulos. Et similiter latus B E trigoni si reflecteret trãsiret in F & ex F in B & ita per æquales angulos, & lineas. Idem dico de quadrato B D quod est latus arcus B D qui est partiũ XC & ideo quarta pars CCCLX & totius zodiaci: Cũ igit etiã angulus B A D sit quarta spacij pars eius quod est circa A erit angulus B A D rectus ad unguẽ. Pari ratione spaciũ B A G ex una parte cũ contineat dimidiũ quatuor rectorũ, erit duorũ rectorũ, & arcus B D G partiũ CLXXX, id est, dimidiũ CCCLX, & ita G dicet opponi B. Omnes aũt radij pter oppositos duplices siniſtri & sunt qui tendunt secũdũ ordinẽ signorũ, ut sextilis B C & trigonus A E & dextri qui tendunt contra ordinẽ signorum ut sextilis B K & trigonus B F. Et ita de quadratis ex quo patet quod radius B C dicitur siniſter respectu B & dexter respectu C. Et ita trigonus E F siniſter est respectu E & dexter respectu F. Ex his patet quod radij ueri sunt ex similibus partibus in similes, ſuelut posito Sole in parte undecima Libræ, radius quadratus dexter erit in XI parte Cancri, siniſter in XI parte Capricorni. Sextilis dexter in XI parte Leonis & siniſter in XI parte Sagittarij. Et oppositio in XI parte Arietis. Et trinus dexter in XI parte Geminorum & siniſter in XI parte Aquarij. Idem etiam intelliges de partibus partium. Vt si Sol esset in partibus decẽ minutis XLVII Libræ, erunt radij omnes dicti in eisdem signis partibus decem minutis XLVII.

Sed dices quare Ptolemæus non respexit latera octogoni quæ respiciunt per XLV partes & duodecagoni quæ per XXX? Respondeo quia latera octogoni non cõprehendunt integra signa. Duodecagoni autem quia nimis sunt debilia. Igitur isti aspectus solum sufficiunt. In creticorum tamẽ dierum supputatione utimur figura octageni aspectus in quem cadit quartus dies indicatiuus ut sit in consideratione.

TEXTVS XLVI.


Cur aũt hæc tantummodo discrimina recepta fuerint, hinc cognitu facile erit. Atq; ipsius quidem diametri ratio per se patet, nã oppositio est in una linea recta. Cæterum si maximas duas portiones cõuenientes, atq; itẽ supra portiones accipiamus. Nempe rectangulorũ duum ex diametro dimidiũ & trientẽ, quæ portiones cõuenientes, atq; itẽ supra portiones sunt, fit ut dimidiatio tetragonũ cõstituat. Triens uerò sexangulum. Supra portionũ aũt si constituat à rectangulo quadrato hemiolion, hoc est, sesquiplũ & epitriton, hoc est, sesquitertiũ, illud discernit quadratã à sexangula, hoc triquetrã figurã à quadrata, quarũ qdẽ figurarũ triquetra & sexangula cõuenientes putant, quia cõsimilia loca signorũ cõplectuntur, hoc est, omnia aut masculina aut fœminina. Incõuenientes uerò figuræ habent quadrata & dimetiẽs, quod illæ per dissimilia loca cõstituant.


Tria facit in hoc textu Ptolemæus: Primũ colligit ex dictis cur solũ hæ figuræ sint necessarię scilicet trigona, exagona, quadrata: nã per integra signa constituunt, & partes totius circuli integras. Connexionẽ uerò, ut infra declarat, per proportiones primas & musica etiã ratione cõstãtes: sed quia de oppositione nihil dixerat, fieri eã inqt per rectã lineã, supple quę per centrũ circuli seu zodiaci trãsit. Nã & alij omnes aspectus per rectas fieri lineas intelligunt, sed nulla illarũ per cẽtrũ trãsit prętercq; oppositiõis linea. Ideoq; ex hoc declarat oppositiõis aspectũ esse omnibus alijs potentiorẽ. Nã lineę q̃ per centrũ transeũt sunt omniũ ualidissimę ut in cauis etiã speculis apparet. Cũ igit quinq; modis erraticæ inter se misceant, uel etiã cũ fixis, omniũ cõmixtionũ ualidissima est coniunctio, post oppositio, inde quadratã & trigonũ fermè equalia: ultima & debilissima est exagonũ. Solẽt aũt his notis breuitatis causa describi. Cõiũctio ☌. Oppositio ☍. Quadratũ □. Trigonũ △. Exagonũ seu sextilis *.

Cæterũ si maximas) Hæc est secũda pars in qua adducit Mathematicã rationẽ istarum radiationũ duplicẽ, Geometricã atq; Musicã. Geometrica est quoniã si fiat circulus

culus & ſumat quadratũ ſiue dimetiẽtis quod ſit CD medietas eius quadrati q̃ eſt ſuperficies ABDG æqualis eſt quadrato AEBF: utraq; em̃ eſt medietas quadrati CD ex demonſtratis in penultima primi elementorũ, igit̃ AE latus ſeu radius quadrati eſt potẽtia dimidiũ AB dimetiẽtis quod eſt primũ. Rurſus ſi accipiamus tertiã partem quadrati AB erit proportio AEBF ad illã ueluti arcus quadrati ad arcũ exagoni, id eſt ſexquialtera. Et ſi fiat cõparatio quadrati ad trigonum & exagonum in ſuperficiebus erit trigoni arcus ad arcũ quadrati epitrita, arcus aũt quadrati ad arcũ exagoni hemiolia. Et ut uno uerbo dicã traduxit q̃d erat ignotũ in arcubus ad quadratũ dimetiẽtis diuiſum ut uides. Ponatur igit̃ AB ſex & loco arcus oppoſitiõis quadratum AB q̃d ſit CD erit ABDG pro arcu quadrati, qa eſt æquale quadrato AEBF decem octo, & HGDK tertia pars quadrati CD, id eſt duodecim, quare ut arcus exagoni. Et GLMD duæ tertiæ partes quadrati CD, id eſt uigintiquatuor, ideò quãtus eſt trigoni arcus. Et cũ ABDG ſit æqualis AEBF igit̃ cõſtat eſſe proportionem ut quadrati diametri ad quadratũ in circulo deſcriptũ. Nam oportebat rationẽ quadrati manere. Cõparãdo etiam ad mediũ, id eſt quadratum AEBF ſuperficies GHKD & GLMD proportio GABD ad GHKD eſt hemiolia, id eſt ſexquialtera. Et cõparãdo GLMD ad GABD eſt ſexquitertia ſeu epitrita: igitur ponendo AEBF loco GABD erit quadratũ hemiolium ad exagonũ & trigonus ad quadratũ epitritus. In muſica uerò manifeſtũ eſt q̃d ratio arcuũ eſt ut 6.4.3.2. Nam arcus oppoſitiõis eſt CLXXX, trigoni CXX, quadrati XC, exagoni LX, quos cũ diuiſeris per XXX prodibũt 6.4.3.2 in eadẽ proportiõe. Sed 6.4.3. faciũt cõtinuã proportionẽ muſicã, qa talis eſt ꝓportio 6 ad 3 extremi ad extremũ, ut 2 differẽtię 6 à 4 ad 1 differẽtiã 4 à 3. Et ita 6.3.2. faciũt aliã proportionẽ muſicã cõtinuã, nã talis eſt proportio 6 ad 2 extremi ad extremũ, ut 3 differẽtię 6 à 3 ad 1 differentiã 3 ad 2, igit̃ in 6.4.3.2 eſt duplex cõtinua ꝓportio muſica. Aliter ratio Geometrica cõgrueret in rectis, qa dimetiens ſi faciat quadratũ 36, erit quadratum intus 18 medietas, ſcilicet illius, & quadratũ lateris trigoni 27, & quadratũ lateris exagoni 9. Ita ut quadratũ intus deſcriptũ circulo ſit duplũ quadrato lateris exagoni. Et quadrato intus deſcripto quadratũ lateris trigoni ſit ſexquialterũ: Et illi quadratũ dimetientis ſexquitertiũ. Et hoc eſſet rectas ipſas & radios in ꝓportione potẽtia collocare. Et eſſet magis ad mẽtẽ Ptolemæi & ad ꝓpoſitũ rei demõſtrãdę: ſed oporteret ſic literã legere. Nẽpe rectangulorũ duorũ ex diametro dimidiũ & quadrantẽ, q̃ portiones cõuenientes, atq; itẽ ſupra portiones ſunt, fit ut dimidiatio tetragonũ cõſtituat, quadrãs aũt exagonũ. Supraportionũ aũt ſi cõſtituat à rectangulo quadrato hemiolion, hoc eſt ſexquiplũ, & epitriton, hoc eſt ſexquitertiũ, illud diſcernit quadratã à trigona, hoc aũt trigonã à quadrato. Inde ſubiũgit (Quarũ quidẽ figurarũ) Hæc eſt tertia pars in qua declarat cauſam quare triquetra radiatio & ſexangula ſint cõuenientes & amicę, quadrata & oppoſita incõueuientes & inimicæ. Et cauſa cõueniẽtiæ eſt clara, certè quia dicit trigona radiatio eſt ſemper inter ſimilia in ſexu ut ambo maſculina uel fœminina. Et cũ dixit hoc ſubintellexit & q̃d ambo etiã ſunt diurna uel nocturna. Declaratũ enim eſt ſuperius q̃d idẽ eſt maſculinũ & diurnũ in ſignis & fœminum atq; nocturnum. Signa igit̃ quæ ſe trigono radio reſpiciũt ſunt ambo neceſſario maſculina & diurna uel ambo fœminina atq; nocturna, ut de ♈ ♌ & ♐, quæ tria cũ ſe mutuo reſpiciant trigono radio, ita q̃d Aries reſpicit Leonẽ & Sagittariũ & ita

Leo





Leo, Arietem & Sagittariũ, & Sagittarius, Arietem & Leonẽ, sunt omnia diurna & masculina. Sic Taurus, Virgo & Capricornus omnia nocturna & fœminina. Et ita de reliquis. Idem in sextili aspectu, nã Aries & Gemini qui se respiciunt exagona radiatione, Et Aries atq; Aquarius sunt ambo semper masculina & diurna: uel ambo fœminina atq; nocturna, ut Taurus & Cancer, Item Taurus & Pisces & ita de alijs. Et hoc totum est clarum, & quod conueniãt, non est dicendũ, ut quidã quod sint amica, nam tale nomen cõuenit potius Planetis quam signis: Et etiã quia amicitia esset magis inter masculum & fœminam quam inter masculum & masculũ, uel fœminam & fœminã: Sed dicit cõuenientia, seu similitudo. Hucusq; totũ rectè se habet. Et similiter quod signa quæ quadrato radio se respiciũt sunt disconuenientia seu dissimilia natura, quia si unum est masculinum & diurnũ alterũ necessario est fœmininum & nocturnũ, igitur si Aries est masculinus & diurnus Cancer & Capricornus quæ respiciunt Arietẽ respiciũtur q; ab illo quadrato radio, erũt fœminina atq; nocturna. Et ita de alijs eadem ratione dissimilitudo cõstat. Et hoc totũ benè se habet. Sed quod dicit de oppositis signis nõ uidet uerũ, nam Aries & Libra quę opponunt sunt ambo masculina atq; diurna: Et similiter Taurus & Scorpio sunt ambo fœminina & nocturna, & tamẽ oppositа & disconuenientia: igit causa disconuenientię nõ est diuersitas seu contrarietas in sexu & natura, cũ signa opposita maximè disconueniant & longè plus etiã quã quadrata, & tñ sunt similia in sexu et natura. Propter hoc dixerũt quidã quod oppositа radiatio est incõueniens qa ex duabus quadratis constituit quæ sunt inconuenientes inter se: ut oppositа Arietis & Libræ ex duabus quadratis Arietis & Cãcri, Itẽ Cãcri et Libręe: uel etiã Arietis & Capricorni, & Capricorni atq; Libræ. Sed hęc respõsio est omnino falsa, quæ em uni disconueniũt potius inter se cõueniunt quã disconueniant. Itẽ quadrata potius disconuenit propter oppositã quã oppositа propter quadratã, cũ oppositа sit simplicissima, & per pauciores partes. Rursus oppositа componit ex duabus cõueniẽtibus, trigona et exagona, igit maximè deberet esse cõueniẽs illa ratione. Haly ob id dixit quòd oppositа disconueniũt ob duas causas, tũ quia qñ unũ ascẽdit, aliud descẽdit, tũ quia qñ Sol est in uno eorũ, facit tẽpus contrariũ ei qñ est in reliquo. Veluti quãdo Sol est in Ariete facit Ver, & tẽpus humidissimũ, Et qñ est in Libra Autumnũ & tẽpus siccissimũ. Et quãdo Sol est in Leone, facit feruidissimã Aestatẽ, quando in Aquario illi oppositо, gelidissimã Hyemẽ. Sed Ptolemęus nõ assignat rationem hãc nec ullam harũ. Itẽ istæ nõ conuenirent cũ illis quas pro conuenientia assignat, uult enim oppositas esse causas cõuenientię & discõueniẽtiæ, quod in quadrato aspectu declarat. Prętera si ultima ratio esset uera, Aries & Sagittarius essent dissimilia, cum Aries sit uernale signum non minus quã Gemini qui opponit Sagittario. Et tamen Aries & Sagittarius cõueniũt. Ob id igit dicendũ quod Ptolemęus induxit Syllogismũ modo Aristotelis postponens illũ & declarãs prius quod ex illo euenit. Et est: cõtraria omnia maximè discõueniũt, & hæc est per se nota: & quæ maximè distãt in uno quoq; genere sunt cõtraria, et hãc declarauit: igit quę maximè distãt discõueniũt.

Trigona radiatio

♈	♌	♐
♉	♍	♑
♊	♎	♒
♋	♏	♓

Exagona radiatio

	♊		♋		♌
♈		♉		♊	
	♒		♓		♈
	♍		♎		♏
♋		♌		♍	
	♉		♊		♋
	♐		♑		♒
♎		♏		♐	
	♌		♍		♎
	♓		♈		♉
♑		♒		♓	
	♎		♏		♐

Quadratus radius

	♋		♌		♍
♈		♉		♊	
	♑		♒		♓
	♎		♏		♐
♋		♌		♍	
	♈		♉		♊
	♑		♒		♓
♎		♏		♐	
	♋		♌		♍
	♊		♈		♉
♑		♒		♓	
	♎		♏		♐

oppositus aspectus.

♈	♉	♊	♋	♌	♍
♎	♏	♐	♑	♒	♓

Posuit

Posuit postmodũ aliã propositionẽ in hoc capitulo, quòd opposita signa maximè distãt, seu per circuli partẽ quę est medietas, & est maxima cõmensurabiliũ, seu per rectam quæ est dimetiens, quæ est maxima rectarũ quæ circulo includi possint ut demõstratũ est ab Euclide: igit̃ signa opposita maximè disconueniũt. Quadrato aũt radio iũcta disconueniũt minus, qa cõtrarietas est minor, scilicet sexus & naturæ, igit̃ disconueniẽtia minor est. Trigona aũt & exagona radiatione iũcta nõ maximè distãt, igit̃ nõ sunt cõtraria nec ideo maximè disconueniũt, sed nec mediocriter, qa sunt similia natura & sexu, igit̃ sunt cõuenientia in natura. Dixit aũt Ptolomæus hoc de cõuenientia in sexu & natura in trigonis, & exagonis, & disconuenientia in quadratis, ut intelligeremus, quod nõ est, ut quidã existimãt in tẽperie ob id, cũ signa quę exagona radiatione iungũtur, ut Leo et Gemini, nõ sint eiusdẽ naturæ sed alterũ humidũ, aliud siccũ: Et ideo cũ cõuenientia trigona sit eiusdẽ naturæ cũ sextili, igit̃ nec signa trigona sunt eiusdẽ tẽperiei, sed solũ naturæ & sexus, & inter se cõgruentia. Notandũ quod licet signa trigona uel exagona radiatione iuncta nõ sint amica, sed solũ cõueniẽtia, attamẽ aspectus inter Planetas talis est amicitię, ut etiã oppositus & quadratus inimicitię. Quia signa cũ sint materię loco, possũt cõuenire et discrepare, amare & odisse nõ: at planetę amãt et odio se habẽt, nõ solũ conueniunt ac discrepant, cũ agentiũ habeãt rationẽ: hoc aũt infra uidebitur. Quòd si quis dicat, nonne signa masculina & diurna erunt etiã calida & sicca & nocturna fœminina frigida & humida? Dico quod nõ est necessariũ hoc, quia diurnũ & masculinum nõ proueniũt à primis qualitatibus, sed diurnũ & nocturnũ à masculino & fœminino, sed masculinũ & fœmininum ab efficaci & inefficaci. Efficax aũt à principio motus robustissimi qui fit iuxta æquinoctialẽ, ideoq; ab Ariete & Libra. Hãc uirtutem cõmunicãt Aries & Libra, Geminis, Leoni, Sagittario & Aquario, quoniam hęc signa ab utroq; principio scilicet Ariete & Libra amico aspectu respiciunt, scilicet trigono uel exagono. Et ita sexus & natura diurna atq; nocturna à motu nõ à qualitatibus originẽ ducũt. His uisis breuiter sensum Ptolomæi explicare decet, qui talis est. Signa quędã aliis sunt familiaria, ut quę portione integra circuli se aspiciũt, ea aũt quadruplex, dimidiũ, unde oppositio: Tertia pars unde trigonus: Quarta pars, unde quadratũ: Et sexta unde sextilis. Hę aũt & ad totũ cõparant̃ ut partes, & ad dimidiũ ut superparticulares, ad totũ quia quadratũ & exagonũ sunt dimidiũ, aut tertia pars semicirculi, nã X C qui est arcus quadrati, est dimidiũ C L X X X semicirculi, et L X est tertia pars C L X X X. Ad dimidiũ aũt C L X X X quod est X C comparant̃ sextilis & trigonus, per hemioliã quę duplæ respõdet, & per sexquitertiã quæ triplæ, nã X C ad L X arcũ exagoni sexquialterã habet proportionẽ, C X X aũt trigoni arcus ad X C epitritã seu sexquitertiã. Ex hemiolia aũt quæ cõstat diapẽte in musica & epitrita ex qua diatessaron, fit diapason trigoni ad sextilẽ quæ dupla cõstat proportione, qualis est C X X ad L X. Similiter dupla quę est diapason oppositiõis ad quadratũ intercedẽte trigona, inter eas fit hemiolia C L X X X ad C X X, & epitrita C X X ad X C. Cũ igit̃ opposita signa maximè distẽt erũt maximè cõtraria, Ideoq; dissidẽtia. Quæ aũt quadrato distãt minus sunt cõtraria, quia solũ ratione sexus & tẽporis. At quę trigona radiatione iũgunt̃ & sextili eo quod sint ex natura ternarij, & oppositio & quadratum binarij, & ternarius & binarius sunt numeri nõ cõmunicantes sed inuicẽ primi, nõ cõueniet natura trigoni & sextilis cum natura oppositionis uel quadratę radiationis: quare cũ sit inter signa similia sexu & tempore, erũt aspectus hi conuenientiæ & similitudinis. Et quia triquetra radiatio constat paucioribus lateribus, & nõ est particeps oppositionis ullo modo ut sextilis, ideo triquetra est magis conueniens sextili, sicut oppositio quadrato: semper enim quod fit paucioribus lateribus est ualidius quàm quod fit multis, ideo oppositio ualidior est trigono, & trigonus quoquomodo quadrato, nisi quòd mala in nocẽdo prõptiora sunt bonis in benefaciendo, Et ita quadratũ exagono ualidius. Hucusq; uolui reddere rationes eorũ quæ dixit Ptolomęus etiã quod causæ nõ multũ ad artẽ facerẽt: modo deinceps sufficiet declarare causas solũ quę faciũt ad intellectũ illius, aut quę necessitatẽ rei dubię demõstrãt, ĩ aliis sufficiet Ptolomęi authoritas

In 3. Elementorum.

Cap. 17.

quæ

quæ experimento & antiquorum testimonijs cõfirmata est auxiliante ratione. Nam iã de artis firmitate satis cõstat. Tota aũt explicata sunt propter calumniatores. Verũ nõ decet insanire circa illos, tum maximè quod angustia tẽporis nõ patitur, & si pateretur, melius esse existimo illud utilioribus in tractationibus absumere. Nã qui circa calumniatorum nugas tempus, preciosissimam rem terit mortalium rerum, imo immortalem, uidetur aut omnino plura uelle uideri longè scire quam sciat, aut quod minimũ, impetu animi quodã trãsferri. Sic ut Galenus ob id accusatione uix non dignus uideri possit, quanquã à prima suspicione procul absit: Sed decet etiam secunda carere. Melius est tamen cõtra calumniatores tempus absumere, quàm in scribendo calumnias. Ob id igitur præstat quæ ex his sequantur arti utilia edocere.

DOMORVM VIRES.

Ex dictis igitur licet uires domorum conijcere, hoc ipso supposito, quòd astra agũt lumine, & quòd uis eorũ est qualis in effectu uidet. Igitur his rationibus cœli cor seu mediũ est omnibus ualidius, inde ascendens. Sed in uitæ affectibus & animi atq; corporis, ascendẽs est ualidius, quia magis propriũ. Tertio loco est septima domus, inde undecima, post nona, neq; de his est dubium. Post septimo loco est duodecima, quia ascẽdit: inde octaua. Post octauo ordine est domus secũda, quia est in crepusculo matutino. Nã posito initio Arietis in ascendẽte intra duas horas oritur pars XXII Tauri, sed hoc est tẽpus crepusculi matutini, igitur pars secundę domus quę est à XVIII parte Tauri usq; ad XXII eiusdẽ, cõtinet in crepusculo. Et ita Planeta cũ fuerit in secũda domo habet uires. Omne enim quod potẽtia tale est, actu fit tale: seu quod aliquãdo tale actu fuit, fit tale potentia, & semper manet. Est etiã ipsa secũda domus in trique tra radiatiõe decimę: decima aũt uires habet maximas, quia potẽtia est cor cœli. Nec Ptolomęus eam prætermisit, quãuis in sua regione minima illius pars in crepusculo claudereturt matutino, propter paruã poli eleuationẽ. Sexta aũt domus quoniã pariter est in trigono decimæ, & ubiq; gentiũ claditur in uespertino crepusculo, ob id à Ptolomęo considerat & apud illum nonum locũ retinet. Sed quispiã dicet, cur etiã quinta non licet cõsiderare, cũ quo ad crepusculum attinet, locum obtineat secũdæ? Respondeo, quoniam decimam non respicit, & crepusculum debilius est quippe uespertinum, & preterea pars quæ contermina est sextæ nõ est quintæ initium sed finis, qui merito ob debilitatem negligi potest. Et tamen uirium aliquid habet, quia in lumine positum est, sed non cõsideratione dignarum, nisi apud borealiores.

Caput decimum tertium.

TEXTVS XLVII.

De imperantibus & obedientibus signis.

DIcunt etiam imperãtia & obedientia, loca quæ æquali spacio distãt, seu ab uno siue ab utroq; punctorũ æquinoctialiũ, eò quòd æquali spatio temporis peroriant, æqualesq; describãt parallelos. Cæterum quæ in æstiua sphęræ parte sunt imperantia, quæ in hiberna obedientia nominantur, quia Sol illic dies, hic uerò noctes longiores facit.

Quia enim hęc signa æqualiter ab æquinoctio distãt, ideo Sol dũ est in eis, æquales describit parallelos, quoniã lineę æqualiter distãtes à diametro æquales sunt, ut Euclides demõstrat. Oriunt etiã æquali spacio tẽporis ut in nostra regione Aries & Pisces in una hora & quinq; minutis unũ quodq; eorũ: Taurus & Aquarius in una hora & uiginti minutis: Gemini & Capricornus in una hora & qnquaginta uno minutis: Cancer & Sagittarius in duabus horis & nouẽ minutis. Leo & Scorpio in duabus horis &

qua-

quadraginta minutis. Virgo & Libra in duabus horis & quinquaginta quinque minutis. Talia igitur signa dicuntur quæ in australi parte obedientia, quoniam Sol maiores noctes efficit diebus, Borealia uerò imperãtia contraria ratione. Itaque Aries Piscibus imperat, & Taurus Aquario, & ita de alijs. Interpretes bis lapsi sunt, cũ litera Græca lucida sit.

Imperantia	♈	♉	♊	♋	♌	♍
obedientia	♓	♒	♑	♐	♏	♎

Caput decimumquartum.

TEXTVS XLVIII.

De Intuentibus & eiusdem potentiæ signis.

PRæterea dicimus eiusdẽ potentiæ esse eas partes quæ æquali spacio distant seu ab uno seu ab utroque puncto tropico: fit enim per illas partes Sole meante ut spacia dierũ ac noctium itemq; horarum sibi respondeant. Itaque & intueri sese mutuo illa signa dicuntur, cum ob eas causas quas exposuimus, tùm quòd utraq; & ab ijsdem partibus horizontis & oriuntur & occidunt.

Quod penè prꝫterieram, est ut tàm in hoc quàm in prꝫcedenti capitulo res referatur ad partes: ueluti prima pars Arietis cum ultima Piscium, & secunda Arietis cum penultima Piscium, & tertia cum uigesimaoctaua, & ita de alijs signis. Hoc eñ idem & de aspectibus declaratum est. Simili igitur ratione quæ à tropicis æqualiter distant intuentia dicuntur sese signa, & æqualis sunt potentiæ: ueluti Gemini & Cancer, & quæ in tabella descripta uides. Nox enim atque dies, dum Sol est in talibus signis alter alteri sunt æquales. Veluti cum Sol est in uigesimasexta parte Cãcri, tãtus est dies atque nox, quantus est cum est in quinta parte Geminorum. Et similiter horæ temporales sunt ꝫquales in ambobus: propterea uis eorum signorum est quasi duorum eadem potestate præditorum. Quòd uerò dixit, utraq; ab eisdem partibus horizontis oriuntur & occidũt, id est, in eodem puncto horizontis secat ecclíptica horizontem seu ascendendo seu descendẽdo quando oriẽ uigesimasexta pars Cancri gratia exempli, & quinta Geminorum. Et similiter quando occidunt, occidunt in eodẽ puncto ad unguem ipsius horizontis. Igitur habent duplicem cõcordiam & ratione Solis & ratione horizontis, utraq; tamen prouenit quia sunt in eodem parallelo: Intelligit enim príncipaliter de partibus, & per consequens de signis, principalíssimè autem de punctis.

Intuentia	♑	♒	♓	♈	♉	♊
	♐	♏	♎	♍	♌	♋

Notanda est una pulchra regula circa imperantia & obedientia & intuentia signa seu æqualis potẽtiæ, quia habito uno semper habes aliud quod est oppositũ signum & pars prioris. Velut secunda pars Arietis imperat XXIX piscium, igitur secunda Arietis intuetur XXIX partem Virginis. Et ita ♍ intuetur ♓ igitur ♍ obedit ♌.

Notanda est etiam alia regula ualde utilis, & est quòd intuentia, & imperantia cum obediẽtibus quãto sunt propiora tropicis, id est initio Cãcri aut Capricorni, eò sunt potentiora. Et uirtus eorum extenditur ad plures gradus quia declinatio parum uariatur, & ideo decima pars Cancri cum decima parte Geminorũ fermè cõuenit, quia circuli paralleli æquinoctio non differunt, nisi 57. minutis. At per contrariũ iuxta initium Arietis & Libræ nisi partes partibus respondeant parum possunt. Sciendum quod Ptolemæus cõsiderauit in his duobus capitibus et sequenti, quòd homines quadrifariam possunt comparari: aut enim unus naturaliter & sponte quasi alteri obedit & taliũ genituræ sunt constitutæ in imperantibus & obedientibus pũctis, & si sint ad unguem

unguem erit obedientia perfectissima: Veluti qui habuerit significatorē in sexta parte & decimo minuto Tauri, exempli gratia, obediet ei perfectè ille qui habuerit significatorem in uigesima tertia parte & quinquagesimo minuto Aquarij, etiamsi iste esset Rex, & prior esset seruus illius dummodo ageret negocia illius: Imò dico quod aget ubi sint eiusdem regionis & ad unguem ex minuto cōueniant. Quod si conuenerint ex gradu seu parte sola, obediet alter alteri si sint æquales: aut qui debet obedire minoris conditionis dignitate, opibus, sexu, uel ætate. Quod si conuenientia fuerit solum ex signo, tūc solum obedient etiam quādo, qui habet significatorē in obediente, fuerit seruus, & qui in imperante fuerit dominus. Ex hoc manifestum est quòd aliqui nascuntur quibus nulli libenter parent: alij quibus nulli possunt imperare. Nam si aliquis in sua genitura nullos habeat significatores in imperātibus signis, nulli nisi coacti uolent illi obedire. Quod si nullos habeat significatores aliquis in obedientibus signis, nemo poterit illi imperare nisi ui. Et hoc est quod dixit Aristoteles benè, quòd quidam nascuntur natura, liberi, & quidā serui: Liberi nascuntur qui habent significatores in imperantibus, serui qui in obedientibus. Plericq; autem sunt medij, alijs imperantes sponte, alijs obedientes: Plericq; enim habent partem significatorum in signis obedientibus, & partem in imperantibus, pauci habent omnes in uno genere. De his igitur tractauit abunde superius. Secunda comparatio est eorum qui se mutuo amant & bene conueniunt, & de his tractauit in præsenti capite: Et debet intelligi regula eodem modo & præcedens comparatio. Ex quo sequitur, quod quilibet habet aliquos cum quibus conuenit, quia significatores ubicunque sint, habent correspondentem locum ex ecclíptica, qui oritur in eodem loco horizontis & occidit, præterquā nati in primo puncto Cancri, & primo puncto Capricorni. Tertium genus comparationis est eorū qui se amant uel oderunt, non tamen conueniunt quia non eadem sentiunt: Et sunt qui habent significatores in aspicientibus se locis conuenientiæ quidem ad amicitiam, dissimilitudinis uerò ad inimicitiam: Et de his tractauit iam superius. Quarta comparatio est illorum qui nihil habent simul, & in hoc genere nihil est boni: aut enim non se agnoscunt, aut etiam in magnas cum illis inimicitias incidunt, siquidem facilè est ab incognitis lædi, & ut benè dicebat Plautus: Nam homo homini lupus est, cum homo hominem non nouit. De his igitur in sequenti capitulo tractat. Cap. 13. Cap. 12.

Caput decimumquintum.


TEXTVS XLIX.

De inconiunctis.

IA uerò quæ nullam habent enumeratarum societatum rationem loca, inconiuncta & aliena nominamus. Quæ neq; imperant, neq; obediunt, neq; se intuentur, neq; idem possunt, atque insuper nullam quatuor illarum figurarum describunt, quas diximus esse dimetientis, triquetram, quadratam, sexangulam, sed uel secunda uel sexta numerantur. Nam illa quasi à se mutuo detorquentur, & cū bina sint, singulos angulos complectuntur. Illa uerò quæ sexta numerantur, totum orbem in partes inæquales secant, cum aliæ figuræ omnes in partes æquales illum diuidant.

Combinationes signorum omnium cum duodecim sint, erunt sexaginta sex: sex exhauriunt intuentia, sex imperantia & obedientia, sex oppositio duodecim sextilis, duodecim quadratum, totidem trigonus: igitur erunt quinquaginta quatuor. Relinquuntur igitur duodecim combinationes solum quæ inconiunctæ dicuntur. Sed

plures longè esse uidentur propter iterationem, sunt enim triginta duæ quas in tabula descripsi. Verè autem sunt sexdecim, ut in secũda tabula in quibus neque signum signo, neq; gradus gradui cõcordat multo minus. Verum dices, unde sunt sumptæ quatuor illæ cõbinationes supra duodecim? Respondeo quòd quatuor sunt iteratæ, ut priores non sint nisi quinquaginta. Quę iteratæ sunt, sunt duę ex imperãtibus & obediẽtibus, & sũt Tauri & Aquarij, Leonis & Scorpiõis: Nã illa eadem cũ sint imperãtia & obedientia, sunt etiã inquadrata radiatiõe, unde dicunt odiosè imperãtia. Reliquæ duæ cõbinationes sunt se intuentium, & sunt Tauri & Leonis, Scorpiõis & Aquarij, quæ etiam sunt inimica & odiosa. Ex quo patet quòd nati sub signis fixis generaliter gerũt hostiles inimicitias. Et imperãtia & obediẽtia faciũt illud conculcãdo & patiẽdo, sicut est è quibusdã qui permittũt se decipi ab inimicis suis, & quãuis uideant damna expressa non tamen se sciunt retrahere, sicut dicitur de Carolo Magno & Gano Ponterio, & de his uidẽtur infinita exempla apud Reges hodie qui malis consultoribus obedientes, quamuis uideant iacturã expressam, non tamẽ possunt se retrahere. Est autem discrimen, quod si imperans fuerit humilioris fortunæ agit dolo in obedientẽ, si nobilior, ui. Ex hoc etiam patet quòd intuentia & eiusdem potentiæ non sunt amica, sed cõueniunt inter se similitudine morum, uelut qui sunt de uno magistratu: quidã tamen sunt inimici, ut in duabus combinationibus superioribus Tauri & Leonis, Scorpij & Aquarij: Scripsi autem has quatuor seorsum in tertia tabella facilitatis causa, ut uides à latere. Cæterum ut ueniam ad textũ Ptolemęi, dicit, signa & partes quę non continenter sub aliquo trium membrorum scilicet imperantium & obedientium, & hoc est primum: neque intuentium se atque eiusdem potentiæ, & hoc est est secundum: neque se aspiciunt oppositis radijs, triquetris, quadratis, aut exagonis, & hoc est tertium: talia sunt inconiũcta, & sunt, ut dixi, sexdecim combinationes. Deinde docet eas inuenire & causam illorum. Circa inuentionem dat regulam quam oportet sic intelligere: quatuor signa quæ sunt fixa scilicet Taurus, Leo, Scorpio & Aquarius, habent inconiuncta signa antecedentia & sequentia cum illorum oppositis, quæ sunt sexta ante & post, ueluti Taurus habet Arietem & Geminos, quæ sunt secunda à Tauro, & Libram & Sagittarium quæ sunt opposita illis secundis, & sunt sexta ab ipso Tauro, unum ante & aliud post. Et ita singula signa fixa habent quatuor signa inconiuncta. Singula uerò signa mobilia, & sunt Aries, Cancer, Libra, Capricornus, habent tantum duo signa inconiuncta, scilicet succedẽs & ei oppositum quod est sextum ante. Vt pote Aries habet inconiuncta solũ Taurũ, quod est secũdum ab ipso, & Scorpionẽ quod est oppositum Tauri signum, & sextum ante Arietem. Communia uerò seu bicorporea habent duo tantum signa inconiuncta, scilicet antecedens quod est secundum signum, & illi oppositum quod est sextũ succedens, Veluti Gemini est solum inconiunctum Tauro quod est signum secundum antecedens, & Scorpioni quod oponit Tauro, & est sextum signum succedens Geminis. Quo ad causas dicit de sexto signo utpote à principio Geminorum ad principium Scorpionis sunt centum quinquaginta partes: Cum ergo totus Zodiacus sit CCCLX partium, & CL non sit pars CCCLX quota, ut isti dicunt, id est quæ ducta in aliquem numerũ producat CCCLX: Neque à CL ad CLXXIX procedendo, neq; à CL usque ad CXXI retrocedendo sit ulla pars quota, seu pars propriè dicta ipsius CCCLX, manifestum est quod non solum si-



lum signum Geminorum est inconiũctum Scorpioni sexto ab illo, sed quælibet pars Geminorum erit inconiuncta cuilibet parti Scorpij, quod erat demonstrandũ. Quo ad secunda signa reddit causam, quia detorquentur ad diuersas partes, ita ut uideantur cõtinere angulum. Hucusq; loquutus est de Planetis simpliciter à capite quarto ad caput octauum, inde de signis simpliciter à capite nono usq; ad caput quintumdecimum: Modo loquetur usq; in finem de planetarũ cõparatione ad ipsa signa, immiscens aliquid de ipsorum planetarum comparatione inter se: Ita ut totus iste primus liber, procœmio computato, ex quatuor principalibus partibus componatur.

Caput decimum sextum.

TEXTVS L.

De domibus.

ADiunguntur etiam planetæ locis signiferi propter domos, ut nominantur, & triangula, & altitudines, & fines, & quidquid huiusmodi est. Domuum autem ratio naturalis hæc est. Quia ex duodecim signis duo proximè accedunt ad uerticalem nobis punctum, ideò calores & Æstus generant, ea sunt Cancer & Leo: placuit attribuere illa duobus præcipuis & maximis, hoc est, ipsis luminibus Soli quidem Leo, propterea quod masculinum est signũ: Lunæ uerò Cancer, quòd fœmininum esset. Atq; ita factum est, ut cõuenienter dimidium orbis à Leone usque ad Capricornum Solare uocaretur, dimidiumq; ab Aquario usque ad Cancrum, Lunare, & in utroq; possent singula loca suis stellis assignari, quarum alia figuras cum Sole, alia cum Luna describerent, pro conuenientia orbium motus ipsarum & naturæ proprietate. Nã Saturno, quòd natura maximè frigidificus esset, quodq; supremum & à luminibus remotissimum haberet orbem ob contrarietatem caloris oppositа signa attributa fuere Cancer & Leo, Capricornus & Aquarius. Quæ signa & ipsa sunt frigida & hyberna, & propter oppositionem malefica. At Ioui qui esset temperatæ naturæ & subiectus Saturni globo, data sunt proxima illis signa spiritu & fœcunditate præstantia, Sagittarius & Pisces, quæ cum luminum signis triquetram figuram describunt, quæ conueniens est beneficentiæ. Post quem Marti desiccatori, & subdito sphæræ Iouiali, similiter proxima his ascripta sunt, quę & ipsa similem haberent naturam, Scorpio & Aries quadrata dispositione, ut congruebat illius corruptrici & noxiæ constitutioni. Veneri uerò, quod natura esset temperata & sub Marte, dedere coniuncta his signa, quòd fœcundissima essent Libra & Taurus. In quibus & ipsis situs sexangularis custoditur. Neq; ipsa etiam hæc stella amplius duobus signis unquam neq; anteit neq; sequitur Solem. Mercurio, qui & ultimus neq; unquã ultra unũ signum abesset à Sole, omniumq; aliarũ stellarũ infimo in loco, data fuere proxima signa luminũ signis, Gemini & Virgo, quibus & ipsis ambobus ferè in primis uicinus ferretur.

Postquàm pauca ad declarationẽ textus requiruntur, quinque nobis proponenda uidentur: Primum quidem quot sint genera dignitatum apud Ptolemæum: atque ea septem sunt, domus, altitudo seu exaltatio, trigonus, finis seu terminus, persona, gaudium, carpentum seu solium. Omnium quidem nobilissimum est carpentum seu solium, inde domus, post altitudo, inde trigonus, deinde finis in generalibus constitutionibus, in propriis aũt finis trigonum præcedit, inde persona, ultimũ est gaudiũ.

Videndum est autem quid unumquodq; horum possit, & nõ ut Haly, qui domum domui, exaltationem regno comparat, talibusq; explicat uires dignitatum, ut tãtundem scias postquàm uideris quæ de his scribat, quantum antea. Mentem igitur adhibere decet, quoniam præstantissima hæc est traditio & à nobis longa obseruatione & subtili ratione inuenta. Nec minus debemus Haly qui præter id quod potuit præstitit, causam nobis præbuit inquirendæ ueritatis. Igitur carpentum est cum planeta quasi in omni suo gaudio & in omni sua dignitate est. Nam natus tali significatore, apud suos & apud alienos diligitur, honoratur, omnia illi deferuntur, creduntur, uitam agit tranquillam, disponit omnia cũ facilitate quadã, ut uerè fortunatus dici mereatur. At in domo planeta cũ fuerit, qui natus fuerit eo disponẽte, uim habebit perpetuam, & sine strepitu sponte homines illi parebunt: uitã agunt tranquillã & quandam perpetuam efficaciam planetæ illius ostendunt: Si sit Mercurius, studij & negociationis, si sit Venus, gratię & Leporis, si Iupiter, probitatis et administrationis, si Sol, dignitatis & maiestatis, si Mars audaciæ & promptitudinis, fortitudinis, iracundiæ, si Saturnus, morositatis, stabilitatis, astutiæ, pertinaciæ, solicitudinis: si Luna, desiderij itinerum & aliena negocia tractandi. At si ad generales constitutiones referas, eandem uidebis similitudinem. Nam si Saturnus in domibus fuerit suis & dominetur, erunt tempora generaliter frigida & sicca cum frigiditate fixa & ualida: & si fuerit Aestas, erunt tempora perpetuo temperata: Si Iupiter, erit tẽpus serenum, iucundum, pulchrum, lætum cum uentis moderatis & gratis: Et si Mars, tempus aridissimum & siccissimum: Si Sol, tempus calidissimum cum paucis pluuijs tamen: Si Venus, totum lene, suaue, pluuiosum: Si Mercurius, totum uarium & inconstans & mutabile, ut nunquàm tribus diebus perpetuis in eodem tenore constet: Si Luna tẽpus nubilosum, pluuiosum, incõstans & graue. Hęc si quis dicat unde ex Ptolemęo? (Nã expositor non debet addere nisi ea quę ex uerbis authoris colliguntur: Quamobrem neq; liber dignus est expositione qui uel non totam artem plenè attigerit, uel qui partí, de qua tractat, non plenè satisfecerit) Respondeo, Ptolemæum hoc nos docuisse expresse in omnibus imitandam esse Solis actionem: Is igitur cum in Leone est, maximos facit feruores atque æqualiter dominatur. At Leo Solis domus est, imò carpentum & solium (sed trigonorũ ratio uix debet inter carpenti partes numerari, cum sit à domo pendens & altitudine) ideo Solis uis in Leone à domicilio procedit. Eadem ratione altitudo ipsa deprehenditur: nam altitudinis dignitas in priuatis quidem genituris nouas & non perpetuas adducit potestates, magisque inter exteros quàm proprios, & inquietum uitæ genus producit. Propterea neque tranquillitate neq; diuturnitate, neque facilitate domui comparanda est altitudo. Sed quia noua & inusitata ac quasi insperata affert cõmoda, illustrior apud plerosque habetur. Solent enim homines admirari magis insperata, licet infirmiora minoraque, solitis ac maioribus. Quis enim non magis miretur hæreditatem quatuor millium coronatorum ab externo acceptam, quàm quòd filius succedat patri in triginta millibus? Atque ea ratio est quòd multi altitudinem domui proposuerint. Quod si quis nobis obijciat genituram nostram neq; carpentis, neque domibus, neque altitudinibus ullis penitus inniti, & tamen apud proprios atque exteros nomen & honorem ubique suscepisse? Respondemus, nullum esse maius huius præcepti exemplum quàm hoc: nam sponte quidem neque apud nostros neque alienos honorem suscepimus, neque suscepturi sumus, sed uiolentum quippiam propter illustrem stellam effusionis Aquarij, quam Ptolemæus ex Saturni natura parum louis, alij uerò Veneris & Mercurij, & Iouem ipsum, quæ ambo maxima astra in ipso horizonte sunt ad unguem.

guem. Porrò talia maxima sunt: Sed neque id nisi uelut à Cometis concussionibus quibusdam orbis: nec quæsitum. At uerò sponte ne quicquam, neque singulari causa nostra sed publica quadã ratione, ut inferius declarabimus. Itaq; ut ad rem redeam, *Lib. 2.* in generalibus constitutionibus Sol cum intrat Arietem altitudinem suam totũ commouet orbem, omnia pullulant, omnia exhilarantur, nec tamẽ calefacit ut in Leone, imò neque ut in Cancro nec Tauro. Et ut uno uerbo dicam, domus rem quietam & perpetuã facit, altitudo in mutatione & specie maiorem. Trigonus uerò plus habet uirtutis in diuidendo regiones terræ, quàm in genituris. In genituris autem significat robur & efficaciam, receptaq; apud homines mandata illius, si præsit, uel consilia si sit socius. Fines declarant uires potentiores, sed temporibus terminatas, uelut legationes, annuos magistratus & negocia singularia. In temporibus uerò mutationes non generales, sed quę paucis diebus aut mensibus finiant. Vnde fines quod finẽ accipiant dicti. Qualitates autem cum animæ tum corporis expoliunt, nõ faciunt. Vnde qui in finibus Martis aut Saturni morum dominum habuerit, poterit quidem esse bonus alioquin, sed moribus rudibus, agrestibus & incõptis. In corporis etiã affectibus mala lenit aut auget finis, non facit. Persona facit ut uideatur & speciem referat, non ut sit. Gaudium autem lenit aut exacerbat significata, sed uix sentitur. Proficit aut lædit cum nihil aliud iam est boni aut mali.

Quantum uerò ad domorum ordinem, tabulam enim præfixi qua facile intueri possit quisque cui signo Planeta quilibet dominetur, aut cuicunque Planetæ quæ domus sit, aut quibus signis imperet. Id etiam certo ordine ut facillimè memoriæ commãdari possit. Est igitur ratio talis: Cancer est domus Lunæ, Leo Solis, inde quæ circũdant signa dãtur Mercurio, & sequentia scilicet quæ illa circundant Veneri, & ita ascendendo ordine planetarum usq; ad Saturnum. Nunc uerò rationes ipsius Ptolemæi aggrediamur: Dicit igitur quod efficaciora signa nobis sunt Cancer atq; Leo: nam cum Sol est in illis, maximum calorẽ apud nos excitat, igitur etiã reliqui Planetę: quia eadem est ratio qualitatum, quæ sola magnitudine differunt. Itaq; danda sunt efficacioribus Planetis: ea sunt luminaria. Reliquum est clarũ usq; ad id (Atq; ita factũ est) Ponit terminos Solis & Lunæ quos hic describo in tabula sub nomine terminorũ: nihil enim refert siue terminos siue fines dicas. In alijs uerò Planetis quod maximè distaret à Luna & frigiditate sua maximè contrarius esset Soli Saturnus, data sunt ei signa oppositа Cãcro atq; Leoni, scilicet luminarium domibus quæ etiã malefica sunt quia ambo frigidissima. Ioui data sunt proxima uelut & Iupiter Saturno proximior est. Respicit etiam Sagittarius Leonem & Pisces Cancrum trigona radiatione ut domibus cũ luminaribus conueniret quemadmodũ & naturæ beneficentia. Marti uerò succedentia uelut & loco Mars Ioui succedit, Aries autem Cancrum quadrato respicit & Scorpio Leonẽ, uelut & Mars luminariũ naturæ aduersatur. At uerò dices sed Aries Leonẽ & Scorpio Cancrũ respicit trigona radiatione: Respondeo duplex est discrimen à Ioue, primum quod Iouis domus sola trigona radiatione respiciunt luminariũ domus, nã neq; Pisces respiciunt Leonẽ, neq; Sagittarius Cancrum: Præterea domus secundum successionẽ signorum à Sole cõsiderari debent, à Luna autem contra: sic Aries Cancro, & Scorpio solum Leoni conferri potest. Eoq; modo nõ nisi quadrata radiatio excipi potest. Similiter, & Veneri sexangularem signorum cũ domibus luminariũ radiationẽ habentiũ par tribuerunt quod Venus amica sit lu-



Termini Solis					
☌	♍	♎	♏	♐	♑

Termini Lunæ					
♒	♓	♈	♉	♊	♋

ca sit luminaribus, & non plus tertio signo à Sole unquam recedat. Mercurio quoq; proxima signa luminaribus quod Lunæ proximus adhæreat situs ratione, & Soli loci causa: neque enim plus unquam signo à Sole recedit.

Quod uerò ad signorum proprietatẽ attinet, Pisces concordant cum Ioue, quia est signum fœcundum, & Sagittarius quia uentos mouet, Taurus uerò cum Venere concordat quia fœcundum inter animalia & ratione etiam temperamenti Vernalis, Libra uerò fœcundũ seminis causa: homo enim fœcundissimus est, inter animalia quasi seminarius, non autem prolis ratione. Ex hoc tandem sequitur quod in Australi medietate Capricornus erit domus Lunæ, & Aquarius Solis, Pisces & Sagittarius Mercurij, Aries & Scorpio Veneris, Taurus & Libra Martis, Gemini & Virgo Iouis, Cancer & Leo Saturni.

Caput decimumseptimum.

TEXTVS LI.

De Triangulis.

TRiangulorũ conciliatio talis est. Nulla sane figura magis consentiens est, quam triquetra æqualium laterum, ipsq; signifer tribus circulis definitur, æquinoctiali & duobus tropicis. Ipsius uerò duodecim loci diuiduntur in triangula æqualium laterum quatuor.

Caput hoc in quinq; partes diuiditur, in prima proponit de triangulis generaliter: in reliquis quatuor succedentibus agit de singulis triangulis. Cũ uerò quatuor sint, quatuor fiunt partes huius capitis præter hanc quam suscepimus exponendã. Intendit aũt de unoquoq; triangulo atq; de omnibus simul octo ostendere: quatuor quidẽ generalissima: quatuor uerò propria. Generalissimorum tria hic proponit: Primum quod talia signa maximè concordant & unius sunt naturæ fermè, quia eisdem parent dominis: Secũdum quod in unoquoq; triangulo sunt duo signa quæ duobus ex principalibus tribus circulis hærent, & tertium est in medio. Tres aũt principales circuli sunt æquinoctialis & tropicus Cancri & tropicus Capricorni, seu circulus æstiuus & hyemalis. Et dicuntur principales circuli quia omnes tangunt circulum zodiaci, æquinoctialis quidẽ in medio secans ecliptica, circulus autem hyemalis & æstiuus ab extremis. Indè sequitur tertium, ut in quolibet trigono sit unum signum fixum & & unum mobile & unum cõmune: describã igitur primũ ipsa triangula per ordinem, ut sic facilior intellectus & breuior explicatio. In primo igitur trigono Aries sui initio tangit circulum æquinoctij, Sagittarius sui fine hyemalẽ, Leo nullum: sic in secundo. hoc autem in suis locis explicabitur à Ptolemæo. Ex hoc patet quod signa eiusdem trigoni apud Ptolemæum non sunt eiusdem naturæ, ut Arabes existimant, quantum ad temperamentum.

	Trigona				
1	♈	♌	♐	☉	♃
2	♉	♍	♑	♀	☽
3	♊	♎	♒	♄	☿
4	♋	♏	♓	♂	

TEXTVS LII.

Horum igitur primũ ducitur per Arietem, Leonem & Sagittarium, tria signa masculina, quæ sunt Solis, Martis, & Iouis domicilia. Hoc triangulum assciptũ est Soli & Ioui. Mars enim propter alienam conditionem exclusus fuit. In administratione autẽ primas tulit interdiu Sol, nocte Iupiter. Locus autem Arietis æquinoctialis est, Leonis æstiualis,

Sagit-

Sagittarij hibernus. Idem triangulum potissimum Aquilonare est ob Iouis dominium, quippe qui sit fœcūditatis & spirituum author, sicut & Aquilonares uenti. Sed admiscetur tamen huic & Africus propter Martis domum, ita ut fiat triangulum, ut Græci uocant, Borrolibycū, quod misturam Aquilonis & Africi significat. Nam Africos Mars excitat, qui conditionem Lunarem sequitur, cum & occidua cœli plaga effœminata habeatur.

Quinq; alia supererant de triangulis declaranda quorum unum erat generale, scilicet ut septem Planetæ quatuor triangulis dominarentur: ob id primis tribus duos Planetas præfecit, quarto autem unum tantum, ut sic numerus æquaretur trigonorum penes dominos ipsis Planetis. Singula uerò triangula considerat quatenus conformia sunt in masculino & fœminino diurno & nocturno, nam alterum alteri consequens est, ut sæpe diximus. Secundo quatenus dominos debeat in illis inuenire. Quibus inuentis, tertio quærit quibus nam uentis prædominentur: atque ex uentorum natura, quartum, scilicet quibus regionibus. Diuidit aūt totum hemisphærium, quod ab æquinoctiali uersus arcticum polum, in quatuor partes: Orientem, quam Saturno tribuit, quoniam contrario gaudet, diurna uerò est illa pars, uocat autē partem hanc Subsolanum. Occidentem quam Marti tribuit & uocat Africum, tribuitur autem Marti quia Mars siccus est & contrario pandet. Occidens autem nocturnum atque humidum: humidum quidem ob eam causam quæ suprà dicta est, quod Sol occidens uapores superius eleuatos per diem, demittat in terram: Et etiam quod Luna dum primum è radijs Solis exit, in occidēte appareat. Septentrio Ioui tribuitur, quoniam ex ea parte flant uenti fœcundi, hos Aquilonares uocat. Meridies Veneri tribuitur, quoniam ipsa humida est: Excipit autem luminaria & Mercurium: luminaria quidem, quia generales sunt causæ uentorum, ut dictum est: Mercurium uerò ueluti qui luminaribus semper famuletur. Cum uerò unicuique triangulo duo Planetæ dominarentur, par erat ut etiam duo uenti præessent, & regio ipsa quasi media esset. His itaque intellectis, facile est exponere quæ Ptolemæus in unoquoque triangulo scripsit, quare sola paraphrasi opus erit.

Quoniam igitur in primo triangulo quod è masculinis & diurnis constat signis Mars & Sol & Iupiter domus habent: Mars in Ariete, Sol in Leone, Iupiter in Sagitario, Marte reiecto quia Soli inimicus est, qui plurimū potest per se quod dominus sit Planetarum, tum etiā quia exaltationem habet in eodem triangulo. Sol die factus est dominus primus, Iupiter secundus: nocte autem Iupiter primus, Sol secundus, ob id cum Sol, ut dixi, singularem uentū nō habeat, Iupiter Aquilonares excitabit uentos: cui Mars hac in parte Solis uicem gerēs quod iure merito in trigono dominium habere deberet, ob domum associatus occidentales excitat uentos: Ex hoc, & in hoc triangulo, & in alijs, intelliges uentos & regiones quę inter Occidentem & Septentrionem sunt, huic triangulo debere adscribi.

TEXTVS LIII.

Secundum triangulum ductum per Taurum Virg. & Capric. quodq; constat signis tribus fœmininis Lunæ & Veneri datur. Ipse Taurus uicinior æstiuo circulo est, Virgo æquinoctiali, Capricor. hiberno. Hoc triangulum potissimū Australe est, propter Veneris dominationem, cuius stella illius partis uentos suscitat, propter ualidi & humidi uim. Quia uerò & Subsolanum admittit propter Saturn. domicilium, Capricor. qui hunc uentum ciet, quiq; orientem propter conditionem Solarem tenet, fit hoc tanquam priori oppositum, ut ita dicam, Austrisolanum.

Cum in singulis triangulis Ptolemæus obseruet tria in deligendis dominis, primum ut Planetę sint diurni in diurnis triangulis, & nocturni in nocturnis, & ob id etiam reiecerit Martem à trigono primo: secundum ut masculini Planetę masculinis triāgulis & fœminini fœmininis referantur: tertium, ut qui dominus est signi fixi in triangulo, semper omnibus alijs præferatur. Ita Sol quia dominatur in Leone prę fertur in primo triangulo & Luna & Venus quia Tauro dominantur reiectis Saturno & Mercurio quod masculini & diurni essent, Luna igitur nocte primas partes obtinebit, Venus secundas, die contra. Poterat tamen & Mercurius quippiam uirium sortiri meritò, quod & si non fœmininus sit, ambiguus tamen, & plurimū possit in Virgine. Sed ad Ptolemæi opinionē reuertor, qui fixis signis quod ualidissima sint & pura & syncera, maximè innititur. Cum igitur Luna certos nō habeat uentos, Veneri quidem Auster, Saturno uerò ob id Capricornum succedenti tanquam ualidiori Mercurio & quia Mercurius proprios non habet uentus, orientalis uentus associat. Itaq; & regio & uenti inter Austrum & Orientem.

TEXTVS LIIII.

Triangulum tertium Gemini, Libra, Aquar. complectitur tria signa masculina. Alienum prorsus à Marte proprium uerò Saturni & Mercurij propter duas illorum domos. Quare his permissa est administratio, diurna quidem Saturn. conditionis causa, nocturna uerò Mercur. Ipsum quidem signum Gemini uicinum est circulo æstiuo, Libra æquinoctiali, Aquar. hiberno. Hoc triangulum potissimum est Subsolanum propter Saturn. Sed quia conditionis nomine Iupiter conciliatur Saturno, admiscetur uentus Iouialis Aquilo, ut fiat triangulum, Græca uoce Borrapelioticum, quod significat confusionem Solani cum Aquilone.

Venus cū nocturna sit & fœminina ab hoc trigono penitus quāuis Libræ domina, excluditur: res igitur, redit ad Saturnum & Mercurium. Saturnus igitur de die quia diurnus primus dominatur succedēte Mercurio, in nocte uerò Mercurius quod anci pitis naturæ plus Saturno potest. Quia tamē neq; Mercurius uētos habet proprios neq; Venus, Saturno sociari potest, tū quia nocturna & fœminina, tum quia Saturno inimicissima, neq; Mars quia cadit in Libra & nocturnus est & Saturno inimicus res redit ad Iouē. Saturnus igitur orientalem, Iupiter borealem uentū affert & quartam partem regionis quæ inter illos terminos continetur, uentosque inter medios. In hoc triangulo Saturnus plurimū potest quòd etiam ibi habeat altitudinem, sicut etiam in primo Sol, quod in Leone exaltetur.

TEXTVS LV.

Quartum per Cancrū, Scorpionē & Piscem relinquit Marti qui solus restet, quiq; ius sibi huius uendicet propter domicilium suum. Adiunctæ tamen huic sunt sociæ administrationis, cum propter conditionem tum propter signa fœminina, nocte quidem Luna, interdiu uerò Venus. Ipse Cācer in æstiuo est circulo, Scorpio accedit ad hibernū, Pisces ad æquinoctialem. Hoc triangulum potissimū est Africū, propter dominium Martis & Lunę, sed propter Venerem cōmistione Austri fit Notolibycū, id est, Austri Africum.

Cū hoc triāgulū fœmininū esset Mars Iouē exclusit tametsi dominus esset Iupiter Pisciū & exaltaret in Cācro: q̄d uerò Mars potētior esset Venere & Luna & dns signi fixi, primā uim sibi arripuit: Lunā tn̄ in nocte, ppter Cācrū domū eius, & Venerē in die dominā altitudinis Pisciū, socios assumpsit. Vēti uerò Auster, ppter Venerē, &

Occiden-

Occidentalis seu Africus propter Martis dominium cum Lunæ auxilio, quæ, ut dictum est, in ea parte cum è radijs Solis exit, uidetur: quamobrem & Solem aliquid in Oriente plus præstare credendum est.

Animaduertẽdum quod in regionibus nostris Saturnus Austro deberetur, Iupiter occidenti, Mars Boreæ, Venus orienti: quia meridies calidus est & humidus & Saturnus in eo temperatur: occidens temperatum quo gaudet Iupiter: Boreas frigidum quo Mars, oriens humidum quo Venus. Dictum est enim quod benefica sydera ut temperata gaudent similibus, & malefica ut intemperata, contrarijs. Præterea oriens facit uoluptatibus deditos, quales Venus, Boreas autem furibundos & fortes & atroces, quales Mars: occidens moderatos, ciuiles, iucundos quales Iupiter: Meridies tristes, melancholicos, timidos, crudeles, solicitos, quales Saturnus. Quia tamẽ Haly dicit quæ Ptolemæus comprobauit, experimento consentire, credendum est tradita à Ptolemæo certiora esse ac magis conformia Aegyptiorum & Chaldęorum obseruationibus. Verum qui ex astronomia futuras calamitates priuatis prædixerint, & ego experientia didici, & historia teneo: qui publicarum rerũ interitus prędixerint, nunquam accepi. Hæc tamen diligentius infra docebuntur.

Caput decimumoctauum.

TEXTVS LVI.

De altitudinibus.

ALtitudinum planetarum, ut uocãt, ratio hęc est. Cum Sol, ubi ad Arietem peruenit, in semicirculum Aquilonarem consendere incipiat: ubi uerò ad Libram, deijci & deferri ad austrum non inconuenienter ipsi tribuere in Ariete altitudinem, cum etiam dies tum crescant & calor uiuificus exoriatur. Eidem Libra ut deiectio constituta est propter contrarias causas. Saturno ut Soli opponeretur, sicut & illius domicilium, uoluere oppositum signum Libram altitudinem, Arietem deiectionem esse. Nam ubi calor intenditur, ibi remitti frigus necesse est: contraq; ubi hoc augetur, illud diminuitur. Cęterum cum Luna à congressu cum Sole in Ariete primum appareat luceq; augescat et quasi extollatur in Tauro trianguli sui principe signo, ideo Taurus illius altitudo perhibetur, eidemq; oppositum signum Scorpion. deiectio. Iouis autem uis cum patescat in suscitatione aquilonarium & fœtificorum flaminum, extollitur à Cancro in Aquilonem maximè, intenduntur q; ac complentur illius uires, ideoq; hoc signum ipsius altitudo dicitur, deiectio uerò Capricorn. At Mars qui natura æstuosus multoq; quã alibi in Capricorno magis, quòd ibi terrę sit proximus, eam ob rẽ merito accepit altitudinẽ signũ Iouiali altitudini oppositũ Capricorn. deiectionẽ aũt Cancer. Sequit̃ stella Veneris, quæ cum humidi maximè efficiens sit, eumq; potissimũ in piscibus effectum exerceat, unde humiditas Vernalis moueri cernit̃, in illo loco inuenit altitudinẽ, deiectionem uerò in Virgine. Iam Mercurij aridiuscula stella ut contrariæ efficientiæ contrariam etiã altitudinem in Virgine, cum impendet iam Autumni siccitas, ipseq; quasi extollitur, deiectionem uerò in Piscibus sortita est.

Astrologi una regula potestatem inerrantium in ipsis signis uenati sunt, scilicet cũ signum

signum illud aut partẽ ingrediens planeta maximã in aëre ostenderet mutationem, atq; eò magis si id absq; stellarum cõsortio fiat: ea enim sola causa res in dubiũ uertitur. Itaq; longis obseruationibus & certo syderum loco opus est, quę si accedant certos rei euentus in causas suas facile reducere possunt. Itaque de Sole & Luna ratio Ptolemæi adeò euidens est & experimẽto concordãs, ut dubitare de illa non liceat: de Ioue quoq; satis manifesta est. At de Marte quod opponatur Ioui, consentaneum rationi: quòd uerò ob id in Capricorno eleuetur, quòd Capricornus terræ sit maximè propinquus, certè multiplicem sensum habere potest: aut quòd ibi tunc esset oppositum absidis Ptolemæi tempore, quod & uerũ erat: aut quòd linea ducta ex oculo ad Capricornum humilior sit, omnibus quæ ab oculo ducuntur ad signiferum: aut quòd dicatur humilior Capricornus solum respectu Cancri, id est, remotior à uertice nostro: atq; hic est sensus Ptolemæi magno interpretis lapsu obscuratus, cum Græca litera clara sit. Verũ, ut dixi, talia magis experientia constant, quàm ut certis demonstrationibus possint ostendi. Dicam autem quod ad explicationem rationis Ptolemæi pertinet hac in parte, ut uno exemplo mẽtis illius subtilitatem intelligas. Mars cum in Capricorno fuerit, milites facit egregios: nam miles tribus indiget, feritate, calliditate, & ne sit præceps in negocijs agendis. Calliditas maxima est propter Saturni cõsortium qui maximè dolosus est, pessimus & prauus omnino, propterea qui bellicæ rei student egregiè auari, rapaces, subdoli, incontinentes, perfidi ac denique sceleſti sunt. Minimè possunt esse præcipites propter Saturni frigiditatem Capricorniq; frigidam & humidam intemperiem. Feritas à natura sibi prouenit quod minimè humanum est signum Capricornus. Hæc omnia cõprehendit Ptolemæus paucis uerbis, quæ sunt recondita altiore sensu. Cum enim Capricornus frigidum sit & humidum signum, & Saturni domus maximè Marti congruit, tum quia plurimum abscedit à uertice nostro, nam sic uis Martis fit moderatior, quę ut moderatior est eo maior. Quod ad Saturnum attinet maior est dubitatio, quoniam & si clarum sit ipsum altitudinem debere habere oppositam Soli, Veluti Drances Turno: in unoquoque enim genere aliquid fingitur supremo aduersum: in astris Saturnus Soli, Deo Sathanas, Aquilæ Scarabeus. Itaque hereditario iure ubi Sol cesserit, Saturnus uincit. Sed quod Saturnus exaltetur in Libra atque recedendo frigus augeat dubitatio est: Nam superius uisum est Saturnum ea ratione infrigidare quòd remotus sit à capitibus nostris. Omne tamen agens ut propinquius fuerit magis agit, uerum Saturni sydus ideo refrigerat quia minus excalefacit: minus autem excalefacit dum procul est, ideo Saturnus à Libra usque ad Arietem aërem plus refrigerat tum maximè si uentosus extiterit. Similiter Mercurius ob id gaudet in Virgine, quia siccus est temperie. Siccum uerò intelligentiæ & sapientiæ amicum ueluti Galenus docet. Cæterum an in certis partibus magis sint altitudines dubitatione dignum aliquibus uisum est. Videtur enim rationi quoquomodo consentaneum, quoniam experientia deprehenditur Solem, ubi primùm decimam nonam partem Arietis ingressus fuerit statim Ver manifestum nobis ostendere: Sed de his in decem libris nostris astronomicis satis dictum est: Hic sufficiat Ptolemæi opinionem declarasse.

In libro quòd animi mores corporis tẽperaturam sequãtur.

Caput decimumnonum.

TEXTVS LVII.

De finibus.

FInium ratio duplex est, una Ægyptiaca quæ principatus modo domiciliorum obseruat. Altera Chaldaica accommodata ad triangulorum administrationes. Ac Ægyptiaca quidem quomodo uulgò tenetur, non admodum seruat neque ordinis neque numerorum consequentiam. Primum quòd in ordinatione

finium

finium nunc priores dat domiciliorum, nunc triangulorum dominis non etiam nunquam altitudinum. Vt exempli causa quęri possit, si domiciliorum dominos respiciant, cur si fortè de Saturno sermo sit, primas illi tribuerint in iugo ac non Veneri potius? Itemq; in Ariete, cur Iupiter potius quàm Mars? Quod si triangulorum dominos spectent, cur principem locum assignent in Capricorno, Mercurio, ac non Veneri potius. Iam si placeat altitudinũ principatus, cur ducit agmen in Cancro Mars, ac non potius Iupiter? Iam si hæc aggregent singulis, quicq; horum obtinuerint plurima illi præstantiam concedant, quæramus licet cur præcedat reliquis in Aquario Mercurius, cui in illo loco, pręterquàm trianguli ius nullũ est, cũ Saturnus teneat & domicilij & trianguli. Quin etiã Mercuriũ cur in Capricornũ primum in ordinem statuerint, qui planè ab illo sit alienus. Huiusmodi inconuenientiam in reliqua serie passim animaduertere, deinde numerum etiam finium incongruum esse manifestum est. Nam quod aiunt singularium stellarum ex terminis collectum numerum eundem esse quem eadem attribuat in annis, rationem propriam aut probabilem habere non uidetur. Quin etiam si tali collectioni, quod ad annorum attributionem attinet, credamus, quia hoc ab Ægyptijs asseueratur, fieri tamen potest, ut idem conficiatur etiam si aliter & diuersis modis terminorum numerus per singula signa exquiratur. Quod autem aliqui sapere & probare uolunt hanc rationem, contra ueritatem manifestò nituntur. Nam plenè falsum est quod aiunt illum numerum singularum stellarum temporalem effici secundum ascensionum rationes. Primum enim sequuntur uulgares traditiones de planis ascensionum eminentijs, quæ ne minima quidem ex parte ad ueritatem accedũt. Nam secundum illas in parallelo inferioris Ægypti uolunt exoriri signũ Virginis & Libræ temporibus 38. & triente. Leonis uerò & Scorpij tempor. 35. Cum demonstretur per lineas quod hæc plus temporis in exortu consumant, illa uerò, hoc est, Virgo & Libra, minus. Prętera qui hæc conquisierunt ne secutos quidem apparet numerum finium ab alijs traditum, quamuisq; multa necessario commenti, atque alicubi ipsarum portionum portionibus usi fuerint, quo constaret ipsis quod proposuissent, tamen ne sic quidem ad ueritatis metam peruenisse cognoscuntur. Quæ autem ferè traditur ab illis ratio finium propterea quòd, ut diximus, plurimum huic fides tribui soleat, ad subiectum sese modum habet.

Fines

FINES AEGYPTIORVM

Ar.	Iup.	6	Ven.	6	Mer.	8	Mar.	5	Sat. 5
Tau.	Ven.	8	Mer.	6	Iup.	8	Sat.	5	Mar. 3
Gem.	Mer.	6	Iup.	6	Ven.	5	Mar.	7	Sat. 6
Can.	Mar.	7	Ven.	6	Mer.	6	Iup.	7	Sat. 4
Leo.	Iup.	6	Ven.	5	Sat.	7	Mer.	6	Mar. 6
Virg.	Mer.	7	Ven.	10	Iup.	4	Mar.	7	Sat. 2
Lib.	Sat.	6	Mer.	8	Iup.	7	Ven.	7	Mar. 2
Scor.	Mar.	7	Ven.	4	Mer.	8	Iup.	5	Sat. 6
Sag.	Iup.	12	Ven.	5	Mer.	4	Sat.	5	Mar. 4
Cap.	Mer.	7	Iup.	7	Ven.	7	Sat.	4	Mar. 5
Aqua.	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	7	Mar.	5	Sat. 5
Pis.	Ven.	12	Iup.	4	Mer.	3	Mar.	9	Iup. 2

Dixeramus Mercuriũ in Virgine exaltari, ob id quòd Virginis ſiccitate gaudeat: adduntur plurimæ aliæ cauſæ, utpote à Ptolemæo quòd ancipitis ſit naturæ, Virgo etiam anceps cum autumnale ſit ſignum: Autumnus autẽ, teſte Galeno, naturæ anci-
Primo de Temperamentis. pitis, ut qui mane frigeat, meridie caleat egregiè, rurſuſq; ueſpertino tempore ſit frigidiſſimus, adeò ut homines niſi caueant, manifeſtè lædantur. At uerò dices: Virgo æſtiuum eſt ſignum: uerum illius ultima pars, quoniam commune eſt ſignum, in alterius naturam tranſit temporis. Haly addit quod cum Mercurius ueſpertinus apparere incipit dum Sol in Leone fuerit, in ſigno eſt Virginis. Sumptum illud à ſimilitudine Lunæ: Sed nihil magis quàm quòd experientia conſtet. Id tamen cõſideratione dignum, planetas inferiores quandoque occidentales gaudere, uelut Ptole-
Cap. 17. mæus in tertio libro docet: Ratio eſt quoniam inferiores cum habeant motum alium præter motum Solis, Motus autem communis qui medius dicitur, idem eſt cum motu Solis, uidentur eſſe uelociores Sole: at qui uelocior eſt planeta natura motus euadit occidentalior, quamobrem ſuperiores ſolum orientales gaudent, occidentales debilitantur: Luna quòd omnino uelocior ſit Sole occidentalis robuſtior ſemper eſt, tunc enim primum apparere incipit. Venus igitur & Mercurius in ueſpertinis heliacis ortibus occidentales non minus gaudent, cum Lunę aſſimilentur, quàm in matutinis orientalibus cum tribus ſuperioribus. Obſeruandum igitur eſt qua in medietate cœli ipſi fuerint, hoc autem ſuo loco magis declarabitur. Similiter & Mercurius Veneri aduerſatur, ſicut Autumnus Veri, & inæquale æquali, & Virgo Piſcibus, & ſiccum humido. Cæterum in iſto capite maxima eſt confuſio de Finibus, cum Ptolemæus narret tres opiniones, quarum duas ipſe reprobat: Sed tamen primæ experientia egregiè ſubſcribit. Et uidetur Haly dicere de his hæc uerba (Tamen ego dicam id quod uidi de una experientia quam inueni in loco qui dictus eſt oculus Solis, quia modico tempore miracula magna uidi) Sed Ptolemæus claram rationem adducit quòd ordinem non ſeruauerint. Ratio uerò illa clara eſt. Quòd uerò dicit: Nam quod aiunt, reſpondet rationi quorundam qui certum numerum annorum uitæ ſignificatoribus tribuebant dupliciter: primum, quòd opinio illa falſa ſit, ut in tertio etiam libro oſtendet dum de uita agit: Secundum, quòd & ſi talis numerus uim aliquam haberet, tamen aliter diuidendo ſigna, idem numerus confici poſſet. Quamuis, ut inferius docet, nec omnis numerus conueniat numero annorum qui planetis aſſignari ſolent. Nam Saturno dant LX partes, & Marti LXVII, Ioui autem ſolum

LXXVI & Veneri LXXXI: ita ut in solo Mercurio conueniant. (Quod autem aliqui) Declarat secundum fundamentum quorundam quod Haly nullo modo intellexit, neque explicare aggressus est: tanto plus enim dabant fortunis quanto ascensio ne ascensio maior erat: Veluti in Virgine quòd in Aegypti parallelo ascēderet in partibus æquinoctij XXXVIII & triente, Leo autem triginta quinque, dederunt Ioui & Veneri in Virgine quatuordecim partes, in Leone solum undecim: propter trientem uerò superadditum cum non liceret frangere partes & Libra in eisdem temporibus ascendat in quibus Virgo, & Scorpio in eisdem in quibus Leo, geminato triente quamuis fierent minuta XL tantum, tamen dederunt singulo trienti partem unam: ut in Libra Iupiter & Venus quinq; partes plures haberent, quàm Iupiter & Venus in Scorpione. Hanc rationem reijcit Ptolemæus bifariam & quod ascensiones signorum in tali parallelo falsæ supponantur, Et quod ne sic generaliter quamuis per minuta rem tractantes, ueritatem assequi potuerunt, ut infra docebitur. Ideò secundam subijcit opinionem quæ fuit Chaldæorum.

TEXTVS LVIII.

Ratio Chaldaica simplicior quidem est, magisq; persuasibilis, sed non proinde absoluta, cum ipsa in serie, quàm ad triangulorum dominationes refert, tum numero quoque finium. Hæc etiam absque præscriptione perspici facilè poterit. Nam in primo triangulo Aries, Leo & Sagittarius similiter per signa definiũt terminos, sic ut primum locum teneat dominus trianguli, id est, Iupiter. Secundum sequentis trigoni, præsens ea est Venus. Ponantur tertij dominatores consequenter, ij erunt Saturnus & Mercurius & ultimo Mars dominator postremi trianguli. In secundo triangulo, ubi similis per signa distributionem seruãt, Primus locus est Veneris, Secundus & tertius Saturni & Mercurij, Quartus Martis, Quintus Iouis. Ad hũc modum ferè sese habet etiam in reliquis duobus triãgulis finium terminatio. Cæterum ubi sunt minus duo dominatores, Satur. inquam & Mercur. principatum ordinis sui tenebit interdiu Saturnus, noctu Mercurius. Iam numerus finium ne ipse quidem inuolutus est. Vt enim quæq; stella alteram ordine præcedit, ita una parte uoluerunt excellere. Sic fit ut prima semper habeat partem 8. Secunda 7. Tertia 6. Quarta 5. Quinta 4. quibus numeris triginta confiunt. Ex hac distributione colliguntur Saturn. partes diurnæ 78. nocturnæ 66. Iouis 72. Mar. 69. Veneris 75. Merc. diurnæ 66. nocturnæ 78. quæ omnes partes sunt, 360. Ex his duabus rationibus finium dignior est cui accedatur Ægyptiaca, propterea quod pro utili ab Ægyptijs scriptoribus illa est tradita, & quod penitus congruant partes in illa finium cum exemplaribus genituris, quas Ægyptij collectas habent. Verum cum scriptores nusquàm ipsorum neque seriem neque singulatim numerum declarauerint, suspitioni fuerit atq; etiã reprehẽsioni ista incertitudo obnoxia.

Cum neque Ptolemæus hos terminos confirmauerit, neq; experientia approbauerit, non est cur exponẽdo laboremus, præsertim cum litera clara sit. Etenim omnis expositio alicuius boni causa esse debet, omnisq; scriptura temporisq; iactura. Adiecit aũt numeros illos, ut ostenderet eos nõ congruere annis maioribus planetarum.

Cæterum quòd ad Aegyptios terminos attinet, Dorotheus & melius Græci sapientes illos potius quàm Ptolemæi obseruarunt, Ideoq; ratio ipsorum meo iudicio talis est. In unoquoque signo initium dabitur planetæ qui plures obtinuerit dignitates: sin autem solam unam, præfertur trigoni dominus domino exaltationis: Hic uerò domino domus, nisi infortunæ fuerint. Hæc de causa liquet quare in Capricorno & Aquario Saturnus non præponatur, Mercurius autem in Aquario trigonum habet: Ideo ipse præponitur. In Scorpione præponitur Mars, quia trigonum habet & domum: In Cancro autem quod eius trigoni solus sit dominus. In Libra uerò Saturnus quòd Carpentum in ea obtineat: altitudinis scilicet & trigoni dominus. Ob hęc igitur nullo alio in signo malefica neq; primas neq; secundas obtinet partes. De Capricorno autem cur Mercurius præponatur una ex tribus causis esse potest: uel quia Venerem pro Mercurio & Mercurium pro Venere propter figurarum similitudinem suppoſuerint: uel quod Mercurium, ut dixi uim in trigono illo habere propter Virginem existimarint: uel quod experientia comprobatam aliquam insignem uirtutem animaduerterint. Nam si quis rectè rem perpendat præter Venerem quę ualde debilis est in eo trigono, nullum planetã quem iure præponerent habebant, nam Venus debilis est quod solũ in Tauro ex secundo trigono exaltetur: ob id Luna & Venus minimas uires sortitę sunt, quòd duorum trigonorum participes sint, scilicet, terrei et aquei: quod si in Capricorno Venerẽ pro Mercurio suppoſueris, & pro Venere Mercurium, exactam habebis rationem.

TEXTVS LIX.

Sed ad nostras manus peruenit, liber peruetustus multis iam in locis ætate consumptus, in quo contineretur naturalis & conueniens ratio ordinis & numeri illorum, cõcordabatq; & in expositis genituris partium descriptio, & totius numeri comprehensio cum ueterum traditione. Cęterum oratio erat expositionis cum uerbosa tum multa superuacua argumenta complexa. Ipse uerò liber mutilatus, ut ægrè à nobis generaliter dictorum sententia perciperetur, & si non parum adiuuaret ipsorũ finium descriptio, quæ in fine libri integrior remanserat. Sed tota ratio exquisitionis illorum ita se habet, nam in ordine signorum assumuntur altitudines, triangula & domus, quorum si qua stella duorũ compos fuerit in eodem signo, illa principem locum tenet, quamuis malefica fuerit, quod si hoc nõ usu uenerit, maleficæ semper in loca ultima collocantur. Sed altitudinum domini præponuntur dominis triangulorum, atque hi domiciliorum dominis, consequẽter quidem secundum signorum seriem: ita etiam ut duplicis administrationis stella antecedat semper habentem simplicem. Cancer tamen & Leo domicilia Solis & Lunæ attribuuntur maleficis, nam finibus luminaria non includũtur, maleficæ autem in illis potentiores inueniuntur, & Canc. quidem Mar. Leo autem Sat. habetur, atq; his conueniens ordo conseruatur. Sed numerus sic exquiritur. Si non inueniatur stella dominatrix duplici modo, uel in eodem signo, uel in sequentibus duobus, tum dari solent beneficis, hoc est, Ioui & Veneri, singilatim septenæ partes, sed maleficis, id est, Satur. & Mar. quinæ: Merc. autem qui communis est, senæ, quibus numerus 30. partium expletur. Sed hoc est accipiendum de ijs, qui non nisi simplici modo dominentur.

nentur. Verum cum aliquæ duplicem rationem habeant, nam Ven. sola est domina trianguli Canc. & Tau. cum Luna finibus non claudatur. His igitur singilatim una pars adijcitur, siue hanc rationem in eodem signo, siue in proximis duobus, hoc est, uno quadrante habuerint, atq; talibus adiectis partibus animaduerti in memorata percensione fuisse punctula superposita, sed adiectitiæ duplici huic rationi partes auferuntur, à reliquis & solitarijs plerunque quidem à Satur. sed tamen à Ioue quoque propter tarditatem motus. Horum autem & ipsorum finiũ descriptionem in sequentibus expositam subiecimus.

Ar.	Iup.	6	Ven.	8	Mer.	7	Mar.	5	Sat. 4
Tau.	Ven.	8	Mer.	7	Iup.	7	Sat.	4	Mar. 4
Gem.	Mer.	7	Iup.	7	Ven.	7	Sat.	4	Mar. 5
Can.	Mar.	6	Iup.	7	Mer.	7	Ven.	7	Sat. 3
Leo.	Sat.	6	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	6	Mar. 5
Virg.	Mer.	7	Ven.	6	Iup.	5	Sat.	6	Mar. 6
Lib.	Sat.	6	Ven.	5	Iup.	8	Mer.	5	Mar. 6
Scor.	Mar.	6	Iup.	8	Ven.	7	Mer.	6	Sat. 3
Sag.	Iup.	8	Ven.	6	Mer.	5	Sat.	6	Mar. 5
Cap.	Ven.	6	Mer.	6	Iup.	7	Mar.	6	Sat. 5
Aqua.	Sat.	6	Mer.	6	Ven.	8	Iup.	5	Mar. 5
Pis.	Ven.	8	Iup.	6	Mer.	6	Mar.	6	Iup. 4

Nec defuere qui partirentur etiam subtilius dominationum iura, nominarentq; loca & partes, illa quidem uolentes accipi duodecimam uniuscuiusque signi portionem, id est, partem secundam, & dimidiam. Incipiunt autem attribuere ius sequentibus semper signis ab eo in quo stella fuerit inuenta, sed non hac una, uerum alijs quoq; ratione carentibus modis. Partes autem ascribunt iterum à principio signorum omnibus singi latim stellis ordine exposito in Chaldaicorum finium demonstratione. Sed hæc, ut disputabilia & naturali ratione carentia, magisq; ostentationi comparata, prætermittamus. Hoc monentes quod scitu dignum est, signorum uel locorum duodecim initia sumenda ab æquinoctialibus & tropicis, quod & ipsum à scriptoribus ostenditur, & quod ut exposuimus, illorum naturæ uires, societates, de æquinoctialibus & tropicis solis initijs existunt. Quod si alia initia constituerimus, aut signa ab usu iudiciorum necessario excludemus, aut assumentes multũ frustrabimur, quippe cum præterita & mutata fuerint spacia signiferi, à quibus illis uires inseruntur.

Diuiditur hic textus in duas partes, cuius secundæ initium est ibi. Nec defuere qui. non tamen separari meret, neq; ut Arabes faciunt titulus prępondus ei parti, quo-

niam Ptolemæus omnia talia reiecit, nec recitat ut doceat, sed ut refellat tales nugas consimilesq; omneis. Illud uerò utiliter additum in calce (Hoc monentes quod) declarando quòd signa non à formis stellarum, quæ in octauo sunt orbe, sed ab ipsis punctis æquinoctiorum aut etiam tropicorum sumdẽa sunt: quod si aliter fecerimus, dicit, ut scilicet ab initijs figurarum octaui orbis computemus, duorum alterum fieri necesse est, aut ut existimantes eadem esse initia signorum octaui atque noni orbis frustremur, cum iam talia initia diuersa sint, quippe quod figuræ illę tempore Ptolemæi ab obseruationibus Aegyptiorum & Chaldæorum quæ forsitan mille annis & plus antea factæ fuerant non parum recesserint, utpote octo uel decem partibus. Vnde si gratia exempli initium Arietis quod ab æquinoctio est humidissimum statuatur, ut est, inde primas stellas quæ in capite Arietis sunt humidissimas esse existimes, ea ratione falleris cum sint siccissimæ, ut suo loco uisum est. Quod si uirtutes has figuris octaui orbis tribuas sciens prudensq;, nec omnino ignorãs eas à punctis æquinoctijs ac tropicis recessisse, tunc signa, quæ à talibus punctis initium ducunt, erunt superflua: ut quibus neque stellarum ratione, quæ nullæ ibi sunt saltem nobis cognitæ, neque ipsorum initiorum ac Solis motus causa uires aliquas esse existimẽt. Rursus aliquis meritò dubitabit, si ipsi ecclipticæ uires & diuisio à Sole accedit, Sol aũt ipse ab ingressu æquinoctij Verni ad ingressum tropici Aestiui dies absumit nonaginta tres, sed ab ingressu tropici Hyemalis ad ingressum æquinoctij Vernalis solum sunt nonaginta dies. Igitur quarta ab æquinoctio Verno ad solstitium Aestiuum est nonaginta trium partium, & à solstitio Hyemali ad æquinoctium Vernum nonaginta: uel potius reducẽdo ad partes ex trecentis sexaginta erit quarta Vernalis partium nonaginta unius cum dimidio, & Hyemalis octuaginta octo cum dimidio, & ita signa Vernalia erunt partium triginta cum dimidio, & Hyemalia uigintinouem cum dimidio: Signa igitur non erunt æqualia? Sed ad hoc Haly respondebat quoniã potẽtia hoc, in unaquaq; parte fiet: nam absis Solis mobilis est, secus si esset immobilis: propterea arcus octaui uel noni orbis in ecclíptica æquales sunt.

Cæterum ut ad finium Chaldaicorum imò potius Ptolemæi deueniam expositionem, cum dixit (In expositis genituris) à quatuor laudat causis inuentionem hanc finium propriorum: quos tamen dicit à quodam antiquo inuentos, & obseruatos. Primum quòd ordinem seruent planetæ naturalem in signis. Secundo quòd numerum. Tertio quòd genituris congruant: hoc autem est quod gratia exempli Iupiter fuerit in quartadecima parte piscium in genitura dum Sol est in quartadecima parte Cancri, ubi immensas significat diuitias. Cum uerò Iupiter directione initium Arietis attigit, quoniam ibi fines erant Iouis, ditatus est egregiè adolescentulus ille & diuitiæ creuerunt maxime donec Iupiter sextam partem Arietis excessit. Cum uerò ad uigesimam secundam peruenit Arietis, quoniam ibi Mars fines habebat, multum iacturæ à latronibus, à furibus, propter rixas, aliaq; uiolenta donec uigesimam sextam partem Iupiter superauit, accepit. Quarto quòd totidem partes unusquisque planeta finium in signis accepit, quot etiam in Aegyptiacis. Velut Saturnus quinquaginta septem gratia exempli, & Mars sexaginta sex, atque ita de alijs: non quod totidẽ annis homines illis dispositoribus uiuant, ut rebantur Arabes, sed quod plus dominaretur quod magis generationi & animantium commodo utile esset. Quamobrem plus etiam Venus accepit, quàm Iupiter: nõ quod temperatior sit, sed ut commodius omnia luxuriarent, & ob amorẽ in prolis generationẽ accenderentur. Itaque Venus LXXXII, Iupiter LXXX, Mercurius LXXVI, Mars LXV, Saturnus ut dictũ est LVII, partes accepit. Mercurius enim propter luminariũ propinquitatẽ & Veneris frequentes coniunctiones, & quia proximus terræ est, parumq; afficitur à retrocessibus ob frequentiam, & à Sole ob familiaritatem, in causa uitæ & generationis plus lõgè beneficis accedit quàm maleficis. Eadem causa Mars longè Saturno præferendus est, quod Mars calidus sit egregiè, ideoq; præferoces milites & amant & concumbũt, & generant, & ualidos generant: decrepiti neq; amant, & minus concumbunt, & multo minus generant, & quoscunq; generant inualidos generãt. Verum quod ad rationem

attines

attinet ordinis hæc talis est. Quicunque planeta ut etiam in Aegyptiaca diuisione diximus, carpentum seu solium obtinet, aliis præponitur: Inde dantur ultima loca maleficis semper, si carpentum non obtinuerint, præterquàm in Cancro & Leone, in Cancro Marti, in Leone Saturno. Nam cum luminaria suos fines per sex integra signa sortiantur, ut superius dictum est, initia horum signorum maleficis dedicantur, propter hanc causam, quòd initio Cancri quod frigidissimum sit & humidissimũ signum, & Luna in eo maximè gaudeat Martis calor temperetur ac siccitas, atq; ideò gaudere in eo uideat. Plurimum enim potest ibi Mars ubi maximè temperiẽ acquirit. Eadem ratione Saturnus ubi illius frigus tum à calore Solis tum à calore signi mitigatur, atque hæc boni causa. Nocẽdi uerò per antipariſtasim frigus Saturni in initio Leonis, & Martis caliditas ac siccitas in initio Cancri augebuntur, unde grandines & tonitrua & æstus ac incendia per Martem ibi constitutum fient. In cæteris autem præponitur dominus altitudinis triangulo, & triangulus domui, nisi ut dictũ est maleficæ fuerint: nam hæ ut diximus solis in carpentis præponuntur. Cæterum & inter Martem & Saturnum id ordinis intercedit: ut semper quæ dignitatem obtinet præferatur: Veluti in Geminis, Saturnus Marti, in Capricorno, Mars Saturno. Vbi uerò neutra maleficarum dignitatem obtinuerit, ut in Tauro & Virgine, Sagittario, semper Saturnus Marti præponitur. Quo uerò ad numerum partium attinet, regula hæc seruanda est: beneficis septem partes dari solent, maleficis autem quinæ, si nõ in eo signo neque duobus sequentibus (& Mercurio senæ) inueniatur carpentum. Porrò carpenta sunt ex toto signo, Taurus Veneri ob domũ & trigonum, & Gemini Mercurio, & Virgo etiam Mercurio ob domum & altitudinem: & Libra Saturno ob altitudinem & trigonum, & Scorpio Marti ob domum & trigonum, ut Sagittarius Ioui, & Pisces Veneri, & Aquarius Saturno ob trigonum & domum uel altitudinem. Adeò ut sola quatuor signa carpento careant, Aries, Cãcer, Leo, Capricornus. Propterea licet simpliciter dicere quod omnibus in locis Veneri & Ioui septem partes dandæ sunt, Saturno & Marti quinque, nisi quòd si qua stella duas potestates in ipso signo uel sequenti uel tertio habuerit, unam partem addere oporteat. Hæ uerò quę talibus adijciuntur, adimi solent grauioribus planetis, scilicet Saturno & Ioue, præsertim tamen à Saturno quòd malefícus sit. Exemplũ aũt in duobus signis demus in Ariete: ex simplici ratione Ioui septem primæ partes debentur, quod dominus sit trigoni: Veneri septem, quod benefica sit: Mercurio sex: Marti quinque, sequentes, quòd domicilium habeat in Ariete: Saturno quinque postremę. atq; hæc est pri-

Aries	Iup.	7	Ven.	7	Merc.	6	Mars	5	Sat. 5
Aries	Iup.	6	Ven.	8	Merc.	7	Mars	5	Sat. 4

ma constitutio quàm demonstratam uides. At quia Venus in Tauro carpentum habet sequenti ab Ariete signo, punctum Veneri superaddemus in signum additionis partis unius, hãc à Saturno detrahere licet quòd malefícus sit primum, deinde quòd tardissimus, & Veneri inimicus. Similiter cũ Mercurius in Geminis tertio ab Ariete signo carpentum obtineat, punctum superscribemus Mercurij numero, in signum addendæ partis, detrahemus uerò à Ioue propter tarditatem motus & quia Mercurius inimicus est Ioui: puncta uerò subijcere decet numeris Iouis & Saturni, atq; sic constitutio secunda fiet distributionis finium. Secundum exemplum capiamus Capricornum in quo Venus domina trianguli septem partes ex generali ratione habet, Mercurio sex sequentes quod dominus sit sequentis trianguli, inde Ioui septem generali ratione, quod benefica sit, post Marti quinque quod habeat altitudinẽ quæ domicilio præponitur, inde Saturno quinque. Sed Mars quod in piscibus solus ut dixi trigonum obtineat, & in Capricorno altitudinem, partem unam sibi iungit, hanc à Saturno adimere non licet, quòd domus dominus sit, neque à Mercurio quòd dominus sit sequentis trigoni, neque à Ioue quia dominus sit piscium aufertur, ergo à Venere quæ quamuis carpentum habeat in Piscibus inimica tamen est Saturno domino domus scilicet Capricorni, neque ullibi Venus partes habet pauciores septem

præterquàm in Sagittario, ubi sex habet, quòd ibi solitaria sit & in duobus sequentibus signis: Et in Libra ubi quinque habet tantum propter trium superiorum robur in eo signo & duobus sequentibus. Nam Libra carpentum Saturni est, Scorpio Martis, & Sagittarius Iouis, quamobrem tres partes sibi præter solitum uindicauerunt, unam scilicet singuli: & Veneri quidē duæ ademptæ sunt, una uerò Mercurio, quòd ipse Venere ualidior esset ob trigonum. Cæterum meritò dubitabit aliquis, propter quid triangula in finibus distribuendis ualidiora sint domibus cum à domorum ratione pendeant? Causa autem est quoniam finium distributio est ex quodam consensu, sicut etiam in publicis rerum partitionibus fieri solet, maiusq; uniusc uiusq; plane tę dominium est, ob id concordi quodam consensu signorum partes sibi inuicem partiuntur. Sed tamē carpento cedunt, quòd planeta ille tanquam princeps ui optimam partem sibi eligat ac uindicet. Sed quia de quatuor dignitatibus satis dictum est, ad reliquas tres explicandas accedamus.

Caput uigesimum.

TEXTVS LX.

De sua cuiusque stellæ persona, & carpentis ac solijs.

ATq; hoc ferè modo sese habent familiaritates stellarum locorumq; duodecim. Dicuntur autem stellæ & suas quasi personas gerere, quod uidere facie ad faciem uulgus uocat, cùm singulæ eo modo cum Sole aut etiam Luna configurentur, quo domicilia ipsorum cum domicilijs luminū, ut uerbi causa Venus in sexangula configuratione cum luminibus, sed cum Sole uespertina, cū Luna matutina esse debet, pro eo atque etiam domicilia collocata sunt.

Personam suam gerere Mercurius dicetur cum fuerit in sequente signo post Solem quocunque loco fuerit Sol. Vt pote si Sol sit in Libra & Mercurius sit in Scorpione. Venus uerò cum secundum signum à Sole obtinuerit & Mars tertium & Iupiter quartum & Saturnus quintum post Solem: Veluti si Sol sit, ut dixi, in Libra & Saturnus sit in Piscibus. Eodem modo quo ad Lunā, ueluti in Sole, sed ut sint in antecedentibus signis, ut Mercurio in primo signo ante Lunā, Veneri in secundo, Marti in tertio, Ioui in quarto, & Saturno in quinto. Vt si Luna sit in Piscibus & Mercurius in Aquario uel Iupiter in Scorpione dicentur gerere personam. Quòd uerò hanc dignitatem probet, & non ut reliquas nugas Chaldæorum in fine textus præcedentis descriptas confutet, docet continuatio ad carpenta ac solia de quibus nulla est dubitatio. Inquit enim.

TEXTVS LXI.

Suis autem quasi in regijs curribus & carpentis inuehi, & solijs insidere & in istiusmodi excellentijs tum esse dicūtur, cum duobus aut pluribus nominibus declaratum in superioribus familiaritatis ius exercuerint in ijs locis stellæ quibus institerint. Nam quia tunc ipsorum maximè efficaces uires fiunt, propter conuenientiam & similitudinem & quasi collatam operam duodecim locorum, ideo solijs suis insidere & illustres dicuntur.

Quis iure non dubitet antequam de solijs agamus cur Ptolemæus personam agere planetas occidentales à Sole maximè superiores atque occidentales à Luna uelit,

cum

cum expresse in tertio libro matutinas circa Solem & uespertinas circa Lunam con cap. 4.
traria penitus ratione præferat? Verum nisi quispiam, ut sæpius dixi, diuidat significata atque conditiones, nunquam ad ueram artis scientiam peruenire poterit. Est igitur ac si sit sensus, tres superiores (Nam de inferioribus quod Occidentales à Sole bene collocentur, iam superius ostensum est) si quando occidentales fuerint à Sole, aut à Luna orientales, optimum erit & personam agere dicent, quando tot signis à Sole distiterint, uel à Luna, quot propria domus post Leonẽ, scilicet Scorpio, Sagittarius uel Capricornus à Leone, aut antecedens Cancrum, scilicet Aquarius Pisces & Aries ab ipso Cancro.

Rursus sciendũ est quædã ex ipsius Ptolemęi sententia deriuari quæ expositorem decet adijcere, non ut Haly qui palam non recepta à Ptolemęo non solũ his in locis adijcit, uerũ & ipsius sententiæ repugnantia, & ab illius prorsus doctrina aliena. Quod autem Ptolemęi doctrinæ cõuenit, est ut partes in quibus fines utriusque beneficæ iũgun tur sint felicissimæ: utpote initium septimæ Arietis est Veneris initium termini, finisq; Iouis, ob id commista natura beneficarum feliciores extant cæteris. Contraria ratione ad unguem habentur infelices: ut à latere uides.

Felices		Infel.	
♈	7	♈	26
♊	15	♉	26
♌	20	♊	25
♍	14	♍	24.30
♎	12	♐	25
♏	15	♑	25
♐	9	♓	30
♒	21		
♓	9		

Cæterum ut ad textus explicationem deueniam, carpentum seu solium trifariam accipitur, uno modo prout in signis & principaliter consideratur pro finibus constituendis: & est cum planeta è tribus dignitatibus primis quę sunt altitudo domus & trigonus duas obtinuerit: alio modo cũ duas quomodocunq; è sex dignitatibus aliqua in parte obtineat: tertio cũ in signo toto plures duabus obtinuerit dignitates: Velut Mercurius cum fuerit à prima parte usque ad septimã Virginis, aut Venus in octo primis partibus Tauri. His duobus ultimis sensibus Ptolemæus carpentum, seu solium intelligit. Quod uerò dixit, collatam operam duodecim locorum, id est, quod uidentur omnia loca operam cõtulisse in illum planetam, ueluti dictum est de Mercurio qui cum habeat domum in Virgine & similiter altitudinem quam par erat habere in alio signo, & fines quibus etiam si in alieno habeat signo plurimum potest, uidentur domus omnes in illum planetã uim suam contulisse: Tum etiam quia ut uisum est superius, pleraque signa, quatuor scilicet exceptis, nouem coniunguntur signis alijs, aspectu, præcipiendo, uel uires æquando: Cum igitur planeta in carpento suo fuerit singulas domos possidere uidebitur. cap. 10

TEXTVS LXII.

Gaudere etiã uolunt, cum loca in quibus stella fuerit nõ ipsi sed alteri suę conditionis obnoxia sunt, quæ quidem satis è longo cõgruitatis ratio ducitur, sed similitudo illam tamen efficere putatur. Contra autem si in locis alienis & contrarijs conditioni suæ inueniatur, ualde diluitur peculiaris ipsarum uis, diuersarum naturarum confusione, propter dissimiles signorum constitutiones.

Hoc quod scripsit hic paruum esse uidetur, sed ratione eius quod subijcitur tã magnum est, ut sit maximũ. Nam ponamus quod Sol sit in finibus Iouis, utpote in principio Piscium, gaudet non tanquam in loco proprio sed amici: hoc gaudiũ dicit Ptolemæus leue est & paruæ efficaciæ. Sed si Planeta in contrarijs signis fuerit ab his in quibus exaltatur aut domicilium habet trigonum, uirtus illius diluitur & debilitatur: ut Mars in Tauro, Saturnus in Cancro: tum maximè cum contraria fuerit uis planetæ naturæ signi. Differt autem in hoc quod cum Saturnus æqualiter cadat in Cancro & in Leone, in Cancro quidem plus nocet ob frigiditatis immoderantiam, in Leone minus, iuuat debilitatis uiribus à casu domus & contraria intemperie. Sic Mars mi-

nus nocet in Cancro & minus benefacit in Libra. Quod si quis miretur quomodo Cancer sit frigidum & humidum signum, cũ sit Aestiuum; dicimus id fieri propter Lunæ familiaritatem.

Caput uigesimumprimum.

TEXTVS LXIII.

De applicationibus & defluxibus.

IN uniuersum autem intelligimus applicare præcedentes sequentibus, defluere autem à præcedẽtibus sequentes, sed non oportet longum esse interuallum. Idq; intelligitur & in corporeis congressibus & in configurationibus illarum.

Postquam declarauit omnes affectus planetarum in signis, nunc declarat affectus ipsorũ prout sunt in motu & inter se. Vnde notandũ primo quod apud Ptolemæum non propriè dicuntur planetæ coniuncti esse uel in radijs, propter duas causas, prima, quia corpora eorum parua sunt & semper sunt in motu, Ideo non possunt figi, nec dici coniuncti uel in aspectu uerè. Secunda causa quæ ualidior est, est quoniam, tantum est discrimen inter applicationem & defluxum, ut sub uno nomine non mereantur comparari, propterea distinxit illas. Comparantur autẽ trifariam, aut ratione roboris, uelut Ptolemæus in tertio libro dum applicationem defluxui comparat. Cap. 9. Nam applicatio ualidior est longè defluxu. Defluxum uoco quotiẽs planeta leuior est in pluribus partibus & recedit ab altero: Veluti in prima genitura Mercurius dicitur à Sole defluere: & Luna per quadratum ab eodem: & similiter Luna ab ipso Ioue per trinum. Sufficit autem quod leuior, si non sit in pluribus partibus ut saltem sit uno minuto uel pluribus recedens: Velut in dicta genitura Sol est in uigesimaocta ua parte & sex minutis Libræ, & Luna in uigintiocto partibus & minutis quadraginta quatuor Capricorni, Luna dicitur recedere ab ipso Sole. Et similiter in tertia figura Luna dicitur applicare quadrato Saturni & quadrato Martis etiam, & Mars ipse dicitur applicare per corpus ipsi Ioui: Et ideo plus boni pollicetur Mars ex Ioue quàm mali ex Saturno, quanquam à Ioue longè plus distet quàm à Saturno, quia Ioui applicat à Saturno autem recedit. Secundum discrimen est in qualitate significatorum, de quibus apud Firmicum multa tractantur: & nos omnia quæ utilia erant ex illo traduximus in nostros decem libros de Astrorum iudicijs. Secundo considerandum est non oportere esse longum interuallũ: hoc autem quale sit in Ioue & Ve-
Cap. 14. nere, declaratur infra in tertio libro: iuxta hoc etiam in alijs planetis decernunt pro ut à latere uides. Cum igitur planeta cui applicatur, uel à quo fit defluxus uel separatio non plus distiterit ab eo qui se applicat aut separat, tunc dicetur applicatio separatioue, sicut partes illę de planeta cui fit applicatio uel à quo fit defluxio intelligantur, non de eo qui defluit aut applicat. Qui quanto tamen ex paucioribus partibus fuerit & propinquior, eo ualidior erit. Adeò ut iure cum corpora fermè iungũtur ualidissima sit applicatio. Illud quoque animaduertendum est diligentissimè quòd defluxuum & applicationum quatuor sunt genera, primum in applicatione dicitur simplex, quotiens uterq; planeta est directus & est leuior in paucioribus partibus tardiore seu ponderosiore: Velut in tertia genitura Mars applicat Ioui & Mercurius Soli: Si uerò uterque sit directus & leuior sit in pluribus partibus dicetur separatio simplex uelut in prima genitura Luna dicitur separari à Sole simpliciter. Secundum genus applicationis dicitur mutuum

Applicationes & Defluxus.		
Saturni	Par.	10
Iouis	Par.	12
Martis	Par.	7 m̃ 30
Solis	Par.	17
Veneris	Par.	8
Mercurij	Par.	7
Lunæ	Par.	12 m̃ 30

tuum, & est cum duo planetę unus motu directo, qui est anterior & alter motu retrogrado sibi inuicem occurrunt: Velut in octaua genitura Venus est directa in partibus uiginti tribus & minutis tribus Libræ, & Mercurius est retrogradus in partibus uiginti tribus & minutis septem eiusdem signi, ideo sibi inuicem occurrunt, & significat affectus duplicatos qui per illam applicationem fieri solent. Eodem modo est defluxus mutuus cũ planeta qui est in pluribus partibus est directus & qui est in paucioribus retrogradus, & significat frustrationem significatorum: Velut in eadem genitura Venus directa defluit à Saturno retrogrado trigona radiatione: & ita significata illa alchimiæ & necromantiæ quibus delectari portenderet si non ita defluerent, irrita omnino euadunt, ut nunquam talibus sim delectatus, cum tamen pater in ijs plurimum profecisset. Tertium genus applicationis est cum uterque planeta retrogradus est sed leuior est in pluribus partibus & celerius redeundo grauiorem attingit: Velut in eadem genitura Mercurius applicat Saturno, qui si non esset retrogradus fieret defluxio mutua, ut dictum est, aut mutua applicatio si Saturnus directus esset. Quod si leuior sit in paucioribus partibus fiet defluxio uiolenta, seu auersa, uelut in tertia genitura Venus defluit à Saturno cum sit retrograda & in paucioribus partibus & Saturnus in trigono eius & in pluribus partibus retrogradus. Quartum genus applicatiõis est cum planeta leuior retrogradus est & in pluribus partibus & tardior directus & in paucioribus partibus: nam esset defluxus ratione medij motus, sed ratione ueri fit applicatio. Et hæc contingit duobus modis uel quia leuior iam sit retrogradus, uel quia antequam separetur extra metam descriptam in tabula exiens retrocedat. Pari ratione fiet separatio minima quotiens leuior fuerit in paucioribus & retrocedat, uel retrocessurus sit antequam ad coniunctionẽ perueniat. Quod si cum hoc & grauior, permutetur, tũc fient alij modi compositi. Et generaliter hi modi per uiam diuisionis habentur, ponatur igitur ut in prima genitura Venus in duodecima parte Virginis & Saturnus in decima septima, scilicet leuior in paucioribus seu uelocior & tardior in pluribus partibus: tunc est applicatio secundum naturam. Vel igitur uterque erit directus, uel uterq; retrogradus, uel leuior directus & tardior retrogradus, uel leuior retrogradus & tardior directus: item quilibet istorum quatuor modorum quadrupliciter uariari potest. Dabo exemplum in uno modo & tenebit in omnibus: Vel enim posita Venere directa & Saturno retrogrado antequam iungantur non mutabunt statum, uel sola Venus fiet retrograda, uel solus Saturnus fiet directus, uel Venus fiet retrograda & Saturnus fiet directus: fient igitur sexdecim modi quando planeta leuior est in paucioribus partibus & tardior in pluribus. Totidem etiam fiunt in naturali separatione quotiens planeta leuior fuerit in pluribus partibus, & tardior in paucioribus. Ita igitur fient modi triginta duo. Et quia quotiescunque iunguntur antequam exeant metam dicitur applicatio, & quotiens non iunguntur separatio seu defluxus, fient sexdecim modi applicationis & totidem defluxus distincti robore & significato. Attamen ego descripsi nobiliores & magis manifestos ne commentarius cresceret in infinitum. Per hos enim reliqui intelliguntur. Docebo autem significata. Et hæc de duobus planetis tantum dicta sufficiant.

Cũ uerò fuerint tres planetæ & leuissimus fuerit medius inter reliquos & intra metas, dicetur leuissimus transferre lumen anterioris ad posteriorem: Velut in tertia genitura Mercurius transfert lumen Iouis ad Solem. Secundum est reddere lucem, & hoc est cum duo planetæ non se aspicientes, tertio reddunt lumen, ut in octana genitura Sol & Luna reddunt lumen Marti, quia Mars est in trigono Solis & quadrato Lunæ & est ponderosior utroq; seu tardior. Tertium est collectio luminis quotienscũq; non se aspicientibus planetis, ut in prima genitura Sole & Ioue tertius leuior puta Luna in pluribus partibus existit & ab utroq; simul se separat, tũc Luna dicit̃ colligere Lumẽ Solis & Iouis. Et quidquid euenerit Lunę eueniet Ioui atq; Soli tam in directionibus quàm in reuolutionibus, & tales sortiunt̃ maximos euẽtus. Quartum est coniunctio luminis. & est cum duo planetæ non se aspiciunt & tertius leuior applicat utrique & est similis præcedenti, nisi quòd ille fit per defluxum, hic uerò per

applica-

applicationem. Quintum est prohibitio lucis, & est cum planeta tardior fuerit inter duos leuiores, tunc prohibet lucem illorum leuiorum cõmunicari. Quod si talis coniũctio leuiorũ mala esset, iuuat: si aũt bona, nocet. Sextũ est delatio uirtutis cũ fuerint tres Planetæ in uno signo, & grauior fuerit in pluribus partibus, leuior aũt in paucioribus, nec intra metas, sed medius intra metã applicationis ad tardiorem & intra metam in qua leuior illi applicet tunc medius defert uim leuioris ad tardiorẽ. Velut in octaua genitura, Venus defert uim Solis ad Mercurium, quia Mercurius propter retrogradationem est ponderosior Venere & Venus propter tarditatem motus ipso Sole. Septimũ est perturbatio, & hæc fit cum duo Planetæ applicãt alter alteri quantum ad naturalem motum, sed est unus tertius Planeta in pluribus partibus utroque, qui antequam duo primi iungantur uel quia iam sit retro gradus uel quia paulo post fiat retrogradus iungit se tardiori & interponit se inter primos duos, & ita perturbat cõiunctionem primorum duorũ Planetarũ. Octauum dicitur abscisio luminis, & est quotiẽs fuerint tres Planetę intra metas & leuior fuerit in paucioribus partibus, sed cursu præcedat & attingat illum qui est in pluribus partibus antequam medius illi coniungatur: tunc leuior ille dicitur abscindere lumen mediĳ à postremo qui est in pluribus partibus. Et omnes istæ regulæ originem ducunt ab ea quæ sæpius repetita est: scilicet quod omne potentia tale uim retinet talem. Exemplũ in tertia genitura, Mars esset iturus ad Iouem, sed Luna transeundo ipsum Martem quadrato attingit ipsum Iouem, & abscindit lumen Martis à Ioue. Licet enim Luna nondum attigerit Iouem neque interposita sit inter Martem & Iouem radĳs quadratis, est tamen ac si iam attigisset, quia potentia talis est. Illud tamen euidentius esset ubi Luna esset in eodem signo cum Ioue & Marte, quia abscisio luminis fit quidem per radios alterius Planetæ, sed ualde debilis.

Notandum quod unusquisque horum modorum tam in tribus Planetis quàm etiam in duobus descriptorum potest fieri, uel ex Planeta debili ualde, ut pote qui sit fermè sub radĳs Solis in ualidum uel in alium debilem, uel ex ualido in debilem, uel ex ualido in ualidum. Vtiles sunt translationes in ualidos quæ bonæ sunt, & in debiles quæ malæ, & rursus ex ualidis quæ malæ, ex debilibus quæ bonæ. Præterea qui recipitur seu qui applicat, uel in dignitate est propria uel alterius, uel nulla, uel in cadenti propria uel alterius: similiter & de eo qui recipit, ut fiant uigintiquinque modi qui ducti in quatuor priores faciunt centum: deinde quilibet modus propter benefícas malefícasq; uariatur quadrupliciter: Nam mediæ situ uel positione uel loco declinant ad alterum duorũ, ut fiant modi quadringenti qui ducti in quadraginta priores faciunt modos sexdecim mille. Hi uerò cum fiãt per quinq; congressus & qui per tres Planetas geminati sint, fient modi omnes nonagintasex mille: tot igitur erunt combinationes, quæ ex applicationibus & recessibus tum coniunctionum tũ aspectuum fiunt: quas si quis diligenter sciuerit intelligere, magnam artis partem à Ptolemæo traditæ adeptum se fuisse iure merito existimare poterit.

TEXTVS LXIIII.

Nisi quod in corporeis congressibus applicationis & defluxus etiam latitudines conuenit notari, nam non nisi eos qui in linea per media signa ducta existunt admittere consueuimus, quod in configurationibus obseruare superuacuum fuerit, cum radĳ uniuersi eodem, id est, in terræ punctum intimum tendant atque ita undecunque emissi semper concurrant.

Ipsius rei expositio tam facilis est ut paucissimis uerbis possit absolui, scilicet quoniam in aspectibus latitudo obseruanda non sit, in coniunctionibus autem sit: uelut si Venus sexdecim gradibus distet à Sole, latitudinem uerò habeat septẽ uel octo graduum,

graduum, ipsa profecto erit extra radios Solis: hoc autem magis manifestum est in stellis fixis, quarum applicatio ad Solem si egregiam habeat latitudinem non multum impedit. Quinimò exortus potius heliaci talium, quàm coniunctiones cum Sole, sunt obseruandæ. Sed quod ad causam attinet maiorem habet difficultatem: uult tamen dicere quòd trigonus gratia exempli fit cũ arcus interceptus est centum uiginti partium, & in centro terræ unius recti cum tertia: sed ista quantitas anguli non uariatur sensibiliter propter latitudinem, quia arcus circulorum magnorum qui se intersecant in ecclíptica fermè non differunt siue sumantur ex ecclíptica siue ex circulo transeunte per centra planetarum: adeò ut octo partes latitudinis faciant differentiam quindecim minutorum tantum in ueris locis. Ex quo patet quod opinio Blanchini est falsa de proiectione radiorum quantum ad latitudinem: nam ut ex sphæræ ratione habetur, radij ad centrum uenientes sunt æqualis ambitus: Ideò optimè causam reddidit Ptolemæus. Ex quo colligitur unũ pulchrum, scilicet, quod Ptolemæus non considerat, radios planetarum ut ex uno perueniunt ad alterũ, sed ut perueniunt ambo ad centrum terræ & in ipso angulum faciunt. Sed hic occurrunt plures dubitationes. Prima. Quia Ptolemæus interius in tertio libro dum de uita agit, latitudinẽ non considerare uidetur. Rursus quia reiecit hic defluxus atque applicationes quæ non sunt in ecclíptica, hoc autem experimento non consentit, cũ omnes fermè coniunctiones planetarum euidentes faciant effectus, cum uix ex centum una in ecclíptica fiat. Præterea uidemus fixas quæ procul sunt à Zodiaco Luna illis coniuncta agitare tempora. Propterea respondeo ad omnia hæc quod sententia Ptolemæi, est quod coniunctiones omnes referantur ad ecclípticam, quia tunc dicunt sidera esse iuncta quando linea ducta per polos transit per ambo centra, & tunc necessario diuidit ecclípticam: Igitur cum sidera illa sunt iuncta ipsa sunt in eodem puncto ecclípticæ: Et hæc est causa mathematica. Alia naturalis quoniã uita & reliqua ut dictum est sunt per lucẽ Solis, & Sol semper sub ecclíptica fertur, Ideo auxilia & detrimenta ad illam lineam referri debent. Verum sententia Ptolemæi est quod defluxus illi & applicationes ad lineam illam referri debent, quia quanto propinquiores fuerint Planetæ aut inerrantes, tantò maiores facient effectus: quanto remotiores, debiliores. Non tamen uariantur tempora aut effectuum genera. Fixæ tamen, propter magnitudinem & stabilitatem, magnos præstant effectus etiam quod procul sint: Maiores tamen longè cum exoriuntur heliacæ uel cum ipsis Planetis: propter duorum magnorum circulorum inter sectionem, & etiam propter causam naturalem manifestam, quæ est aëris immutatio repentina. Cap. 14.

TEXTVS LXV.

Ex quibus omnibus euidens fit, habitudines stellarum singularum exquirendas, cum ex propria natura earum, tum de natura signi in quo fuerint, nec non secundum configurationem ad Solem & cardines, quæ cuncta à nobis indicata sunt.

Tria sunt quę de futuris præcognosci ab astrologo quęruntur: genus euentus, magnitudo, & tempus. Genus euentus, ut pote si futurus sit sapiẽs aut stultus, pulcher uel deformis, robustus uel imbecillis, diues uel pauper, & ita de alijs. Magnitudo, ut si futurus sit ualde diues uel ualde pauper, uel ualde magnus, uel ualde paruus. Tempus, autẽ ut si in pueritia uel adolescentia, iuuentute uel senectute, & quo anno mense & die ac hora ista fient, bona uel mala. Primum ergo genus ex quatuor dicit Ptolemæus sumitur, ex natura propria Planetæ, quia Iupiter gratia exempli præstat temperamentum, & quia uirtutes & boni mores & naturæ robur consistunt circa temperamentum, ideo Iupiter significabit hæc omnia. Et similiter significat diuitias & honores, quia talia proueniunt ex moderatis actionibus, & nunquam ex extremis: neque enim omnino iracundi, neque omnino abiecti animo, commercia contrahere possunt:

possunt: nec in extremo auari nec prodigi, nec qui nihil attingere audent, nec qui insanam habent audaciam, possunt pecunias aut honores sibi parare. Secundo ex natura signi, nam signa temperata & in quibus planetæ gaudent, multum adiuuant ad qualitates præcipuè: tria prima signa, Aries, Taurus, Gemini propter temperamentum, Cancer, Leo, Virgo propter promptitudinem actionum & audaciam, Libra, Scorpio & Sagittarius propter callidítatẽ: reliqua tria fermè sunt inutilia. Similiter mobilia propter cõuersationem, fixa propter perseuerantiam, communia propter prudentiam. Altitudines quoque & reliquæ dignitates Planetas reddunt meliores. Tertio propter configurationes ad Solem: per Solem intellige etiam Lunam & reliquos Planetas: sed posuit manifestius exempli loco: Veluti in quarta genitura Iupiter primo orientalis cum aldebaran fermè seu oculo Tauri & Luna applicãs Mercurio fermè de sextili, afferunt felicitatem & dignitates quas habet. Dictum est enim à nobis sæpius quod Iupiter significat diuitias & honores, & ipse est in angulo & dominus loci Solis cum ipsa Luna. Quarto cardines, nam & hi significant qualitatem euentuum, ascendens circa uitam, & cor cœli circa honores & dignitates.

Aliter potest exponi iste textus & utraque expositio est bona, scilicet ut conditiones stellarum & quantum ad qualitatem seu genus, & quantum ad quantitatẽ & tempus sumantur ex his quatuor: sed quæ augeant & minuant in sequenti textu subijcit, ita ut præsentis textus sequens sit expositio cum dixit.

TEXTVS LXV.

Sed uires assumunt primum si orientales sint & cursum suum intendant, tum enim plurimum possunt, sicut minimum si occiduę sint & remittentes cursum suũ. Deinde propositu suo & respectu erga finitorem, nam in medio cœlo aut succedenti illi loco potentes maximè, sed potentes etiam sunt in ipso finitore & succedenti loco, plurimum autem possunt in finitore orientali, Contra uerò minus in imo cœlo aut alio cõformi finitori orientali loco.

Ponit igitur quod robustissimæ sunt erraticæ dum orientales fuerint & motũ habuerint medio motu uelociorem: Is facilè ex subiecta tabula & ephemeridibus conijcitur: id autẽ licet diuersimode contingat, plerunq; tamen in superioribus fit circa quadratum: In Marte tamen fit circa distantiã duorum signorum cum dimidio: In Venere autem usque ad partes quinquaginta duas uel circa post cõiunctionem à Sole dum directa est: Verum ante coniunctionem totidem fermè partibus dum Soli appropinquat: reliquo spacio, id est, dum post maximam distãtiam redit ad Solem occidentalis aut orientalis elongatur, à Sole est diminuta motu. Idem uerò iudicium est de Mercurio, sed Mercurius uix excedit uigesimam octauam partem seu orientalis seu occidentalis. Hic igitur primus est status. Secundus est tum est orientalis usque ad stationem primam & est ualidus, primo tamen multo inferior. Tertius status est à statione prima ad oppositionem quasi mediocris. Quartus est debilis ab oppositione ad stationem secundam. Quintus est debilissimus à statione secunda usque quo ingrediatur sub radijs Solis: & iste status non diuiditur, quia quanto magis augetur de motu tanto magis minuitur de lumine: sed si diuidendus est, debilior est à statione secunda donec incipit esse auctus motu, cum uerò inceperit donec occultetur est debilissimus. Ex quo colligitur quod Planetæ habent sex status, & quod plus facit diminutio luminis quàm motus. Tertio ratione cœli, & primum locum

Medij motus Planetarum in die.

	♒	♓		♒	♓		Par.	♒
♄	2	0	☉	59	8	☾	13	10
♃	4	59	♀	59	8			
♂	31	28	☿	59	8			

cum obtinet cor cœli, inde undecima, deinde oriens seu prima, & succedens seu secunda, inde septima, post octaua. Hæc autem ratio si bene meministi, superius tradita est: Sed & de ea in sequenti expositione dicemus. Videtur autem tribuere uires imò cœli, & quinto loco & nono. De nono autem nulla est dubitatio, de quinto autem dicemus nunc.

TEXTVS LXV.

Sed extra hæc omnia reperti, imbecilles & prorsus infirmi habentur.

Quod igitur à finitore excluditur ex orientali parte est duodecimus locus & sextus & tertius: In his igitur Planetæ omnino imbecillissimas habent uires. Sed dices superius aliter diximus, nam imum cœli & quintum locum & tertiũ ex toto abiecimus, duodecimum uerò admisimus, & nonum octauo præposuimus, & primũ undecimo: uerum hæc quæ hic Ptolemæus scripsit generali ratione tradita sunt, quæ autem nos scripsimus propria. Discrimen est in ratione propria uel comparãdo: sexta enim uitæ omnino aduersatur, uim tamen habet alijs in causis. Secundus locus nullam in uita habet potestatem, ratione tamen honorum præfertur & diuitiarum omnibus, præter angulos & undecimum ac nonum. Itaq; duodecimus quarto & quinto & tertio & secundo præfertur quo ad uitam quia plurimum habet luminis, non tamen alijs in causis. Quartum uerò locum non preferes ulla ex parte sexto uel duodecimo per se, sed si Planetæ ibi coierint quia radios mittunt in singulos angulos, propterea robusti sunt: ipse tamen locus nullam habet significationem. Superius igitur à nobis demõstratę sunt uires locorũ per se, hic uerò Ptolemęus illos declarat, ut Planetę fiũt potentiores: atque in hoc ut respiciant angulos ualido aspectu est obseruandum. Aspectus autem ualidus dicitur oppositio maximè atque inde quadratus. Id quoq; certum est, quod ut inferius habebitur in tertio libro, sextus locus uim magnam ad nocendum habet. Sed de his inferius dicemus. Vnum est quod Planetæ maximam uim habent in decimo loco, deinde in undecimo, deinde in octauo, præterquàm in uita, ubi octauum nonus præcedit, ut infra habebitur: In uitæ causa ergo nonus ut dixi apud Ptolemæũ prævalet octauo: nonus enim est in trigona radiatione ascendentis & sublimis, & uidemus quod Sol quando est ibi facit maximos calores. Similiter & sextus post hos est collocandus: inde quartus, sed quartus nihil significat per se, sed solum Planeta dum ibi est uires magnas adipiscitur.

Com. 46. in fine.

Cap. 16.

Lib. 3. c. 11.

CLAVDII PTOLEmæi Mathematici de Iudiciis Liber secundus cum expositione Hieronymi Cardani Mediolanensis Medici.

PROEMIVM AVTHORIS.

Cap. I.

TEXTVS I.

HActenus quidem percurrimus ea, quorum maximè cognitionem prædictiones rerum singularium requisituræ uiderentur, exponentes per certa quædam capita quasi in tabella. Nũc igitur deinceps explicabimus rationẽ uniuscuiusque rei, cuius quidem præcognitio esse possit, sequentes ubique naturalem quendam modum expositionis.

COMMENTARIVS.

GEneralem expositionem euentuum in uniuerso orbe quam hic proponit arduam magis ac lõgè maioris operis quàm unius singularis hominis esse debere, nemo est qui iure dubitare possit: Similiter & magis necessariã omnes esse intelligunt, cum tamen Ptolemæus huius generalis expositionis unicum tantum fecerit librũ & scilicet hunc secundum, geniturarum autem, singularium hominum euentus duobus libris explicauerit, scilicet tertio & quarto, quorum tertius per se solus dimidio maior est hoc secundo. Causam igitur huius quærere oportet, nam nihil absque maxima ratione fecisse Ptolemæum existimandum est. Vna igitur causa sola esse potest, scilicet quod longè minorem cognitionem habemus de generalibus constitutionibus quàm de singularibus, ob id parcè de his tractandum esse existimauit.

Diuiditur etiam tota tractatio huius libri in Apotelesmata & Principia. De Principijs in primo libro actum est. Apotelesmata autem diuiduntur in generalia & propria: De proprijs in tertio & quarto loquetur Ptolemæus: De generalibus autem hoc in libro tractandum est. Ptolemæus principiorum tractationem quasi in tabella descriptam uocat, quod per singula capita res ipsas explicauerit. Nunc autem Apotelesmatum tam generalium quàm propriorum promittit: Igitur cũ duæ sint, ideo has in sequenti textu diuidit dicens.

TEXTVS II.

Cum aũt prędictiones astronomicæ in duas potissimũ & propriè partes diuidant, quarũ una & prior totas gẽtes, regiones, urbes generaliter, quã nominant uniuersalem, altera particularis singlorũ hominũ fata cõplectatur, quę dicit à geniturís Genthlialogica conueniens uidet de uniuersalibus priore loco disputare, quãdo hæc quidem maiore ui quadam & efficatoribus à causis mouentur quàm particularia. Iam cũ necesse sit

summit-

ſummitti imbecilliores naturas ualentioribus atque adeò particularia uniuerſalibus. Si quis ſingularium rerum prædictionibus operam dare uelit, non poſſit ſine comprehenſione generaliorum eſſe ad illas inſtructus.

Senſum huius partis adeò clarum eſſe liquet, ut omnino quatuor uerbis abſolui poſſit. Si quis (inquit) uelit Genethliacarum habere cognitionem neceſſe eſt ut prius uniuerſalium ſcientiam habeat: quia uniuerſalia maiore ui & efficacia, ut ſuperius uiſum eſt à cauſis ſuis mouentur. Ratio autem ſic conſtruitur: Cauſæ potentiores magis mouent debilibus: hæc per ſe manifeſta eſt: Cauſæ autem uniuerſales ſunt potentiores cauſis ſingularibus. Igitur cauſæ uniuerſales magis mouent. Minor propoſitio declaratur, quoniã cauſæ maiorum effectuum potentiores ſunt cauſis minorum, igitur cum effectus uniuerſales, puta quod occidat una tota gens maiores ſint effectibus ſingularibus, ut pote quod occidat unus homo, manifeſtum eſt propoſitũ quod à principio diximus.

Ex hoc patet ſolutio problematis ſecundi ſuperius propoſiti, ſcilicet quod non eſt niſi unum genus uniuerſalis conſtitutionis ſeu influxus, quod quidẽ pertinet ad prouinciã uel ad gentem. Nullus autem poteſt eſſe uniuerſalis ſub hoc ſenſu ut contingat toti: Quamuis enim Saturnus Ioui iungatur, quia tamen coniunctio illa orientalibus contingit alio aſcendente atque ſchemate cœli: Item his qui habitant uerſus meridiem quàm occidentalibus aut borealibus: prioribus quidem propter horæ uarietatem, atque ideò cordis cœli, poſterioribus uerò tametſi cor cœli unum ſit, ſcilicet meridionalibus atque borealibus, diuerſum tamen eſt aſcendens ob uarietatem finitoris, ideò nihil unum poteſt toti orbi generaliter ſignificari. Ergo non dantur conſtitutiones generales ratione cauſæ agentis, ſed ſolum ratione loci. Ea autem diuiduntur ut in ſequenti textu docet. Lib.1.Com.25.

TEXTVS III.

Cęterum hęc ipſa uniuerſalis conſideratio, aut eſt totarum regionum, aut harum & urbium.

Diuidit ut dixi naturam hanc conſtitutionum in tria genera: uel enim totæ regiones afficiuntur, ut pote tota Gallia uel tota Italia, uel etiam plures regiones, ut pote Europa: uel (harum) id eſt, partium: Velut ſi Hetruria tota uel Gallia togata affligatur. Vel una urbs tantum ut Florentia & Mediolanum. Manifeſtum eſt autem quod quanto generaliores ſunt hi effectus, tanto etiam ſunt potentiores & efficatiores, ex ratione ſuperius adducta.

Hinc patet ſolutio primi problematis ſuperius inducti, ſcilicet quænam ſit conſtitutio generalis, quia eſt illa quæ ſignificat ſuper gentem aut prouinciam: propria uerò habetur ex geneſi uniuſcuiuſque hominis. Et quod generalis diuidit̃ in quinque modos qui hic à Ptolemæo ſub tribus comprehenduntur: ſcilicet generalis pluribus prouincijs integris, & uni prouinciæ, & uni parti prouinciæ, & uni ciuitati, & uni membro ciuitatis, ueluti oppido uel uillæ. Diuiduntur etiam influxus generales bifariam adeò ut ſint tres diuiſiones cum prædicta, cõſtitutionum generalium. Quæ autem ſint reliquæ, in ſequenti textu explicantur.

TEXTVS IIII.

Præterea interdum grauiores & certarum quaſi recurſionum caſus exquiri ſolent, quales ſunt bellorum, peſtilentiæ, terræmotus, diluuij & huiuſmodi. Interdum leuiores & minores, ut annuæ tempeſtatis intentio uel remiſſio, itemq; hyems aſpera uel leuis, deq; uentis & æſtu ſimiliter, nec nõ fertilitate & infœcunditate, quęq; ſunt alia generis huius.

Duo genera constitutionum generalium duabus reliquis diuisionibus singula distinguit in duas species, quarum altera, scilicet diuisionum, à quantitate effectus sumitur, altera à qualitate. Quæ à quantitate sumitur, duas species habet mutationum magnam & leuem. Magnam appellat quæ omnino præter naturam est ut inundatio, pestis, bellum. Leuem autem quę est secundũ naturam, sed quantitas immutata est, ut immoderatæ niues, grando, pruina, æstus, penuria annonæ. Circa quod notandum est sterilitatem esse duplicem, aliam quæ non est extrema & hæc pro naturali habetur à Ptolemæo, aliam esse extremã qualis tempore Pharaonis & Iosephi: & hæc magna est mutatio & præternaturalis. Mutationes igitur magnæ prętternaturales, ut alias declaratum est, sunt septem: aut in terra, & uocatur terremotus, aut in aqua, & est inundatio, aut in satis, & est sterilitas, aut in animalibus, & est duplex, lues in utilibus & multiplicatio in inimicis naturæ humanæ, ut serpẽtibus & locustis, aut in hominibus ab aëris uel aquæ corruptione, & uocaẽ pestis, aut ab alijs hominibus, & uocatur bellum. Et hęc est tertia diuisio secũdum qualitatem quæ est ut dixi in septem membra. Verum naturalis seu leuis infinitas habet species, propterea sufficiat eas solum declarare quæ in textu obscurę sunt. Sunt autem duæ, illa de æstu & de tempestate. Sed si clarius litera conuersa sit, hoc modo interdum leuiores & minores ut annuarum tempestatum, hyemisq;ue ac uentorum, æstusq; intensio ac remissio, non relinquitur dubitatio, quia per hyemem & æstum intelligit tempora contraria, scilicet hyemem & æstatem: Per annuas tempestates, generalem quatuor temporum constitutionem intelligit: Vnde hyemis additio uel diminutio seu uehementia & mitigatio succedit.

Hinc tertiæ dubitationis solutio emergit, scilicet cum cœlum sit sempiternum atque rotundum unde initium constitutionum & quando seu ubi sumendum? Innuit igitur Ptolemęus quòd initium annui status principium est mutationis quatuor temporum & qualitatum eius. Ita longioris temporis rariores ingressus & coniunctiones. Velut Saturni coniunctio cum Ioue annorum fermè uiginti: eorum uerò recursus ad initia Arietis septingentorum nonagintaquinq; annorum. Quartæ partis autem, id est ducentorum fermè annorum mutatio illorum ex trigono in trigonũ. Tardiorum autem, id est inerrantium mutationes annorum millibus distinguuntur. Ve-
Cap. 3. rum Ptolemęus omnia principaliter sumit ab eclipsibus luminarium & eorum coniunctionibus.

Est etiam illud consideratione dignum quod quantitas effectuum magnitudine dupliciter mensuratur: aut enim magna dicitur aut parua quantitate effectus aut temporis. Atque in effectu quoque duplex est consideratio magnitudinis, uel quia generaliter ad statum perueniat, uel quia celeriter. Veluti pestis tripliciter magna dici potest: uel quia diu perseueret ut quæ Mediolani fuit anno MCCCCLI, toto enim biennio perseuerauit: aut quoniam maximè sit exitialis quamuis non diu perseueret: ut quæ anno MDXXIIII sæuijt in eadem urbe: aut quæ breui interficit quamuis neque diu perseueret neque plerosque occidat, sed plurimi euadant: Velut anno præterito sudor anglicus cum plures euaderent quàm interirent pro sæua peste habitus est, quod quoscunque interimeret intra uiginti quatuor horarum spacium interimebat: plerosque autem intra sex aut octo.

TEXTVS V.

Horum potius priusq; habendum ob eam quam reddimus causam, illud quod totarum est regionum & maiorum casuum.

Cum tres diuisiones generalium constitutionum Ptolemæus supra ostenderit in magis uniuersalem & minus uniuersalem rationeloci, in præternaturalem & naturalem ratione quantatis & magnitudinis, & in diuersa genera effectuum quæ ad qualitatem pertinent & in quibus prædictio ipsa uersatur: Veluti Saturnus & Mars cum

cordi

cordi Leonis iunguntur, significant autem aliquid super Italiam quod Italia Leoni subijciatur: uidendum est igitur quid significet: an pestem: an bellum: an terræmotũ: an luem atque talia: Cum igitur hæc uicissim ueniant, ordo inter illa cadere nõ potest, sed in duabus primis diuisionibus. Sed cum ex primis duabus diuisionibus quatuor fiant membra, scilicet effectus magnus & magis uniuersalis: magnus & minus uniuersalis: paruus & magis uniuersalis: paruus & minus uniuersalis: de magnis ac magis uniuersalibus prius tractandum docet: Innuens scilicet quod de minimis & minus uniuersalibus ultimo sit tractandum unam ob causam uerè, sed duas si eam distinguere uoluerimus. Causa enim quæ dicta est, est quod potentiores sint maiores causę maiorum effectuum & magis uniuersalium, ergo non poterimus scire minores effectus aut minus uniuersales nisi scitis maioribus ac magis uniuersalibus. Vt pote sit constellatio quæ significet maximam felicitatem Mediolano, & sit alia constellatio quæ significet bellũ exitiale toti Italiæ, quomodo poterimus ex constellatione nostræ ciuitatis diuinare felicitatem, quam calamitas totius prouincię sit peruersura. Alia causa est quia uia doctrinæ notiora sunt præferenda, est autem fermè notius semper quod maius est.

Sed & ex præcedentibus habemus solutionem quartæ dubitationis superius propositæ, scilicet quod causæ uniuersales quædam sunt potentes & quædam debiles: debiles debilibus & potentes potentibus conferri debent: semper quę generales ex sententia Ptolemæi potentiores sunt propriis, & generaliores minus generalibus. Sed dupliciter hic distinguere oportet: & ideo diligenter animaduerte, præter id quòd ut dictum est quòd debilis uniuersalis non potest uincere ualidam propriam: Veluti si constellatio uniuersalis faciat aërem benignum, temperatum & salubrem, & aliquis ex propria genesi debeat ægrotare grauiter, non euadet quidem ille à graui morbo, nedum à morbo ex toto propter generalem cõstitutionem, sed minus graiuiter ægrotabit. Similiter & si constitutio pestiferos morbos denunciet non tamen ualidissima sit, aliquis uerò ex genitura & directione & reuolutione debeat esse saniissimus, non ægrotabit omnino. Vult igitur Ptolemæus ut uniuersalis uincat singularem: ubi par sit magnitudo effectuum significatorum: obseruando tamen duo, primum quod malum uincit bonum duabus ex causis: Prima quod malum est de necessitate naturæ, ut mors: bonum autem non ita, ut pote quod quis debeat suscipere filium: Secunda quia bonum est de ratione constructionis & malum destructionis & ad construendum requiruntur plura, ad destruendum sufficit unũ, ut rectè inquit Aristoteles. Igitur malum est certius bono. Secundo quod magis ad rem attinet, ut cum constellatio generalis comparatur singularibus uel simpliciter comparatur non determinatis singularibus, & sic semper est ualidior uniuersalis constitutio quàm priuati, ubi pares sint magnitudine ut dictũ est: Veluti est futura pestis certo anno Mediolani quæ multos interfectura est, quidam Papiæ ex morbo laterali eodem anno moriturus est, dico quod facilius est illum posse euadere à morte qui Papię est quàm facere ne pestis multos occidat Mediolani: quia comparatio constellationis uniuersalis ad incertum multitudinem, est comparatio ad proprium effectum, sicut genesis propriæ ad illum cuius est genesis. Sed causa uniuersalis, ut dictum est in comparatione ad proprium effectum, potentior est quàm singularis ut dictum est, ergo certius erit pestem multos occisuram Mediolani eo anno, quàm Papiæ moriturum ex morbo laterali. Sed si comparatio fiat utrarumq; constitutionum ad eundem hominem puta Socratem, tum oportet distinguere uel genesis Socratis est ualde coniuncta constitutioni uniuersali, & tunc magis oportet credere constitutioni uniuersali & certior est quàm constitutio propria: uel est parum coniuncta & tunc plus potest propria quàm uniuersalis. Et maximè istud cõtingit cum non solum propria parum coniuncta est uniuersali, sed etiam illi repugnat. Et ideò ille qui ægrotat in peste, habuit coniuncta constitutionem cum cõstitutione uniuersali, si autem euadit, parum coniuncta fuit aut omnino repugnauit propria genesis illi constitutioni. Et similiter qui euasit è naui quæ submersa est in mari, habuit constitutionem repugnantẽ con-

ſtitutioni nauis & ſubmerſioni, non autem ſolum ſine periculo. Et ideò iſtud habet aliquid annexum cum ſcientia fati. Eſt uerò illud omnino ſcientia dignum, quòd omnis homo qui naſcitur in aliqua urbe uel oppido habet iam conſtitutionem connexam cum illo oppido: quia ſtellæ uerticales & altitudo poli ſunt eædem ipſi & loco in quo natus eſt. Et ſimiliter dominus trianguli dominatur illi: & ideò ſi conſtellatio fiat ſecundum unum iſtorum trium tum communicabitur nato & poterit euadere tamen. Quod ſi fiat ſecundum erectionem loci & ædificationem urbis, tũc ſi genitura nati communicauerit illi, afficietur natus & non euadet: & ſi non communicauerit illi non afficietur penitus. Quod ſi ſtella uerticalis, aut dominus trianguli, aut ſignum proprium, aut ſitus Solis cum Arietem ingreditur ſimilis fuerit ei qui eſt in genitura illius, uel diſpoſitor idẽ, uel interfector Planeta in genitura fuerit idẽ cum ſignificatore calamitatis, affligetur natus & morietur prorſus. Hæc uolui adieciſſe quia cum Ptolemæus tradiderit doctrinam affectuum uniuerſalium per cauſas uniuerſales & ſingularium per cauſas ſingulares. Et uniuerſaliũ quidem propter ſcientiam ſingularium, non tamen docuit quomodo uniuerſales cauſæ determinatis ſingularibus, ſcilicet Socrati atque Platoni applicarentur. Nam de multitudine incerta, ut dixi, illa propriè eſt in quam generales conſtitutiones impetus ſuos effundunt. Quod uerò illa doctrina eſſet neceſſaria manifeſtum eſt ex euẽtibus ipſis, quoniam in quibuſcunque ferè calamitatibus, uidemus multos omnino interire, paucos uerò affici ſed non interire: ut in peſte ægrotare, in ciuitatum direptione ſpoliari uel capi, uel uulnerari, plures etiam illæſos omnino euadere ac ſi nihil paſſa eſſet ciuitas incommodi, pauciſſimos etiam melius ſe habere ex propriæ ciuitatis calamitate: Veluti ditari, obſeruari, honorari, magiſtratum inire: Conſtat igitur illorum geneſi conſtellationem conuenire, illis non conuenire.

TEXTVS VI.

Horum cognitio cum duo requirat, primum quarum inclinationum terreſtrium quæq; loca ſigniferi & quæ ſtellæ commendationẽ habeant: Et quales ſuis in locis certis temporibus ſignificationes futurorũ dentur.

Oſtendit duo quæ ſcitu neceſſaria ſunt, primum ut ſciamus loca in quibus effectus debet contingere: Et hoc dicit ſcitur ex duobus, ex dominio ſignorum ſuper partes terræ, & dominio ſtellarum ſupplet am errantiũ quàm fixarum. Sed dices, etiam nonne ex initijs urbium? Reſpondeo quod Ptolemæus illis initijs parum tribuit propter tres cauſas: Prima, quia talia initia ſunt ex uoluntate hominum, & non à natura, Et ideo ſunt corrupta: Secunda, quia ſunt maximè incerta: Paucarum enim aut forſan nullius urbis uera origo habetur: Tertia, quia ſæpius augentur, minuuntur, reædificantur, reſtaurantur, & legibus de nouo formantur, Et modo uicem ſubeunt ſimplicis ciuitatis, modo princeps fiunt plurium urbium, modo caput regni euadunt. Deinde dicit quod oportet etiam ſcire tempus talis euentus in talibus urbibus & locis: Hoc autem quomodo, docet dicens.

TEXTVS VII.

In coitu quidem luminum defectus, errantium uerò in ſtellarum motibus, ortus & ſtatio.

Tribus modis locos deſignari docet, primum quidem cum in coitu luminarium eclipſes ſeu Solis ſeu Lunæ contigerint, tunc enim magni effectus fiunt. Et non ſimpliciter loca ſed in quibus magni effectus fiunt deſignantur: Nam duplici cauſa ex eclipſibus magni contingunt effectus: tum quia Sol & Luna in eadem linea ecliptica ſunt & æqualiter ab utroque polo diſtante, uel omnino ualde propè: tum quia lumen illorum quod adeò mortalibus eſt neceſſarium aut tollitur aut auertur, aut alterato horum modorum imminuit. Secundus modus eſt in reliquis errantibus cum primum

mum exoriuntur & apparent. Exortum intelligit Heliacum. Hoc autem inferius exponetur, nam de propriis loquitur temporibus. Ortus autem Heliacos quales sint docuit in XIII Magnæ compositionis ipse Ptolemæus, scilicet uisionem & occultationem de quibus planè in tertio libro agam. Hic autem solum suspiciat errantium stationes crassiore minerua subiecisse. Vt etiam motus incrementa & diminutiones superius in enarratione & tabula, sed illa exacta est. Ergo oblata genitura licet conijcere si solum motus uelocitas aut tarditas doceatur etiam in Venere & Mercurio, quali in statu sint. Nam orientales inferiores ueloces ascendũt in paruo circulo, & ad Solem redeunt ut abscondantur: Est quia aucti sunt lumine & motu & in superiore parui circuli parte, ideò sunt in bono statu donec latuerint. Inde etiam occidẽtales motu aucti postquàm Solis radios exierint. At occidentales motu tardi in pessimo sunt statu, absque dubio lumine & motu diminuti & proximi ut abscondantur. In mediocri autẽ orientales postquam apparuerint, lumine & motu diminuti. In stationibus autem si quis certior esse uelit, consulat ephemerides. Ita fiet ut ex sola motus qualitate & loco planetæ situ agnoscas, in paruo circulo motus, differẽtias & locos. Et ex his ortus & occasus ac uires. Sed ut ad pristinum propositum redeam, Ptolemæus declarat iudicia temporum in magnis euentibus, sumi debere ex eclipsibus. Partium uerò temporis quæ inter eclipses intercipiuntur ex stationibus atque exortibus Heliacis planetarũ. Ex quo manifestum est Ptolemæum non magnifacere coniunctiones illas magnas Saturni scilicet & Iouis, nisi ut ab eclipsibus uim recipiunt. Cum uerò eclipses nunquam plus biennio intermittant: ideò calamitatum causæ nunquam deesse possunt. Et cum Saturnus Iouí propinquus ultro citroq; Iouí per lumen maneat octo aut nouem nonnunquam mensibus, semper autem plus quinque, manifestum est luminarium eclipses persæpe incidere in coniunctionem Saturni & Iouis, & longè etiam frequentius in coniunctionem aliquam duorum superiorum. Ideoq; tũc maximi effectus contingunt absque dubio. Similiter & tempora deliquiorum docebit Ptolemæus diuidere per tempora coniunctionum Solis & Lunæ. Cur autem exortus & stationes Planetarum Ptolemæus prætulerit eorum affectibus alijs quibuscunque, inferius explicabitur: nam commentum hoc per se satis prolixum est.

Cap. 6.
Com. 70.
Lib. 1. c. 66.

Stationes					
♄	♃	♂	♀	☿	
110	120	130	30	17	Gradus.
Distantia à Sole.					

Illud potius enarratione dignum uidetur, quod mihi contingit anno MDXXXIX. Nam cum (ut in explicatione octauæ genituræ apparet) deliquium maximum Solis iuxta ascendens meum contigisset, multiq; astrologi mortem prædicerent certam, tantum abfuit ut morerer, ut nunquam sanior extiterim iam XIII exactis annis. Tametsi magnis ac multis negocijs implicitus semper fuerim: Et ad annum usque MDXLIX multorum & potentium uiorum æmulationibus uexatus. Nihilominus in corpore incommodi nihil passus sum: Quinimò honoribus & dignitatibus perpetuo auctus fui. Adijcere inquam hæc uolui quæ inferius suo loco declarabuntur, ut homines intelligant deliquia ipsa si magna sint, magnorum euentuũ causam præbere, non tamen in omnibus. Et enim, ut inferius ostendemus, ciuitas nostra cum eclipsi minimè concordabat. Nec etiã semper mala à deliquijs procedũt, sed persæpe etiam bona atque felicitates. Ptolemæus uerò tametsi uideatur hãc partem intactam reliquisse, quæ maxima tamen erat & maximè necessaria, nulla tamen uerior est sententia de hoc quam illius. Cæterum illud dubitatione dignum uidetur, cur coniunctiones superiorum multi obseruent, oppositiones non ita? Cum tamen in luminaribus hoc non contingat, nec uideant oppositiones coniunctionibus minora dãna inferre? imò longè maiora & grauiora? Decet ergo existimare quædam in generalibus causis plus posse, quædam in propriis & singularibus. Coniunctiones enim quod lumine constent, pluribus diebus manent, oppositiones unica die transeunt. Itaque ut declarabitur, quæ minus manent, maiores effectus & efficaciores produ-

cunt, quam quæ diu. Quæ autem diuturniores, breuibus. Ea de causa oppositiones & quadrata mortes repentinas & subitas mutationes faciunt: cõiunctiones uerò generales euẽtus. Oppositiones enim & quadrata sunt cum motu ueloci, & mutatione ob id magna, atq; ob id efficaciori, sed minus diuturna: Quæ autẽ corpore constant, diuturna & lenta. Nullum uerò lentum efficax, nec ullum quod efficax non sit, ualidos effectus producere potest. Verum cur neque de qualitate futurorum neq; de modis ipse hic quicquam decernat, cum tamen prius proposuerit & posterius sit executurus: Ratio est, quod illorum explicatio longior sit, & magis propria quam ut hic mereatur exponi. Cur uerò à deliquijs temporum sumat significationes, non autem à magnis coniunctionibus scilicet Saturni & Iouis. Causa est quoniam si uelis Saturni uim considerare tanquam appropinquationem quandam cum Ioue, cum hæc sit longioris ut dixi temporis, in eo toto cursu infinitas fieri uarietates necesse est, non solum illorum, sed & aliorum siderum atque figurarum cœli in unaquaque regione. Quod si exquisitam coniunctionem habere uolueris cum in eadem parte cœli Soli propinquissimi fuerint, tunc enim uelocissimè mouentur, & Iupiter à Saturno discedit, sex minuta discrimen non superat, certè septimum non attingit. At hoc discrimen nullus mortalium nec instrumento nec aliter discernere potest. Exactissima enim ratio obseruationum instrumento armillarum constat. Armillis autem tã parua distantia non deprehenditur, cum hoc instrumentum non in minores partes diuidatur, quando quidem ut diligentissimè in tres mille sexcentas diuisum fuerit à Ptolemæo. Igitur nec certa dies, nedũ hora, aut cœli figura & status, haberi possunt. Multoq; minus sciri ubi nam gentium euentus futuri sunt. Hanc ob causam scientiam talium coniunctionũ quæ ad hanc usque diem adeò celebrata fuit, quam parui sit momenti clarè quisque intelligit. Sunt tamen quædam generalia quæ ex coniunctionibus magis habentur, & sunt quod coniunctiones in signis aqueis, quia trigonus est Martis, significãt multa bella & inuentiones operum mechanicorum propter Martem, & morbos malignos contagiosos propter Scorpionẽ & Cancrũ, & mixtionem Martis cũ Venere uel cũ Luna, & hæreses graues & magnas, Mahumethi, & aliorũ quorũdã dogma, lex, sub eo trigono ortũ habuit. In primo aũt trigono, scilicet Arietis fiunt mundi imperia & monarchæ propter dominiũ Solis & Iouis qui significant tranquillitatẽ in mundo: hęc aũt non possunt cõtingere nisi uno regente omnia. Apparent & sapientes & uiri insignes & sterilitates magnæ propter dominium Planetarum calidorum, parumq; humidorum. Ideò post annum millesimum quingentesimum octuagesimum tertium usque ad annum millesimum septingentesimum octuagesimum secundum ante mediũ, incipiet Monarchia, & omnia regẽtur nutu unius. In secundo autem trigono scilicet Tauri, fient terræmotus & inundationes & cometę plures propter Capricornũ in quo dominanť Saturnus & Mars: & debilitatem pręfectorũ, q sunt Venus & Luna. Dissoluẽturq; quę parata sunt sub trigono aqueo. Sed cum coniunctio peruenerit ad trigonum humanorum, id est, Gemini, tunc dissoluentur Monarchiæ per trigonum Arietis factæ, & loco eius traducetur in aliam Monarchiam & propter dominium Saturni & Mercurij erunt multi Sapientes, & artes uigebunt, & erunt multi deceptores: & homines erunt improbissimi & uigebunt uitia in libidinibus maxima: & cometæ multæ in cœlo uidebuntur propter Mercurium. Hęc quidem erunt: sed non licet determinare tempora ac diuidere, & regiones temporibus accommodare propter causam dictam, sed licebit ex deliquijs illa inuenire.

Reliquum est ut dissoluamus residuum quartæ dubitationis, quia relictum fuit unum argumentum contra Ptolemæum, scilicet quod aliqui moriuntur ex morbis propriis magis inexpugnabilibus quàm sint communes, utpote aliquis ex carcinomate, hydrope uel febre propria adeò concidit, & ineuitabili morte detinetur, ut longè magis ille morbus inexpugnabilis uideatur quàm sit pestis. Videmus enim concidere uirtutem statim & occulta causa, in quibusdam morbis proprijs, quod nõ contingit in peste, cuius si inueniretur proprium auxiliũ sanabilis redderetur morbus.

Et ita

Et ita aliquãdo inuentũ est,& qui laborabãt sanati sunt. Non igiť inexpugnabilis est hic morbus cõmunis quia cõmunis sit, & à potentiore causa,sed quia ignota est medela.Respondeo igitur quod morbus cõmunis dum uiget constitutio & nondũ declinat,potentior est & magis inexpugnabilis proprio. Et quando inueniuntur auxilia, est quia iam est in declinatione. Et quoniam dicis aliquis morbus proprius est magis inexpugnabilis : dico quod non est uerum:Sed quia est absolutè inexpugnabilis, uidetur quod non possit esse maior. Veluti comparemus morbum propriũ, casui domus super aliquem,& morbum communem,casui montis super aliquem: tunc tam ineuitabilis uidetur mors cadente domo, quàm cadente monte,quo ad mortẽ solum attinet illius : attamen casus domus posset facilius prohiberi & à minore causa impediri,quam casus montis.

Per hæc ad quintam dubitationem clara est responsio,quod coniunctus loco in magna constitutione, ut pote in naui submergenda, in ciuitate destruenda, in exercitu cædendo ad internitionem, afficitur necessario & moritur, tametsi nihil aliud habeat commune cum illa constitutione, nisi habeat genesim potentem cuius dispositor dominetur domino constitutionis,aut loco exitiali ipsius constitutionis.In aliquibus autem mediocribus constitutionibus, si debeat interire,non sufficit consensus loci:Sed oportet ut constitutio ipsa sit colligata cum genitura uel cum loco directionis uel profectionis seu reuolutionis. Constitutiones uerò à quibus nulli euadunt, sunt in quibus domini sunt ualde potentes & in cardinibus ad unguem illius loci. Qui igitur euadunt, euadũt quatuor de causis: aut quia mutant locum & ita non afficiuntur triplici illo consensu iam dicto superius: uel quia dominus genesis illius dominatur loco infortunij & dispositoris illius : uel quia dominus geniturę illius & loci directionis & profectionis salui sint, ipsa uerò constitutio extrema non sit: uel quia solum loci generali atque triplici affinitate loco iuncta sit, cæterum alioquin robusta genitura profectione atque directione.Differt hic modus à præcedenti,quia in præcedenti etiam alio modo genesis constitutioni alligatur,sed uinculum nõ magnum est,constitutio mediocris,hic uerò constitutio magna est,sed nullo modo genesis ipsi constitutioni alligatur. Verum nihil est quod magis tutum reddat à cõstitutione generali quàm cum dominus geniturę dominus est etiam ipsius constitutionis:& maximè si benefica fuerit:nam si malefica seruabitur quidẽ ab initio,sed post modum morietur aut interficietur.

TEXTVS VIII.

Ante omnia huius quasi consensionis naturales causas exquiramus, obiter etiam percurrentes gentium ipsarum proprietates corporis ac morum, qui quidem cognoscantur nequaquam discrepare à naturali constitutione cum stellarum dominantium tum locorum zodiaci quibus subsint.

Trifariam naturali ratione aliquid quæritur, uelut ex principijs naturalibus,sicut Geometræ faciũt,uelut ex experimẽto ut Medici solent,uelut à notissimis,ut est ordo doctrinæ: omnibus his modis naturali ratione Ptolemæus procedit ad quærẽdas causas effectuum ac temporum:& ponit proprietates corporis atque animi ipsarum gentiũ miro artificio,ut in sequentibus exponemus. Verum prius difficultates propositas explicemus.

Proposita fuit sexta difficultas,an homo subijciatur euentibus secundum naturam loci in quo natus est uel ubi habitat:& respondemus quod secundum naturam loci in quo habitat: ut qui exit è patria laborante peste euadit periculum, nisi habeat genesim coniunctam constitutioni factæ in patria. Exemplum,cui piam ascendit Virgo, & in regione sua fit eclipsis Sole Geminos occupante, Saturnus uerò dominus loci in septimo loco sit, ex quadrato deliquium respiciens , ut pestem omnino significet: Sit uerò Mercurius iuxta deliquij locum,morietur natus ille etiam quod è patria fugiat,ex

giat, ex morbo pestifero. Acquirit autem propter consensum loci in poli eleuatione & uerticalibus stellis & consensu ascendentis, naturam loci: Et sicut calescit Sole illo non patriæ, & Ventis refrigeratur, & imbribus madescit, ita & loci constitutionibus afficitur: nisi ut dictum est. In electionibus autem Regum & dignitatum, uoluntariam rationem sequi non oportet, sed ut profectio Regni ad locum peruenerit, ita fiet: & ut genesis illius congruet profectioni & Regno, ita eueniet similiter & de alijs dignitatibus & itineribus. Propterea nihil melius est ad augendam felicitatem quàm sequi spontaneum affectum: Ad calamitatem autẽ impediendam electio nonnihil proficit non tam siderum constitutione quæsita quàm exitiali ac naturali impedita. Circa partum uerò totum tempus comprehenditur, & qui uiolento exeũt partu seu etiam detinentur læduntur, & nihil proficiunt. Verum omnis ratio ad naturalem partum referri debet: Propterea tales permixtum habent genituræ genus, & inualidum: quoniam dissipata est & impedita nascendi uirtus. Sed tamen nonnihil iuuari possunt corpore & animo, nam fortuna ex succedentibus maximè reuolutionibus uariatur: quæ ubi in generales constitutiones bonas inciderint aut malas, similiter & directiones & genesis ipsa bene uel malè afficiuntur: At uerò cum tales cõstitutiones soli Deo cognitæ sint, aut superis, relinquitur ut partus acceleratio aut retardatio nihil certi afferat præter iacturam fœtus. Vltimo quæri solet an nauis principium recipiat ab astris: & an qui submerguntur in naui ex genesi sua hoc habeant, an ex constructione nauis, an ex ingressu nauis in mare, uel hora discessus? Dicimus autem nauim quidem habere principium quo submergatur aliquod, sed maius esse in anima nautę, sicut & ducis belli in prælio: Et propterea multum cõfert ut nauta & dux belli prudentes sint atque felices. Nam talibus beneficæ & benè constitutæ dominantur. Melius est autem ita opinari quàm principia dare rebus artificiosis, quæ & uoluntariè fiunt & agendi principium uerè non habent: Indicio est quod eadem tempestate plurimæ naues pereunt quæ tamẽ diuersis temporibus constructæ fuêre: Aliquot etiam seruantur non discrimine ipsarum nauium sed prudentia atque scientia gubernatorum. Itaque principia omnia actionum in rebus potius sunt naturalibus, quàm uoluntarijs aut artificiosis. Dico autem naturalia, homines, plantas, belluas, pisces, elementa, ipsaq; artificiosa ut impetu naturali feruntur: Veluti grauitate uel impulsu: Et mentes hominum ut appetitu naturali feruntur atque uincuntur: Vt uero consilio agunt, parum aut nihil habent principij ab astris. Aliter & melius: tempestas in mari est generalis constitutio, ut in terra prælium, in aëre pestis. Sufficit ergo significatio ingrediendi aquas eo tẽpore. Ergo si dicas nõ ex genesi, poterit uitæ terminus qui à constitutionibus generalibus, intercipi potest, neq; fortuna quę tũ ab illis tũ à profectionibus mutari solet sciri: Respondemus esse uerissimũ, sed ueluti diuites homines fiunt paulatim singula colligendo, pauci tamen uel à prædonibus uel à tempestate in mari pauperes euadunt: Sic genituræ hominum quid cuique uenturum sit decernunt: Aliqui tamen constitutionũ magnitudine oppressi, aut profectionum potentium multitudine acti, alios sortiũtur exitus. Qui cum multi uideantur, eorum tamen qui singularem genesim absque interruptione sequuntur, maximus est numerus. Atque in illis etiã qui constitutionibus generalibus deprehensi, aut reuolutionibus assiduis decreta genesis mutant, tandiu effectus illius relucent in eorum uita, quandiu à constitutione aut reuolutionum perpetuo successu fuerint remoti: Id uerò temporis etiam in ijs maximam plerunque totius uitæ patem occupat.

Pro hoc uide lib. 4. cõ. 77.

CAPVT

Caput secundum.

TEXTVS IX.

De proprietate uniuersali gentium.

SOlent igitur gentiles proprietates distingui aut per totos parallelos & totos angulos, aut per situm erga eclipticam & Solem ipsarum.

Intelligit per parallelos lineas quæ ab oriente tendunt in occidentem, & sunt gentes quæ diuersam habent poli altitudinem. Per totos angulos, id est, qui sunt sub meridiano, quasi dicat qui sunt sub eodem parallelo, sunt eiusdem naturæ & inter se conuenientes: & similiter qui sub toto angulo comprehenso inter parallelum & meridianum. Sed melius est legere coniunctim: ut sit sensus, distinguuntur bifariam gentes, uel ut comprehenditur una tota latitudo à parallelo & meridiano, aut ut partes illę comprehensæ diuiduntur penes maiorem propinquitatem aut distantiã ab æquinoctiali & oriente. Prima igitur diuisio est generalis, & fit in tres partes: Prima est ab oriente in occidentem secundum longitudinem & à tropico Cancri ad æquinoctialem secundum latitudinem: Secunda quæ etiam extrema est, cum eadem longitudine latitudinem habet inter circulum arcticum & polum. Tertia similiter est ab oriente in occidentem in longitudine, id est, centum octuaginta partiũ latitudinem habet inter duos circulos arcticũ & æstiuũ, fermè æqualis ambabus alijs pariter acceptis. Ex his habeẽ ratio trium reliquarũ quartarũ mundi seu terrę, quarum mẽtionem non facit Ptolemæus quia ex ista dignoscuntur. Nam singulæ quartæ tres habẽt partes prædictis correspondentes. Veluti quarta borealis quæ est apud antipodas, partes habet similiter tres, unam quæ est ab æquinoctiali ad tropicum Cancri quæ correspondet primæ, secundam à circulo arctico ad polum correspondentem secundæ, & tertiã inter duos polos correspondentem tertiæ. Hoc solum discriminis est, quod illis oriens statuendum est ubi nobis occidens: & occidens illis, ubi nobis oriens, propter contrapositum situm. Similiter & quarta australis ultra æquinoctialem superior orientem habet & occidentem ubi & nos, inferior contrario modo. Et pars quæ est inter æquinoctialem & tropicũ Capricorni, correspondet parti quæ est inter æquinoctialem & tropicum Cancri. Et quæ est inter circulum antarcticum & polum antarcticum, ei quæ est inter circulum arcticum & polum arcticum. Et similiter quæ est inter tropicum hyemalem & circulum antarcticum, ei quę est inter tropicum æstiuum & circulum arcticum. Vna igitur explicata, reliquæ manifestæ fiunt. Primum igitur, ut dixi, sic in partes tres distinguit.

TEXTVS X.

NAm nostræ terræ quæ iacet in uno Aquilonari quadrãte, incolæ qui subiecti sunt australioribus parallelis, id est, ijs qui describũtur ab æquinoctiali usq; ad tropicum æstiuũ, cum supra uerticẽ illorum feratur Sol, quasi ustilatis, nigrisq; corporibus uidentur & capillo esse crispo & denso, facie etiam contracta & statura contorta, natura ferè calidi, moribusq; feris propter magnitudinem æstus in locis suis, quos Æthiopas uocare consueuimus, qui & ipsi ad expositum modum se habent. Et aëris ibi talis constitutio est, omnesq; animantes ac quæ nascuntur è terra cum his congruere reperiuntur. At qui subsunt Aquilonaribus parallelis, hoc est, sub Septentrionibus posita loca incolunt, cum eorũ punctus uerticalis à signifero & Solis calore longè absit, ideo etiã frigore & humiditate abun-

dant.

dant. In qua cum alimenti copia insit, non exhauritur ipsa à uicino calore. Ibi sunt igitur colore albo homines, capillo promisso, statura proceri & benehabiti, natura subgelidi, sed & ipsi moribus feris propter frigoris illis in locis uim. Et conueniens cum his accidit hyemis magnitudo, & è terra nascentium granditas, & animãtium sæuitia. Hos uocamus generaliter Scythas. Qui aũt loca tenent interiecta inter tropicũ Æstiuum & Septentriones, quia neq; supra uerticem illorum Sol fertur, neque inde longissimè ad Austrum recedit, in aëre degunt ualde illo quidem temperato & singulariter, sed frigoris, æstusq; differentiæ admodum paruæ notantur, quapropter & medio quodam colore & mediocri statura & natura temperata sunt, habitationibus coniuncti & moribus mansuetis.

Intemperata corpora à calido & sicco, frigida sunt interius & calida exterius: Ideò nigra & crispa & contracta & imbecillia & fera, propter siccitatem. Et similiter animalia. Contraria ratione, quæ posita sunt inter circulum arcticũ & polum, recta & alba & sæua propter frigus, id est, propter calorem magnum qui fit à contractione facta propter frigus: Ideò etiam iracunda. Et in feritate & iracundia sunt similes hi quidem qui habitant in frigidissima regione propter caliditatem, & hi qui in calidissima propter siccitatem. Et ideò inueniuntur Antropophagi in utraq;, quorum facies sunt terribiles & ab humana adeò alienæ, ut uix uideantur esse homines. Ita Haly & nostro tempore plures alij qui uiderunt, referunt. Hoc tertium ex duobus alijs pendet, nam ex ira & crudelitate cœperunt primo hostes captos deuorare, inde paulatim assueuerunt. Quartum, est quod corpora illorum sunt magna in utraque regione propter calorem exteriorem in una, & naturalem in altera. Quintum est ferarum abundantia in utrisque, quia homines non persequuntur illas propter uastitatem solitudinum. Sextum est penuria meliorum ciborum ut uini & tritici, in calida propter siccitatem, in frigida propter frigus. Septimũ est extrema quędam paruitas quorundam hominum in utrisque regionibus, in calidissima propter siccitatem, in frigidissima propter frigus congelans humidum. Octauum est agilitas magna incolarum, in frigida propter robur caloris natiui & exercitationem assiduam, in calida propter siccitatem neruorum, sicut apparet in phreneticis, & propter gracilitatem corporũ. Nonum est malorum spirituum ut Hermes dicit, & reliqui spectra: seu quòd solitudines mali spiritus incolere soleant, seu quod in talibus regionibus tum propter aëris malitiam & intemperiem, tum propter prauorum ciborũ usum humores adeò corrumpantur, ut talia falso uidere & audire sibi persuadeant: tum præcipuè solitudinum metu imaginem talium augente. Ex quo sequitur decimum, quod in talibus regionibus inueniuntur præcantatores & necromantici & magi maximi: tum propter spiritus malignos, aut persuasiones de illis, tum propter abundantiam uenefica rum plantarum, tum propter simplicitatem incolarum, quibus talia facile est persuadere. Vndecimum, quod in talibus regionibus sunt herbę uenificæ: sed tamen longè plures in calidissima: quamuis & in frigidissima non paucæ præsertim frigidissimæ. Vnde in Scotia passim est cicuta, & apollinaris herba. Et hoc prouenit propter solitudines & intemperiem aëris, licet Scotia sit comprehensa sub regione temperata: Sed est in fine eius uersus circulum arcticum. Duodecimum, quod in utrisq; sunt homines rudes & deceptores: ruditas prouenit propter raritatem hominum: deceptio propter ruditatem: quia dum timent decipi, malunt præuenire: Et etiam propter ruditarem non est illis cura Dei aut honoris, propter quæ homines maximè custodiũt fidem. Differunt autem maximè in tribus, quia in calida homines sunt nigri, graciles, & regio serpentibus abundat: In frigida uerò homines sunt pingues, albi, & regio absq; serpentibus. Calida etiam regio profert gemmas & aurum, quia talia fiunt

à magno

à magno calore & humido pauco: In frigida autem fiunt metalla imperfecta. Velut plumbum & ferrum, quia fiunt à multo humido & pauco calore. Verum in temperata regione omnia sunt mediocria, magnitudo, natura, mores, & colos quasi rubeus & roseus & subfuscus, qui medij sunt inter album & nigrum. Ex quo colligitur una regula generalis, quod cum calidissima regio terminetur ad latitudinem ab æquinoctiali partium uiginti trium cum dimidio, & frigidissima ad latitudinem sexaginta sex cum dimidio: ut tantum frigidissima extendatur à polo, quantum calidissima ab æquinoctiali: uel sequendo Ptolemæum, frigidissima incipit partibus sexaginta tribus ab æquinoctiali, erit temperatissima circa partem quadragesimam tertiã ab æquinoctiali usque ad quadragesimam quintam. In qua altitudine est pars Italiæ maxima, & præcipuè Mediolanum. Ex quo patet quod Mediolanenses sunt temperatissimi & optimorum morum & pulcherrimæ formæ & optimi ingenij, & terra illorum fertilissima est, & ualde mites & mansueti supra omnes homines terræ habitalis. Et quanto gentes magis illis appropinquant, tanto sunt humaniores & à barbarie magis remotæ & cultu magis insignes. Quantò uerò magis appropinquant extremis inhabitabilibus, id est, male habitabilibus, tanto magis assimilantur illorum moribus, si frigidissimę, moribus Getarum & Lapponum: si calidissimę, moribus Aethiopum & Indorum. Cõtraria ratione qui ex inhabitabilibus regionibus sunt, eò mitiores erunt & minus barbari ac feri, quo magis temperatæ regioni erunt proximiores.

TEXTVS XI.

Horum etiam propiores Austro ingeniosiores & calidiores, & rerum diuinarum periti magis esse consueuere, quod punctus ipsorum uerticalis propinquior sit cum signifero, tum errãtibus sub illo stellis, pro quarum quasi familiaritate & ipsi animos habent prõptos & faciles in comprehensione ac uestigatione rerum ac artium, maximeq; earum quæ propriè Mathemata uocantur, præterea orientales horum uiridiores sunt & animis firmis, nihilq; celantes. Orientem enim iure Solaris naturæ esse dixerimus, proinde & pars illa diurna & uirilis & dextra putanda. Cernimus autem in animantibus quoque dextra esse magis ualida & robusta, contra occidentales effœminatiores sunt & molliores & occultatiores. Nam hæc pars Lunę debetur, quæ ab occidente semper post interlunia conspiciendam se præbet, atque ob hanc causam & nocturna & sinistra, ut opposita orienti traditur.

Laudes orientalium atque meridionalium temperatæ regionis descripsit Ptolemæus, quoniã Aegyptus patria illius, eo in situ posita sit. At nos occidentaliũ quod occidentales simus, & Borealium sub quibus Germani continentur, dicere par est. Nam litera Ptolemęi clara est. Quæ igitur in temperata regione ad Boream accedũt, quoniã ibi stellæ sunt egregiæ magnę & illustres in Vrsis, & rutilus fulgor Arcturi, fortes sunt propter Martem, & patientes laborum propter Saturnum, iucũdiq; & hilares propter Venerem, atque effusi in largitionibus & conuiuijs, nam stellæ illæ de natura maximè Martis sunt, inde Veneris & Saturni, parumq; Iouis. Occidentales uerò propter Lunæ naturam minus superbi, & peregrinatores magni, fortes quoq; propter commistionem Martis cum Luna. Ex his patet, quod Ptolemæus existimat stellas uerticales magnam habere uim, & sunt illæ quæ tantum habent declinationis ab æquinoctij circulo, quanta est altitudo poli illius regionis. Præter has considerare decet stellas quæ simul in ea regione ascendunt, aut cœli medium obtinent, aut descendunt, commiscent enim uires inter se, quia plurimum eodem tempore possunt. Post has sunt quæ in communi sunt circulo positionis, nam & hæ singulis diebus

uires suas miscent inuicem. Inter has potentissimæ etiam sunt quæ semel in die perueniunt ad communem intersectionem finitoris & Meridiani. Hæ enim singulo die cum in eo puncto fuerint, erunt cum omnibus Planetis ac fixis in uno circulo positionis. Sunt autem hæ quæcunque tantum habent declinationis Borealis seu Australis, quantum deest eleuationi poli regionis ad complendas 90. partes. Velut Londinum habet altitudinem poli partium 53. Et cauda Scorpij declinationē meridianam ab æquatore 37. partiū, & Vultur cadens tantundē uersus Boream. Dico quod utraque harum stellarum semel in die erit in communi sectione finitoris & Meridiani Londini: Ideò illæ stellę plurimum poterunt in ea ciuitate. Et quicunque nascetur ibi altera harum stellarum in illa intersectione constituta plurimum poterit apud illos, & habebit mores ciuitatis exquisitissimos: Etenim omnia sidera in illa genitura cū illa stella, quia erunt in aliquo circulo positionis, cum ea necessario participabunt, inficienturq; illius qualitate. Vnde hoc notabile est in genituris.

Caput tertium.

TEXTVS XII.

De familiaritate locorum & triangulorum & stellarum.

IAm uerò sequuntur hæc etiā de duodecim signiferi locis certi modi proprietates morum & naturalium institutorum. Vt enim in prædictis constitutionibus aëris & ijs quos generaliter calidos, frigidos, temperatos esse perhibuimus, certorum quædam sunt proprietates locorum ac regionum, ubi illa generalia intenduntur remittunturúe, uel ob positus sui naturam, uel altitudinem, uel humilitatem, uel propter etiam uicinitatem. Itemq; cum alij equestres sint propter campestria suæ patriæ loca, alij nauigatores ob uicinitatem maris, nec non mitiores aliqui ob soli bonitatem. Ita & certi modi naturas animaduertere in his est, de naturali familiaritate stellarum iuxta duodecim locá signiferi particulariter & ipsa sumpta non singilatim sed generaliter. Necesse igitur fuerit hæc quatenus particularibus considerationibus famulantur, nunc deinceps exequi.

Cum declarasset orbis partes generales, trifariam illas uariari secundum diuersas portiones docet: primum quidem, gratia exempli assumpta Hispania, cum sit prouincia temperatæ regionis, plurimum differt à Germania, & longè plus à Mesopotamia: Hoc autem trifariam contingit uel ob propinquitatem maiorem ad æquinoctialem, uel minorem, & ita ad occidentem: Nam Hispania est propinquior æquinoctiali & occidenti quàm Germania, longè etiam plus occidenti propinqua, quā Mesopotamia, minus autem longè æquinoctiali: quamobrem maxima est differētia inter incolas istarum trium prouinciarum. Et per hoc non solum nobis dedit modum cognoscendi differentiam prouinciarū inter se, sed etiam partium prouinciarum inter se. Veluti Mediolanum est magis occidentale & boreale quàm Florentia: Ideò Mediolanenses sunt fortiores, & pulchriora habent corpora, & delicatiores, & laborum patientiores: At contra Florentini sunt magis compti, & ornati & lingua liberiores, & minus cibo indulgent, & magis amatores scientiarum & disciplinarū Mathematicarum. Hæ enim sunt proprietates australium & orientalium quas declarauit in textu præcedenti, & pertinent ad Astrologum: Sed sunt adeò manifestę ut possint ascribi etiam philosopho naturali. Secundum est discrimen à natura loci, de quo locutus est Hippocrates in Libro de Aëre & aquis, & sumit maximè à quinq; conditionibus

ditionibus principalibus, quarum prima est quod locus sit campestris aut montuosus, & est figura terræ: Nam campestres, sunt molliores, mitiores & minus robusti habitatoribus montium, magis diuites & compti, artiumq; cultores. Secunda est à natura terræ, quædam enim arenosa est & facit robustiores homines, sanos & industriosos: quædam est argilacea quæ facit opulentiores sed infirmiores: ubi uerò opulentia, ibi mores sunt mansuetiores & cultus artium uiget propter præmia, & omnia magis ornata. Tertia differentia est à situ quo ad montes: si enim montes sint à parte orientis & septentrionis, erunt morbosi imbecilles & effœminati: si uerò regio ab his partibus patuerit, montes uerò sint ab occidente & meridie, erunt incolumes, uiribus firmi, armis dediti, feroces, artium minutarum contẽptores, ut pinguendi, musicæ. Quarta est in comparatione ad situm aquarum: Vel enim omnino arida est uel stagna adsunt & paludes uel torrentes uel fluuij uel flumina magna: & hæc uel ab oriente uel occidente, septentrione aut medio quodam situ. Salubriores enim ubi aqua uelociter mouetur & Soli exponitur, & à latere orientali est & boreali, contrario modo montibus. Quinta est à uicinitate maris uel distantia: Mare enim non debet alijs adnumerari aquis, tum ob salsedinem tum ob caliditatem, tum etiam ob amplitudinẽ & uentorum perpetuum flatum. Vnde qui mari uicini sunt omnes sunt mercatores uel pyratæ, magis longeui & magis firmi, periti natandi & nauigandi. Quædam uerò ex his consequuntur ueluti quod habitantes in planitie magis sunt equites: Et ob id etiam equitãdo magis ualent: Habitantes in montibus omnes sunt agiliores & firmiores. Rursus habitantes in regionibus insalubribus etiã ob id sunt imbecilliores: Ideoq; etiã minus fortes quia conscij suarũ uiriũ, minus ergo crudeles ob timorem: unde consuetudine postmodum fiunt misericordes. Ob hæc uerò astuti & fallaces conscij suarum uirium, omne enim genus nõ solum hominum sed etiam beluarum robore uel astutia se tuetur. Ob id dici solet quòd ubi pellis Leonis desit, Vulpina illi assimilis assuitur. Hæc enim duo animalia satis accommodatè inuicem comparantur, quod alterum roboris, alterum uersutiæ maximę sit: Et pelles illorum ambæ quasi sint flauæ. Propter hæc & tales laborioſi sunt, & circa minutas artes, propter uirium imbecillitatem tractant minutas artes, & solicitudine complent atq; assiduitate, quod uiribus deest. ob id etiam mercuram exercent quia potius assiduo labore indigent, quam magno. Ideoq; etiam specie liberales uidentur, ob conuersationem, intrinsecus tamen auari: quoniam omnis timidus est auarus: & omnis auarus timidus. Propter hæc etiam blandi sunt uerbis admodum, tales enim sunt timidi auari & mercatores. Sunt etiam ob hæc omnia dissimulatores maximi, adeò ut etiã metum ipsum dissimulẽt. Hęc & multa alia quæ innumera essent, ex hoc uno principio quod morbosi sint, omnia sequuntur, quæ si uelim singula persequi commentarius in infinitum excresceret: Sufficiat autem hæc quæ ad morbosum statum succedunt, licet nõ omnia præscripserim, pro exẽplo adduxisse: ut non solum ex hoc aliorum statuum successus intelligas, sed etiam uel huius omnia quæ succedunt & consequuntur nondum tamen sunt explicata. Itaque bene dicebat Haly quod si quis nascatur in oppido littoris maris qui debeat esse ex genitura maximus medicus, quomodo poterit si ibi omnes fuerint nautæ fieri medicus nisi exiuerit illam patriam: sed erit inter nautas peritior, & sciet etiam quædam auxilia in medicina empirica, ut solẽt scire nautæ. Et ita si quis debeat esse ex genesi maximus ductor exercitus & Rex, & nascatur inter imbelles Nasamones, quomodo poterit fieri dux & Rex? sed tamen fiet dux inter suos, & forsan in suspitionem Regis adductus de rebellione, occidet̃ mandato Regis. Et ita eadem genesis in ciuitate libera & armis potente significabit ducem & Regem felicem, & inter Nasamones uel alias imbelles gentes, uel subditas alieno Regi significabit obscurum tyrannum & seditiosum ducem, qui breui etiam sit malè periturus. Et hęc est causa quod tot fuêre inclyti duces Romanorum, Atheniensium & Lacedæmoniorum. An putas defuisse geneses strenuorum ducum in alijs ciuitatibus? Tamen omnes mediocres, & egregiarum plurimæ, effectu frustratę sunt: In tribus uerò illis ciuitatibus, quod iam bello inclytæ essent, & magnum impe-

rium adeptæ, sufficiebat mediocris genitura. Et ita considera de diuitijs, de artificibus, & de omnibus alijs.

Ex hoc patet quod Ptolemæus scripsit de uniuersalibus, non tamen propter illa quàm etiã propter singularia & geneses ipsas, in quibus maximè diligens fuit: quod etiam patet per ea uerba (Si quis singularium rerum prædictionibus operam dare uelit, non possit sine comprehensione generaliorum esse ad illas instructus) Et hæc est causa præcipua quod librum hũc, qui subiecti ratione lõgè maior esse debuerat, alijs breuiorem fecerit, & nisi unicum: nam tractatio hæc etsi etiam propter se facta sit, maiore tamen ex parte propter geneses facta est. Nec solum uniuersalis ratio regionum ad priuatos, sed etiã ad Reges pertinet. Nam Scotici Reges omnes fermè ferro pereunt, adeò ut ex centum quinque uix quatuor uel quinque morbo perierint. Anglorum uerò Reges omnes fermè seditionibus agitantur. Gallorum autem Reges ab utrisque sunt immunes. Si igitur nascatur Rex Scoticus, cum uel mediocribus signis necis uiolentæ, omnino trucidabitur. Si uerò Rex Anglicus cum genesi habente signa seditionis populi, Rex ille non solum habebit, sed & magnas & plures. Si uerò Rex Gallorum cum signis uiolentæ necis & seditionis mediocribus, nec occidetur, & minima seditione uexabitur. Et hæc fuit causa quod Rex Gallorum Franciscus primus non obierit in prælio anno MDXXV quando captus fuit à Cæsarianis, nec seditiõe exturbatus fuerit à Duce Borbonio, nec mortuus fuerit in carcere in Hispania: Nam in omnibus his Regnum seruauit Regem, & non Rex seruauit Regnũ: nec propria genesis ipsius Regis, quæ mala erat & infelix. Et ideo hæc est causa, quod qui nesciunt uti bona fortuna dum Reges ipsi infelices habent genituras, magna incommoda patiuntur successu tẽporis. Non enim decet in bellis Regum, fortunam existimare esse Regni. Et hoc totum alta mente celauit Ptolemæus.

Cap. 1. huius.

Tertium discrimen partium regionum est, ex trigonis, nam reliqua duo faciunt quidem ad genituras, non tamẽ possunt reduci ad euentus uniuersales. Vtpote si incidat cometes uel eclipsis in Ariete, nõ possum dicere quod pertineat ad Britanniã, quia sit uicina occidenti uel circulo arctico, uel quia sit plana uel circũdata mari: sed oportet quod sciam rationem qua sub signo Arietis, puta, collocetur. Secundo usus est ratione trigonorũ quia regiones propinquæ sunt similes in multis, utpote Galli sunt medij inter Germanos, Anglos, Hispanos & Italos: Cum igitur sint similes magna ex parte Italis, & non sint sub eodem signo, si ponantur gratia exẽpli signa propinqua ut pote Leo dominari Italiæ, Cancer aut Virgo dominabuntur Galliæ: sed talia signa & domini illorum sunt omnino diuersa à Leone & Sole domino Leonis: Igitur non fuisset seruata ratio similitudinis morum. Similiter multo maior cõfusio fuisset si hæc familiaritas fuisset sumpta à signis quadratis uel oppositis: Et præterid oportuisset diuidere orbem terrarum uel nostram regionem in sex partes ratione oppositionis, uel in tres ratione quadrati, quod est contra naturam diuisionis quæ fit per circulos magnos. Nam cum duo circuli magni se diuidunt, diuidunt sphæram in quatuor partes, & si fuerint tres circuli in octo, & si quatuor in sexdecim: Ergo nunquam poterunt in tres aut sex partes diuidere. Signa ergo trigona primum cum sint quatuor ordinibus distincta maximè conueniunt diuisioni habitabilis terræ per circulos magnos in quatuor partes. Secũdo conueniunt ratione similitudinis formę: Aries enim Leo & Sagittarius sunt agrestia & quasi fęra quadrupeda: Cancer, Scorpio & Pisces sunt quasi aquea: Nam Scorpio licet non uiuat in aquis, uiuit tamen in locis humidis, & sunt omnia muta: Gemini, Libra & Aquarius omnia sunt humana uoce, moderata etiam moribus: Taurus uerò & Virgo & Capricornus sunt mansueta & cicurata animalia, nisi quod Virgini tribuitur forma humana propter magnam potestatem quam in eo signo obtinet Mercurius. Conueniunt etiam ob trigonum radium ista signa familiaritate quadam naturę, adeò ut quidam existimauerint esse qualitatum similium, neque id absurdum est, nec contra Ptolemæi opinionem: Non tamen ob id solum inter se cõueniunt. Sed sicut tres mercatores quorum unus sit Italus alter Gallus reliquus Hispanus qui societatem inierunt, familiarita-

tem

tem inter se habent & amicitiam & consensum, & eodem modo tractãt negocium mercaturæ & simili forma literarum, cum tamen sint diuersorum morum & naturarum: Ita contingit de trigonis quorum signa communi consensu susceperunt administrationem unius quartæ partis terræ habitabilis. Et tum maximè quia concordãt singula triangula in duobus dominis quibus parent & à quibus reguntur & gubernãtur. Tertiò, factum est istud quoniam quædam regiones ualdè distantes magnam habent inter se similitudinem non solum morum, sed etiam quia simul eisdem infortunijs quãdoq; magis affliguntur quàm confines prouinciæ. Imò plerũq; confinium prouinciarum contingit ut una sit felix & alia infelix, cum una aliam inuadit. Vt potè cum Galli ueniunt in Italiam bello eam deuastantes. Non conueniebat igitur confines prouincias ponere sub eodem signo propter hanc causam, neque succedentibus sibi inuicem propter causam anterius dictam: Cumq; inuenirentur ut diximus regiones distantes magis similes inter se euẽtibus & moribus quàm propinquæ, ueluti Britannia & Iudæa, ob id Britannia & Iudæa, quod sint peruicaces & truces atq; seditiosi, Britanni Arieti tribuuntur, Iudæi uerò quod impij insidiosi & audaces, similiter sub eodem signo sunt atque Planeta. Sic utraque harum regionum sæpius & obstinatius ut nulla alia à Romanis rebellauit ac sæpius ad internitionem concisa. Et utraque similiter nouos ritus legis & diuini cultus sibi fabricauit, aliquando quidem in melius, persæpe in deterius. Quod uerò hęc diuisio per trigonos alijs tribus quartis terræ conueniat satis dictum est. Sed in Septentrionali inferiore sufficit occidens pro oriente & oriens pro occidente commutare. Qua ratione inuenta commutato ordine domiciliorum fiet trigonus Solis & Iouis: Primus Librę, Aquarij & Geminorum. Secundus Lunæ & Veneris, Scorpij, Piscium & Cancri. Tertius Saturni & Mercurij, Sagittarij, Arietis & Leonis. Quartus Martis & Lunæ uel Martis & Veneris, Capricorni, Tauri & Virginis. Primò igitur dabitur pars quæ est inter occidentem & antarcticũ Marti & Ioui. Secundo, dabitur pars quæ est inter æquinoctialem & orientem Saturno & Veneri. Tertio, quod est inter orientem & antarcticum, eiusq; dominis Saturno & Ioui. Eadem ratione & quarto dabitur quod est inter æquinoctialem & occidentem Marti & Veneri. Eadem quoque ratio erit de finibus: Nam fines finibus erunt contrarij ad unguem: dabimus enim fines Ptolemæi descriptos in tabula superius Libræ, ipsi Arieti, & Scorpiõis, ipsi Tauro, & Arietis ipsi Libræ, & Tauri, ipsi Scorpioni commutata ratione, seruatis eisdem dominis atque numeris ad unguem. Inuenta autem ratione quartæ partis superioris terræ uersus antarcticum quo ad triangulos & fines, habebis etiam inferiorem solum commutatis ut in nostra regione oriente in occidentem & occidente in orientem, superioris partis cum inferiore. Cap. 19.

TEXTVS XIII.

Cum ergo in signifero quatuor triquetræ configurationes animaduerti soleant, ostensum est in superioribus à nobis unum triangulũ, nempe Aries & Leo & Sagit. esse Borrolybicũ, quod nomẽ significat Aquilonis & Africi confusionem. Hoc gubernatur primum quidem à Ioue propter Aquilonem, deinde à socio etiam propter Africum. Triangulum autem Taur. & Capr. & Virgo Austrisolanum est, habetq; principem dominatricem Venerem propter Australitatẽ, socium uerò Satur. propter matutinitatem: At Gem. & Lib. & Aquar. triangulum commistionis Aquilonis & Subsolani est, cuius dominatio præcipua est Satur. propter matutinitatem, sociumq; admittit Iouem ab Aquilone. Triangulum Canc. & Scorp. & Pisc. Notolybicum, id est, austri est & Afri-


ci, primumq; regitur à Marte propter Africum deinde & à socia Ven. propter australitatem

Cap. 17. Qui memor est eorum quæ in primo libro superius scripta sunt, ne uel uno uerbo ad expositionem hoc in loco indiget. Qui uerò illa non intellexit quæ toties repetiuimus, nec nunc, etiam si folia centum commentarij scripserim, intelliget. Cæterum hæc repetijt Ptolemæus non ut necessaria sed ut ordo ad sequentia melius connecteretur. Quam etiam ob causam figuram apposui per quam quę sequuntur facile possent intelligi. Sed prius ipsum Ptolemæum audiamus dicentem.

TEXTVS XIIII.

Quæ cum ita se habeant, & cum nostra terra distribuatur in quadrantes æquales numero triangulis quatuor, per latitudinem quidem à mari nostro ex Herculano freto usque ad sinum Issicū & ulterius uersus orientem Montanum usque dorsum, quibus separatur pars aquilonaris ab australi. Per longitudinem autem ex Arabico sinu per Ægeum pelagus & Pontum ac paludes Mœotidas, quibus diuiditur pars orientalis & occidentalis, conficiūtur ita quadrātes numero positiq; congruentes cū triangulis, quorum unus totius terræ collocatus est secundum Aquilonis & Africi commistionē dictus Borrolybicus, ad Celticam, habetq; commune nomen Europæ, illiq; oppositus, item unus secundum commistionem Austri & Subsolani, quem dicunt Notapelioten uentum, ad Æthiopiam orientalem, quæ pars Australis magnæ Asiæ rectè dici poterit. Tertius est quadrans situs secundum Aquilonis & Subsolani cōmistionem, qui uentus uocatur Borrapeliotes, ubi est totius terræ pars quam nominamus Scythiā, fitq; plane Aquilonaris magnæ Asiæ pars, huicq; oppositus secundum Africi & Austri, qui uentus uocatur Libonotus, commistionem ad occidentalem Æthiopiam, uocaturq; communiter Libyæ.

Facile imò facillimū est in proposita figura quæ Ptolemæus proponit distingere. Diuidit totam terram huius quartæ partis tā habitabilem quam inhabitalem per duas lineas quarum altera trāsit ab oriente in occidentem, reliqua à septentrione in meridiem in quatuor quadrantes: primum quod est inter septentrionem & occidentem quem uocat Europam & à uento medio Borrolybicum dat Arieti, Leoni & Sagittario, & dominis eius Ioui & Marti. Secundō statuit illi oppositum inter meridiem & orientem in quo est Asia & subijcitur medio uento inter austrum & orientem quem uocant Notapeliotem trigono secundo Tauri, Virginis & Capricorni & dominis eius Veneri atque Saturno. Similiter tertium statuit inter septentrionem & orientem ubi dicit esse Scythiam & tribuit trigono Geminorum,



Libræ

Libræ & Aquarij & dominis eius Saturno & Ioui. Et quartum illi oppositum ubi ponit Lybiam seu Aphricam quarto trigono Cancri, Scorpij & Piscium, & dominis eius Marti & Veneri.

Animaduertenda sunt hic duo pro intellectu sequentium, quod totius partis Australis ultimam extremitatem quæ est iuxta lineam C D uocat Aethiopiam: sed partem ipsius quæ est orientalis iuxta D F uocat Aethiopiam orientalem, & quæ est iuxta F C uocat Aethiopiam occidentalem. Secundum quod magis refert est, quod cum toti Septentrioni præponat Iouem, & toti meridiei Venerem, & toti orienti Saturnum, & toti occidenti Martem, fit ut in primo quadrante dominetur Mars & Iupiter nõ simpliciter, sed occidentalis, id est, Iupiter pro ut habet cõditiones occidentalis. Et in secundo Saturnus & Venus, non simpliciter Venus, sed Venus orientalis. Et in tertio Saturnus & Iupiter, non simpliciter, sed Iupiter orientalis. Et eodem modo in quarto Mars & Venus occidentalis. Et hanc distinctionem orientalis & occidentalis in beneficis inuenit Ptolemæus, ut doceret uarios mores gentium. Nam stellæ orientales habent adeò diuersos mores ab occidentalibus, ac si essent non unus Planeta sed duo penitus diuersi. Et hoc diligenter nota pro intellectu eorum quæ inferius adijcientur. Incepit autem Ptolemæus numerare quadrantes ab occidente & septentrione, & non ab oriente neque à meridie, ut sequeretur eundem ordinem quem sequutus est in Geographia: nam ibi incipit ab extremo occidente, id est, à fortunatis & à septentrione, ideò fecit primam tabulam in qua descripsit Hiberniam & Albionem, id est, Angliam, quia sunt in extremo septentrionis & occidentis. Diuidit autem unumquemq; quadrantem in duas partes, ut cum dicit.

TEXTVS XV.

Præterea sciendum singulos quadrantes qua uergunt in medium totius terræ nostræ, sortiri diuersam naturã naturæ suæ quam in totius terræ diuisione obtinuerint. Nam quadrans Europæ quem diximus in diuisione totius terræ in Borrolybico loco, id est, ad Caurum positum, in medio & qua angulus exit in oppositi quadrantis angulum ad Notapelioten, id est, Vulturnum tendit, & in positũ huius quadrantis deuoluitur. Quod ipsum & de alijs similiter accipi debet. Vnde apparet singulos quadrantes binis triangulis contrarijs conciliari, cum alia quidem loca prorsus in se incumbens triangulum sustineant, media autẽ illa etiam in contrarium incumbant. In hac conciliatione assumendi sunt & gubernatores singulorum triangulorum, atque rursum hi quidem soli alijs in locis, in medijs autem illis & cum his Mercurij stella, quod media hęc quidem & communis sit utriusq; conditionis.

Duo facit in præsenti textu Ptolemæus, primum quidem diuidit unumquemq; quadrantem linea recta in duos triangulos sibi inuicẽ oppositos, ut in figura uides: Gratia exempli primum quadrantem diuidit per lineam ductam à septentrione in occidentem in duos triangulos: unum qui uocatur extremus, & est ille in quo inscriptæ sunt notæ ♃ & ♂: Alterum qui tendit ad medium in quo est inscriptus primus & ita de alijs quadrantibus. Cum igitur sint quatuor quadrantes, fient octo trianguli, quorum quatuor dicuntur extremi & puri quia non tanguntur ab alijs quadrantibus: & quatuor qui uocantur trianguli medij qui circundantur ab alijs tribus triangulis medijs. Vnusquisque enim eorum habet duos alios triangulos à latere, & tertiũ à fronte seu opposito. In unoquoq; autem illorum posui numerum sui quadrantis, scilicet primus, secundus, tertius & quartus, ut intelligeres cuius quadrantis essent illi trianguli. Secundum quod docet, est quod cum sint octo trianguli, qui nam Planetæ sin-

gulis dominentur: & regula est generalis, quatuor triangulis extremis seu puris dominantur sui duo Planetæ inscripti: ut pote primo Mars & Iupiter occidentalis: Secundo Saturnus & Venus orientalis: Tertio Saturnus & Iupiter orientalis: Quarto Mars & Venus occidentalis. In triangulis autem mediis ponit Mercurium in medio sicut uides in figura, quia Mercurius est particeps dominationis in omnibus triangulis mediis propter quatuor causas: Prima ut & ipse haberet dominium in mundo: Secũda, quia habitantes in mediis regionibus sunt ingeniosiores & disciplinis magis dediti & artibus, quæ omnia per Mercurium significantur: Tertia, quia sunt negociatores & transeunt de uno triangulo in alium triangulum, & ex uno quadrante in alium quadrantem: Et hoc est proprium Mercurij, qui transit in naturam singulorum planetarum excepto Sole & Luna. Fit enim Mercurius quandoque perfidus, ut Saturnus malè dispositus, & patiens, ut Saturnus benè dispositus, & lasciuus ut Venus, & ferox ut Mars, & iustus ut Iupiter. Quarta, quia natura illius est media inter Planetas reliquos omnes quatuor, ideò meritò collocatur in medio. Sol autem & Luna non ponuntur domini triangulorum propter id quod omnibus dominantur generaliter. In omnibus enim regionibus est aliquid iustitiæ & fidei & studij gloriæ & modus dominandi, quæ omnia habentur à Sole. In omnibus etiam regionibus uigẽt commertia hominum & consuetudines, desiderium nutriendi filios, & uidendi regiones nouas, & piscandi & colendi agros, & lucrãdi, quæ omnia sunt à Luna. Ideò nulla est gens tam barbara quæ ex toto possit se expoliare ab affectibus & moribus Solis & Lunæ, qui sunt communes omnibus gentibus. Sed si uis distinguere inter mores Solis & Lunæ: discrimen est quia mores Solis tendunt ad honestum, generosum, munditiem, & imperandum: Lunæ humiliora sunt omnia, ideoq; ad lucrum, uoluptatem, sordítiem & seruiendum. Potest facile comparari Sol nobilitati, Luna plebi in ciuitate. Sol patri, Luna matri in domo. Et ideo Sol non diligit adeò filios sicut Luna, id est, nati sub illis. Et ita Sol significat ex ætatibus iuuentutẽ, Luna puerítiam. Mercurio igitur in medio constituto, iste ordo seruatur in mediis triangulis: primum dominantur Planetæ trianguli oppositi, ut pote in primo triangulo medio primum dominabuntur Saturnus & Venus orientalis, secundo Mercurius, tertio domini ipsius quadrãtis, id est Mars & Iupiter occidentalis. Et ita in quarto triangulo medio dominabũtur, primum Saturnus & Iupiter orientalis qui sunt domini tertij quadrantis, inde Mercurius, inde Mars & Venus occidentalis, & ita in alijs: Et hæc est causa quod ipse posuit secundum trigonũ illum qui est ab opposito primi & nõ à latere. Et causa est quia quæ pendent ab astris nihil habent commune cum coniunctis & adhærentibus, sed potius cum oppositis. Ideo primus triangulus participat de natura secundi oppositi, & non de natura tertij & quarti qui sunt à lateribus. Ex hoc etiam patet quod regiones quanto magis sunt uersus medium in triangulis mediis, magis participant de natura Planetarum quadrãtis oppositi, deinde Mercurij, & minimum de natura Planetarum proprij quadrantis. Quæ uerò sunt iuxta basim trianguli medij, plus participabunt de natura Planetarum proprij quadrantis, & minus Mercurij & oppositi quadrãtis. Medij uerò inter cuspidẽ & basin æqualiter omnibus. Exemplum in primo triangulo medio, id est primi quadrantis basis habebit plus de natura Martis & Iouis occidentalis, inde de natura Saturni & Veneris occidentalis ac Mercurij. Cuspis uerò trianguli eiusdem scilicet primi quadrantis plus habebit de natura Saturni & Veneris occidentalis, inde Mercurij, inde Martis & Iouis occidẽtalis. Mediũ uerò inter cuspidẽ & basim medio modo & quasi æqualiter omnium particeps erit. His igitur cõstitutis, ipse tractat primo de primo triangulo, id est, exteriore primi quadrantis: deinde medio primi quadrantis: post de exteriore secundi quadrantis: deinde de medio secundi quadrantis: & ita deinceps. Circa quod notanda duo sunt, primum quod partes triangulorum extremorum, ut magis appropinquant medio, id est, lineæ mediæ, sunt maximè de natura fermè unius Planetæ tantum: uelut qui sunt maximè sub Borrea & declinant neque ad orientem neque ad occidentem nisi parum, ipsi sunt de natura Iouis fermè ex toto, & parum ualde Martis

aut Sa-

aut Saturni. Et ita qui sunt in linea occidentis & non declinant ad meridiem neque septentrionem, ipsi sunt fermè ex toto de natura Martis & quasi nihil Iouis aut Veneris. Et ita illi qui sunt iuxta æquinoctialem, nec declinant ad orientem nec occidentem sunt toti de natura Veneris & nihil fermè Martis uel Saturni. Et ideo in totum similes fœminis, imbelles, libidinosi, luxui & uoluptatibus ac delitijs dediti, nihil omnino ingenuum aut uirile cogitantes. Et ita de orientalibus, qui sunt omnino medij inter septentrionem & austrum pro Saturno. Secundum, quod in triangulis medijs licet obseruentur Planetæ contrarij quadrantis, tamen uult quod illi exuant naturam propriam quantum ad orientale & occidentale, & induant naturam quadrantis proprij. Exemplum in triangulo medio quadrantis primi dominatur Saturnus & Venus qui sunt domini quadrantis secundi scilicet oppositi, sed in quadrante secundo semper dominatur Saturnus & Venus orientalis: In triangulo autem medio quadrantis primi dominabuntur Saturnus & Venus occidentalis, quia triangulus ille est pars quadrãtis occidentalis & non orientalis. Secundum hoc igitur statuemus dominos octo triangulorum per ordinem sicut ipse facit ad faciliorem intelligẽtiam textus sequentis. Circa quod notandum est quod beneficę uariantur penes orientale & occidentale, scilicet Iupiter & Venus: sed Saturnus & Mars non uariantur penes boreale & australe. Causa est duplex tum quia beneficæ facilius uariantur quàm maleficæ: tum quia orientale & occidentale sunt qualitates in re, id est in ipsis Planetis, ueræ & naturales, quæ ortum habent à comparatione Planetarum ad Solem: sed Australe & Boreale sumuntur hic non ut latitudines ab ecliptica, sed solum ut differentiæ partium terræ quibus Planetæ dominantur. Et ita non faciunt aliam differentiam quam illam quæ dicta est superius in primo discrimine prouinciarum, quæ magis appropinquant æquinoctiali uel polo boreali. Quod si quis uellet considerare Australe & Boreale iuxta latitudinem in Saturno & Marte, tunc posset ponere Australes agiliores, leuiores.

Secundum hoc igitur, ordinem dictum sequentes, externo triangulo quadrantis primi dominantur Mars & Iupiter occidentales soli. Et ex signis ♈.♌.♐.

Triangulo medio quadrantis primi dominantur primo Saturnus & Venus occidentalis, inde Mercurius, inde Mars, atq; Iupiter occidentalibus. Ex signis ♉.♍.♑.

Triangulo externo quadrantis secundi Saturnus & Venus orientalis soli. Et ex signis ♉.♍.♑.

Triangulo medio quadrantis secundi Mars & Iupiter orientalis primo dominantur, deinde Mercurius, deinde Saturnus cum Venere orientali. Et ex signis ♈.♌.♐.

Triangulo externo quadrantis tertij soli dominantur Saturnus & Iupiter orientalis. Et ex signis ♊.♎.& ♒.

Triangulo medio quadrantis tertij primo Mars & Venus orientalis, deinde Mercurius, deinde Saturnus & Iupiter orientalis. Et ex signis ♋.♏.♓.

Triangulo externo quadrantis quarti soli dominantur Mars & Venus occidentalis. Et ex signis ♋.♏.♓.

Triangulo medio quadrantis quarti dominantur primo Saturnus & Iupiter occidẽtalis, inde Mercurius, inde Mars & Venus occidentalis. Et ex signis ♊.♎.♒.

Et secundũ hoc omnia dicta Ptolemæi quæ in sequenti textu sequuntur sunt adeò manifesta ut nulla indigeãt expositione, nisi quod oportet ut habeas Geographiam illius ante oculos, sine qua non potes bene intelligere quæ ille scripsit de prouincijs & earum natura. Et ideò malè faciunt qui multa nugantur in declaratione situs prouinciarum, cum commentaria augeant in infinitum & nihilominus nõ possunt rem perfectè docere nisi depicta figura orbis habitabilis. Quæ profectò hic si suis coloribus depicta adijciatur plus proficiet ad exquisitum intellectum sentẽtiæ Ptolemæi de prouincijs, quàm si magnum uolumen commentariorum conscribatur.

TEXTVS XVI.

Quibus ad hunc modum distributis primi quadrantis Europei superiora

periora loca, quę sita sunt in totius terræ diuisione inter septentrionem & occasum, conciliantur Borrolybico, hoc est, Caureo triangulo, quod est Aries & Leon. & Sagit. dominos habet conuenientes Iouem & Martem uespertinos. In hoc totæ gentes hæ nominantur, Britannia, Gallia Bracata, Germania, Bastarnæ, Italia, Gallia togata, Apulia, Sicilia, Tyrrheni, Celtica, Hispania. Atque in his gentibus consequenter hi mores animad uertuntur, ut sint ob principatum triangulum sui & dominatores illius impatientes regni, & amantes libertatis. Armorum, belliq; studiosissimi, patientes laborum, præstantiæ, munditiæ, fortitudinis, sectatores. Propter uespertinum autem habitum Iouis & Martis, propterq; suum triangulum accidit his ut prioribus partibus uiriles sint, posterioribus effœminati, & mulierum amore non tangantur, cupidi masculæ Veneris, & hac in parte æmulatores neque hoc apud illos uitio datur ulli, neque molle ducitur, quod hoc ipso animi illorum non perturbentur & quasi laborent, sed retineant nihilo secius usum uirtutis, amicitiæ, fidei, curæ rei familiaris, beneficentiæ. Harum ipsarum regionum Britannia, Gallia bracata, Germania, Bastarnæ, propriè subsunt Arieti & stellę Mart. Itaq; harum incolæ sunt communiter feroces, peruicaces, truces. At Italia, Apulia, Gallia togata, Sicilia, Leoni subiectæ sunt & Soli, prę stantiæ, benignitati, amicitię studeut. Tyrrheni uerò & Celtæ, Hispaniq; cõmendati cum Sagittar. Ioui libertatis, simplicitatis, mũditiæ sunt amatores. Reliqua loca huius quidẽ quadrantis, sed uergentia in mediũ totius terræ, Thracia, Macedonia, Illyricum, Grę cia, Achaia, itemq; Cretæ & insulæ Cyclades & maritima loca Asiæ minoris ac Cyprus, decliuia de quadrante suo ad Vulturnum, adiunguntur etiam triangulo hoc Vulturni quo comprehenditur Taur. Virg. Capricorn. & gubernatricibus stellis Vener. ac Saturn. atque insuper etiam Mercur. Quapropter horum locorum incolæ magis sunt & corporibus & animis compositi & temperati. Et ipsi sanè præstantiæ cupidi, fortes, regni osores propter Martem, Musicæ autem & studiorum, libertatis cupidi, legum institutorumq; suorũ tenaces, populari imperio gaudentes, latores legum, quæ à Ioue habent. Certaminum & munditiæ studiosi à Vener. Amicitiæ, hospitalitatis, iuris literarum, eloquentiæ cultores, à Merc. Iidem arcanorum sacrorũ & initiorum institutores de Vener. uespertino habitu. Rursus ex his peculiariter pertinẽt ad Taur. & Vener. maritima minoris Asiæ loca, Cyclades insulæ ac Cyprus: ideoq; fermè uoluptatibus munditiæ, corporiq; seruiunt. At Græci, Achiui, Cretenses, subditi Virg. & Mercur. ingeniosiores & doctiores & animorum cultores euaserũt. Macedones autem, Thraces, Illyri cum subijciantur Capricor. & Satur. in re quidẽ paranda non inertes, sed à mansuetudine morum & coniunctionibus alieni.

Secũdi quadrantis quæ pars est Australis magnæ Asiæ, loca in quibus

India

India, Ariana, Gedrosia, Parthia, Media, Persia, Babylon, Mesopotamia, Assyria, spectantia Vulturnum in totius terrę diuisione, conciliantur, & ipsa meritò triangulo Notapeliotico, id est, sito inter ortũ & meridiem, Taur. Virg. Capricor. Gubernaturq; à Vener. & Satur. de orientali habitu. Quare & naturas illorũ hominum cognoscere est huiusmodi modi dominationi conuenire, nam & Vener. numen adorant, uocãtq; Isin, & Satur. itemq; Solis, quem Mitram nominant. Multi etiam horum futura præcinunt, necnon & pudendæ ab his partes consecrantur, quæ efficiuntur ab habitu præpositarum stellarum seminaliũ. Ipsi natura sunt flagrantes concubitus, reiq; Venereę appetentes. Saltationes his & trepudia, comptusq; cordi à Venere, delicatusq; uictus à Saturno cum mulieribus propalam nõ in occulto consuescunt, propter habitũ orientalẽ, sed masculam Venerem odere. Neq; pauci ex matribus liberos suscipiunt, & pectore supplices gestus edunt propter matutinum ortum, & congruentiam cordis præstantiæ cum ui Solari. Vestitus ferè ornatusq; & corporis delitijs effœminati à Venere, animis autem, consilijsq; excelsis, fortes, bellicosi, eo quod Saturn. cum habitu orientali congruat. Sed peculiariter sunt Iouis, Venerisq; magis Parthia, Media, Persia. Qua de re & harum regionum incolæ florido uestitu utuntur, seq; totos illo præter pectora operiunt, delicatoq; uictui, ac munditiæ dant operam. Virginis & Mercur. est Babylon, Mesopotamia, Assyria, quibus ideo & eximia Mathematicarum disciplinarum cognitio & obseruatio siderum contigit. Saturno uerò cedit propriè India, Ariana, Gedrosia, habẽtq; eam ob rem cultores deformes, fœdos, immanes. Media huius quadrantis loca in diuisione totius terræ, Idumęa, Cælosyria, Iudęa, Phœnice, Chaldæa, Orchinia, Arabia felix, recedunt à suo quadrante ad Cancrum, qui ponit inter septentrionem & occasum, itaque Borrolybico triangulo conciliantur, quod est Ariet. Leon. Sagittar. cum dominis Ioue & Marte, quibus communis Mercur. adiungitur, unde sunt ad mercaturas faciendas alijs aptiores & callidiores, in formidine contemptores, infidiosi, animis seruilibus, omninoq; instabiles pro stellarũ prępositarũ figuratione. Est aũt Cœlosyria, Iudæa, Idumæa, magis Scorpion. & Ariet. Martisq; propria, ob eamq; rem incolas habent ferè audaces, impios, insidiosos. Phœnices Chaldæi, Orchinij sub Leone & Sole sunt, quod simplices, humanos siderũ obseruatores: inq; primis Solis ueneratores reddit. Arabia felix subest Sagittar. & Ioui, unde extitit illa consentanea appellationi feracitas & copia aromatum, & hominum dexteritas & liberalitas uitæ contractuum, negociorum.

Sequitur quadrantis tertij septentrionalis pars magnæ Asiæ, cuius superiora loca continent Armeniam, Hircaniam, Mattianem, Bactra, Casperiam, Seticam, Sauromatas, Oxianem, Sogdianen, quæq; alia in diuisione

ATENEO VENETO VENEZIA

sione totius terræ spectant Aquilonẽ, qui est inter Septentrionẽ & Orientem locus. Hæ regiones igitur conciliantur Aquilonari triangulo Gem. Lib. Aquar. Gubernatores autem Sat. atq; Iup. habitu orientali. Harum itaque incolæ Iouis & Saturni numina uenerantur, suntq; ditissimi & auro abundantes, uictu mundo & consuetudine honesta, sapientes magi, periti rerum diuinarum, moribus ad liberalitatem & iustitiam compositis, animo magno, fortes, osores improbitatis, ita naturæ quodã instinctu amantes suorum, ut pro ipsis ne mortem quidem oppetere dubitent, respectu decoris ac pietatis. In usu rei Veneriæ moderati & puri, uestitu sumptuosi, benigni, animo sublimi, quod ferè Saturn. Iouisq; stella orientali in habitu conficit. Cæterum ex his Hyrcani, Armeni, Matiani propriè referuntur ad Gem. & Mercur. itaque & sunt mobiliores ac sub improbi. Bactrianæ gentes & Caspiæ unà cum sericis Lib. parẽt & Vener. indeq; diuitias congerunt, Musicæ delitijsq; indulgent. At Sauromatica, Oxianæ, Sogdianæ subijciuntur Aquar. & Saturn. habentq; homines immanes, tetricos, feros. Reliqua huius quadrantis & in medium totius terræ decidua loca, Bithynia, Phrygia, Colchis, Syria, Commagene, Cappadocia, Lydia, Cilicia, Pamphylia descendunt à suo quadrante ad Africum, qui est inter occasum & meridiem, inciduntq; in Notolybicum triangulum Canc. Scorp. Pisc. dominante Mar. & Vener. cumq; his Mercur. Hinc illæ gentes ferè numen Veneris adorãt, multis uarijsq; suæ linguæ uocabulis ut matrem Deum celebrãtes, ipsumq; Martem Adonin, rursumq; aliter appellant, hisq; diuis cum quæstibus initia habent constituta. Sunt aũt perimprobi & animis seruilibus, laborioſi, mali, implicati expeditionibus mercenarijs, belligerationibus, rapinis, prædatiõibus, ipsi mutuo sese subigantes, & uastationes sibijpsis, bellũq; inferentes: quę omnia à Mart. & Vener. orientali concursu proficiscuntur. Quoniam autem in Vener. triangulari signo Capricor. altitudinem habet Mart. & in huius item triangulari signo Pisc. ipsa Venus extollitur, fit ut illis in locis summa beneuolentia & charitate maritos suos fœminæ complectantur, domiq; custodes sint & operũ studioſæ, famulatione, sedulitate, obedientia commendabiles. Ex his Phrygies, Bithyni, Colchi pertinent magis ad Cancr. & Lunã. Quo fit uiri ut ferè leues sint, morigeriq; mulieribus. Contra harum pleræq; de Lun. orientali masculinitate, uiriles, imperioſæ, bellatrices, ut Amazones perhibentur, fugientes uirorum, gaudentes armis, ad uirilitatemq; fœmininum sexum instruentes ab infantia dextræ mammæ amputatione, quo habiliores ad subeunda belli munia fiant. Has etiam partes corporis nudare solent, ut in rebus gerendis muliebritatis omnis opinio amoueatur. Qui uerò Syriam tenent & Comagenem, & Cappadociam subduntur Scorpion. & Mart. itaque multum audent, improbi sunt, insidioſi, laborioſi: At Lydi, Cilices, Pamphy

lij ce-

liſ ceduint Piſc. & Iou. ſuntq; in reparãda attentiores, commertia & mercaturas faciunt, liberales, faciles in contractibus.

Reſtat quadrans Lybics, ut appellant, in quo ſunt Numidia, Carthago, Africa, Phyzania, Naſomonitis, Garamantes, Mauri, Getulia, Metagonitis. Huius ſitus in diuiſione totius terræ eſt ad Libonotũ, id eſt, Afri cũ inter occaſum & meridiem, cõciliaturq; Notolybico triãgulo Cancr. Scorp. Piſc. regiturq; cõueniẽter à Mart. & Vener. habitu ueſpertino. Ex quo apud illas gentes uſu multũ uenit ut uir ac mulier, aut frater ac ſoror una matre geniti regnũ teneãt, ſic quidem ut uir uiris, mulier mulieribus præſit, & hoc in ſucceſſionibus ſeruet. Calidi ibi ſunt homines, procliues in muliebrẽ Venerẽ, raptores coniugũ. Ibi multis in locis cũ nouis nuptis primi ſunt regum cõcubitus. Alicubi etiã eſt mulierũ inter omnes cõmunitas. Mangoniſſant aũt admodum & muliebres mũdos geſtitãt, quod à Venere habẽt. Non eſt tamẽ animorũ illis promptitudo. Sunt nõnihil improbi, pręſtigiatores, peruerſi, temerariĳ, obuĳ diſcriminibus, idq; à Mart. Rurſum ex his Numidę, Carthaginẽſes, Afri, debent Cãc. & Lun. et hac de cauſa à cõiunctionibus cõmertĳſq; nõ alieni ſunt, inq; omnium rerũ affluentia degunt. Sed qui incolũt Metagonitida, Mauritaniã, Getuliam, Scorpio obediũt & Marti, immanes, bellicoſi, carniuori, diſcriminibus obuĳ, neglectores uitę, inq; ſeſe mutuo inuadẽtes. Phizani, Naſamones, Garamãtes ſubiecti Piſc. & Ioui, liberalibus & ſimplicibus ſunt moribus, opus faciũt, cõſiliĳs ualent, ſordiũ regniq; fugientes, propter Iouẽ, Ammonis ueneratores. Huius quadrãtis media loca in totius terrę diuiſione Cyrenaica, Ægyptus, Thebais, Marmarica, Oaſis, Troglodyte, Arabes, Aſania, Æthiopica media, à ſuo quadrãte uerſa ad Aquilonẽ ſub eunt & ſub Borrapelioticũ etiã triangulũ & dominos Satur. ac Iou. inſuperq; Merc. Vnde gẽtes hę pro cõmuni ſtellarũ iſtarũ ueſpertino imperio Deorũ ſunt reuerẽtes, ſuperſtitioſi, ſeruiẽtes diĳs, eiulatores, mortuos ſuos occultãtes terra & amouẽtes è cõſpectu, propter ueſpertinũ habitũ, inſtitutis & ritibus uariĳs, neq; uno cultus numinum genere utunt. Parẽt humiliter, cũq; metu & abiectione ac patiẽtia. Imperãt animoſè & magnificè. Viri plures uxores, fœmininę maritos habẽt. Cõnubia appetũt, cũq; ſororibus cõmiſcent. Virorũ in gignendo magna efficatia, in cõcipiendo mulierũ fœcũditas, ut in regione accõmodata generationi. Multi ibi uiri putidi & animis muliebribus reperiunt. Aliq; & in partes genitales graſſant, propter maleficarũ ac Veneris ueſpertinã figurationẽ. Ex his Cyrenarũ Marmaricæ inq; primis inferioris Ægypti incolæ aſcribunt propriè Gem. & Merc. ideoq; ſunt cogitãtes, prudẽtes, intelligẽtes rerũ omnium, ſed maximè ſapiẽtię & diuinitatis, magi, arcanorũ initiorũ inſtitutores, in Mathematicis planè excellẽtes. Qui Thebaida tenẽt Oaſin, Troglodyticen, Lib. ſunt ac Ven. Vnde calida natura eſt illorũ & mobilis et in abũ-

dãtia degũt. Arabes, Azani, Medij, Æthiopes, dant Aquar. & Satu. Sũtq; carniuori ac pisciuori & pastores. Agrestẽ & feris similem agunt uitam.

Nihil iam puto deesse ad intellectum præcedentis textus, sed existimo melius ut postquàm hæc omnia principaliter propter geneses Ptolemæus descripsit ũt etiam ad geneses Planetarum hi dominatus certo ordine ascribantur. Igitur ut ad dominos tertij trigoni deueniam: Saturnus & Iupiter orientalis facit diuini cultus obseruatores, ditissimos & auro abundantes, mundo uictu, consuetudine honesta, sapientes, magos, peritos rerum diuinarum, moribus ad liberalitatem & iustitiam compositis, animo magno, fortes, osores improbitatis, atque adeò ut pro decore ac pietate mortem oppetere non dubitent. In usu rei Venereæ moderatos & puros, in uestitu sumptuosos, benignos, & animo sublimi.

Mars cum Ioue occidentali facit amatores libertatis, armorum & belli studiosissimos, laborum patientes, fortitudinis, munditiæ ac præstãtiæ, conseruatores amicitiæ ac fidei: Rei familiaris studiosi sunt custodes, beneficiq; ac uirtuti diditi: uerũ à mulierum amore magis alieni, puerorumq; sectatores: & qui ea ætate etiam Venerem libenter patiantur. Atque hi primo trigono externo conueniunt.

Saturnus & Venus orientales, faciũt diuinos, cupidosq; saltationum, & comptos, delicatosq;, concubitus multi cum mulieribus. Sed tamen cum consanguineis & matribus etiam quandoque concumbunt: uestitus & ornatus & delitiæ fœmineæ quasi & molles: fiunt etiam eunuchi natura, alij uoluntate, nõnulli casu. Cęterum animis atque consilijs excelsi, fortes, bellicosi: Talem fuisse Narsetem Eunuchum Iustiniani qui barbaros ex Italia expulit, credendum est. Atque hi secundo congruunt trigono externo. Sed tales etiam à masculina Venere abhorrent.

Mars cum occidentali Venere facit procliues in Venerẽ muliebrem, raptores uirginum, uiolentos adulteros: adornant se, & muliebri habitu gaudent: improbi, præstigiatores, peruersi, temerarij, prõpti manu, denicq; omnino mali præter fortitudinem, similes sunt habitantibus in quarto trigono extremo.

Iouis & Veneris orientalis mores sunt delicatos esse, & munditiæ studiosos, & florido uestitu uti super omnes homines: tales sunt Persæ. Sunt etiam in re paranda, attenti: Mercatores faciles in contractibus & liberales, consilio quoque ualent.

Saturnus orientalis facit deformes, fœdos & inanes, ut Indi. Occidentalis autem carniuoros, ictiophagos, pastores, moribus agrestes & feros: ut sunt Aethiopes occidentales.

Mercurius orientalis facit eos qui mathematicas optimè assequantur, & siderum obseruatione maximè delectẽtur. Occidentalis autem ingeniosos & doctos, uerum non adeò mathematicarum studiosos: sed qui animorũ cultui tamen maximè incumbant. Generaliter autem facit mobiles & subimprobos.

Venus occidentalis facit uoluptatibus omnino deditos, sed tamen mundos: ut Cyprij. Orientalis autem musicæ studiosos & delitiarum. Generaliter autem mobiles, ut fœminæ.

Mars occidentalis facit feroces, peruicaces, truces ut Germani. Orientalis audaces, impios, insidiosos. Male dispositus, immanes, bellicosos, carniuoros, seditiosos, uitæ contemptores, periculis ultro se offerentes.

Iupiter occidentalis facit libertatis amatores & simplicitatis & mũditiei, ut Hispani. Orientalis autem liberales dexteritatis maximè. Ad coniunctionem cum hominibus aptissimos & mercaturæ studiosos.

Sol facit præstantes, benignos, amicitiæq; maximè obseruatores ut Itali: facit & humanos simplicesq;, & qui obseruationibus siderum delectentur.

Mars cum Venere orientali facit improbos, laboriosos, latrones, rapaces, milites mercenarios, seruilibus animis atque omnino malos. Tum magis si Mercurio adiungantur.

Saturnus & Mars occidentales in re paranda facit minimè inertes: sed ab amorum

rum consuetudine & aliorum hominum coniunctione alienos, ut Macedones.

Luna orientalis facit fœminas uiriles, imperiosas, contentiosas, laboriosas. Occidentalis autem uiros molles, effœminatos & mulierum imperio subditos. Vnde fit ut quibus in regionibus mulieres uiris exæquantur aut plus possunt, ut in Gallia, hæ regiones Lunæ imperio magna ex parte subditæ sint. Tales autem mercaturę apti & à coniunctionibus cum alijs hominibus non alieni, diuitesq;.

Saturnus Venus & Mercurius occidentales, faciũt animo cõpositos & tẽperatos, fortes, libertatis amatores, & regni osores: Musicæ studiosos, & eruditionis. Leges & instituta tenaciter seruant, & noua etiã condunt & inueniunt. Certamina & mundi tiem diligunt, amicitiam & hospitalitatem colunt, eloquentiæ operam dant, arcanorum quoque & sacrorum maximè periti.

Iupiter Mars & Mercurius orientales faciunt callidissimos mercatores, audaces, insidiosos, laboriosos, seruiles & omnino instabiles.

Saturnus Iupiter & Mercurius occidentales, faciunt superstitiosos, mortuos sepeliunt & illos multis ceremonijs lugent. Deum maximè timent. Sed multæ hæreses & multi ritus. Imperant animosè & magnificè, qui uerò parent maxima cum patientia & metu, atq; adeò humiliter ut omnino abiecti esse uideantur. Fœcundi sunt tam uiri quàm mulieres.

TEXTVS XVII.

Ac conciliationes quidem stellarum, signorumq; cum certis gentibus communesq; harum proprietates designatæ à nobis breuiter ad hũc modum sese habẽt. Ad usus autem facilitatem exponemus deinceps nudam traditionem conciliationis singularum gentium cum unoquoq; signo ex superioribus conuenienter ductam, hoc modo.

Quoniam hæc omnia eò tendunt ut effectus eclipsium & constellationum sciantur quas in prouincias diriganꝰ, ideò cũ id sciri nõ possit nisi cognouerimus quodcunque signum quibus prouincijs dominetur: Restat igitur dubitatio quonam pacto affecto signo, sciamus quænam prouincia debet affici. Vtpote Aries dominatur Britanniæ & Germaniæ & Iudææ atq; alijs prouincijs multis quas inferius describet, non par autem est Ariete per eclipsim affecto, ut in has omnes prouincias simul calamitas aut felicitas perueniat: Postquam igitur nõ in omnes uenturus est effectus, scire par est in quam uentura sit, hoc autem inferius declarabitur. Solum enim iam illud restat quandoquidem ex tam communi regionum situ in paucarum solum discrimina deueniamus, ut etiam distinctè sciamus affecto uno signo quę nam prouincię, ut dixi, illi ita subijciantur, ut effectus in eas solas perueniat. Veluti Ariete affecto an sola Britannia an Iudæa an Germania constellationi subijciatur. Neq; enim ut dictum est uerisimile est quod in omnibus idem effectus eueniat.

Circa hæc notandum est quod leges omnes, ut Haly dicit, in medio habitabilis promulgantur, & ex illo in extrema perueniunt: quia Mercurius dominus est eius partis, scilicet mediæ, ut declaratum est. Leges autem multis uerbis indigent & rationibus, & mendacijs etiam si oportuerit: & uolubilitate cerebri: quæ omnia à Mercurio significantur. Nihilominus Mercurius per se non potest dare legem, sed socius fit Saturno & dat legem Iudæorum: quæ est durissima & fœdissima & plena mendacijs & abominatione cũ auaritia & usura & diuortio & cõnubijs illicitis & lepra & immunditiæ gentis. Et associatur Ioui & dat legem Christianorum quæ est munditiei, pietatis, castitatis, misericordiæ, probitatis, & in qua plura fuerũt regna & honos summus sacerdotij: quia Iupiter præest sacerdotio, & non admittit diuortium. Et associatur Mercurius Marti, & facit legem Maumethi plenam uiolentiæ & crudelitatis, fœdam diuortio, & uxorum multitudini & libidini iunctam fabulosis mẽdacijs & impudentibus refertam, abhorrentem à pietate & humanitate. Et facit iunctus Veneri legem idolorum debilem & luxui deditam, in qua omnia licent: Et multiplicem pro-

pter Mercurij potentiam: Ideoq; cum Venus debilis sit, comparatione superiorum fa cta est leuis, plurium Deorum, plena superstitionibus & diuinatione & fabulis quæ plenæ sunt etiam adulterijs & flagitijs alijs & amoribus puerorum. Mercurius enim talia omnia significat. Et ex hoc paret quod lex Iudaica ortũ habuit ab oriente, quia Saturnus orienti præest. Maumethi autẽ ab occidente, quia Mars occidenti dominatur. Et Iouis imperiũ est à septentrione, ideò in ea parte fundata est lex Christiana, licet & ipsa ab oriente, propter coniunctionem cum Iudaica, originem sumpserit. Idolorum autem lex quoniam à Venere exortum habuit, initium sumpsit à meridie, scilicet, Assyria, Babylonia & Chaldæis. Primus enim Belus Assyriorum Rex adorari se præcepit. Hæc autem dicta sunt quę ab Haly excitantur non obiter, sed ut accidentia quæ in legibus contingunt & mutationes & hæreses ex astris præuideri possint. Affligentur autem leges maximè ut in trigonis oppositis cõiunctiones maximæ fuerint. Est autem trigonus Christianæ Aries, Leo, Sagittarius, & eius dominus Iupiter, quia Sol cõmunis est. Idololatricę Taurus, Virgo, Capricornus, & eius dominus Venus, nam Luna communis est. Iudaicæ Gemini, Libra, Aquarius, & eius dominus Saturnus, nam Mercurius communis est quia omnibus fauet. Et ideò posteriores leges Iudaicam non deserunt, sed recipiunt, quia Mercurius quo omnes leges indigent, propriè dominatur trigono Iudæorum. Ideo decreta eius legis tanquam fundamenta ab alijs recipiuntur. Trigonus autem Cancri, Scorpionis & Piscium Maumethicæ præest, nam Mars religioni illi dominatur, & initium dedit coniunctio media anno Christi DXCI in Cancro, quæ postmodum perseuerauit usque ad annum DCCLXXXIX in signis aqueis: nemini autem dubium est quòd Maumethes natus est intra hos terminos, legemq; ipsam promulgauit. Christus quoq; natus est post sex annos à coniunctione maxima in Ariete, promulgauitq; legem ea coniunctione in trigono Arietis, Leonis & Sagittarij uigente. Itaque tum ab origine temporis, tum regionum ubi cœperunt, tum moribus, paret hos trigonos hosq; Planetas, has leges moderari. Aduersantur autem trigoni prout & Planetæ: trigonus quidem Arietis trigono Cancri, quia Mars & Iupiter inimici sunt, & maximè potentes ambo, ideoq; diuturnum bellum. Similiter trigonus Tauri trigono Geminorum, quia Venus & Saturnus inimicissimi, sed ambo debiles tamen. Vnaquęq; etiam lex, maximè posterior, alias destruit. Hæc aũt alibi dicta sunt: sed hæc præsenti ppposito sufficiũt.

TEXTVS XVIII.

Nuda expositio quæ gentes quibus sub signis ponantur.

Aries, habet Britanniam, Galliam Bracatam, Germaniam, Bastarnas, Cœlosyriam, Palestinam, Idumæam, Iudæam.

Taurus, Parthiam, Mediam, Persida, Cyclades insulas, insulam Cyprum, maritima loca Asiæ minoris.

Gemini, Hircaniam, Armeniam, Mattianen, Cyrenas, Marmaricã, inferiorem Ægyptum.

Cancer, Numidas, Carthaginenses, Afros, Bithyniam, Phrygiam Colchida.

Leo, Italiam, Galliã Togatam, Siciliam, Apuliam, Phœnicen, Chaldæos, Ochiniam.

Virgo, Mesopotamiam, Babylona, Assyriam, Græciam, Achaiam, Cretam.

Libra, Bactra, Casperiam, Seras, Thebaida, Oasin, Troglodytas.

Scorpio, Metagonitida, Mauros, Getulos, Syriam, Commageniem, Cappadocas.

Sagit-

Sagittarius, Tyrrhenos, Celtas, Hispaniam, Arabiam felicem.

Capricornus, Indiam, Arrianen, Gedrosiam, Thraciam, Macedonas, Illyricum.

Aquarius, Sauromatas, Oxianen, Sogdianen, Arabiam, Azaniam, media Æthiopiæ.

Pisces, Phazaia, Nazamonitis, Garamantice, Lydia, Cilicia, Pãphylia.

Dubitabit aliquis quare Iudæam diuiserit à Palestina & Idumæa: Et similiter Italiam ab Apulia cum Apulia sit Italiæ pars, & Idumæa ac Palestina Iudææ? Respondeo quod Ptolemæus fauit Græcis in hoc, quia Apulia uocabatur Græcia magna: in alio Ethnicis seu Idolorum cultoribus: nam Iudæi unum Deum colebant, uolebat uideri Ptolemæus quod Iudæi occupassent illas prouincias, hocq; studiũ fuerat Regum ipsorum Aegyptiorũ, ut eo prætextu quod & sæpe fecerunt, Iudeã inuaderent.

Animaduertendum quòd ad trigonos attinet atque leges: Maumethicã quæ sub Marte est sibi adiungere Venerem uel Lunam, ut in triangulo uisum est Venerẽ ob inexhaustam libidinem, diemq; illi dicatum colunt, Lunam quod laboriosissimi sint atque uagi, eiusq; in uexillis imaginem referunt. Ob utranque autem plures accipere uxores lex illa permittit. Iudaica autem Mercurium Saturno adiungit, unde ipsi maximè sunt industrij, loquaces & miseri & parandæ rei pecuniariæ dediti. Christiani Ioui iunctum habent Solem, illiusq; diem colunt Dominicum, sicut & Iudæi Sabbatum propter Saturnum. Sol autem significat iustitiam & ueritatem. Christiana autem lex plus continet ueritatis, & simpliciores reddit homines. Idolorum lex Veneri Lunam adiungit orientalem, sicut Maumethica occidentalem: Ob id multos Deos, multasq; illorũ formas fingebat pro uarietate formarũ Lunæ. Obseruabat aũt Calendas à nouilunijs sumptas more totius Græciæ & antiqui ritus Romanorum. Inditum enim est unicuique legi, prouinciæ, genti, regno, ciuitati, familiæ, denicq; homini cuique ut aliquid eorum obseruent quæ à dominatrice stella significantur, uel etiam ipso nomine ad eam pertinent.

His itaque explicatis, reliquum est ut ipsorum signorum significata & mores, pro genesi unicuiusq; hominis utilia, ipsisque prouincijs à Ptolemæo descriptis correspondentia, subijciam. Igitur:

Aries facit feroces, peruicaces, truces, audaces, impios, insidiosos.

Taurus uoluptatibus deditos & munditiei corporis, florido uestitu utuntur, delicato uictui operam dantes.

Gemini mobiles ac subimprobos, cogitantes, prudentes, intelligentes rerũ omnium sed maximè sapientiæ & diuinitatis, magi, arcanorum institutores, in mathematis planè excellentes.

Cancer facit mercatores, & bonos socios, & qui rerum affluentia gaudeant: sunt tamẽ leues & morigeri mulieribus. Mulieres autem quibus signum hoc dominatur, uiriles, imperiosæ, contentiosæ, laboriosæ.

Leo constantes, benignos, amicitiæq; studentes, simplices, humanos, siderumq; obseruatores.

Virgo facit optimos mathematicos, obseruatores siderum, et omnibus disciplinis aptos, ingeniosos, doctos, animorumq; cultores.

Libra Musicæ & delitijs deditos & qui diuitias congerant, calida sunt natura ad Venerem, mobilisq; consilij.

Scorpio, immanes, bellicosos, carniuoros, discriminibus obuios, neglectores uitæ, seditiosos, improbos, denique & fallaces ac laboriosos.

Sagittarius simplices, munditiei & libertatis amatores, liberales, dexteros in negocijs, & contractibus aptos.

Capricornus, deformes, fœdos, immanes, ac mansuetudine morum & coniunctionibus alienos, sed in re paranda minimè inertes.

Aquarius carniuoros, ictiophagos, pastores, & agrestem uitam, ferarũq; similem agentes, immanes & tetricos.

Pisces liberales, mercatores attentos, faciles tamen in contractibus, simplicibus moribus, minimè sordidos, popularem statum amant, cõsilio ualent, & pulchrorum operum sunt artifices.

Caput quartum.

TEXTVS XIX.

Particularium prædictionum ratio.

His expositis conuenit & hæc adiungi huic parti. Fixarũ etiam stellarum singulis aliquo in signo repertis, conciliari easdem regiones quas illud signum sortitum fuerit, quo cum ipse inducto per polum suum circulo, regiones eas aspiciant.

Fieri non potest ut quispiam Astrologiam assequatur nisi subtilissimè tradita foret atque rationibus exquisitissimis atq; abstrusissimis. Quis uerò potuisset eas inuenire rationes nisi qui motuum stellarum causas tam profundissimè fuisset uenatus? At uerò is erat Ptolemæus Aegyptius: qui si non natus fuisset, aut liber iste per tot sęcula seruatus non fuisset, actum prorsus de Astrologia fuerat. Verum in tot sęculis neq; qui exponeret illum inuẽtus est aliquis propter difficultatem, nã incognitus expositor purus erat Grammaticus, qui uerò uertit etiam longè deterior. Haly uerò conatus in irritum cecidere propter exemplaris corruptionem. Itaque magno fato factum puto ut liber hic, tum duo illi expositores qualescũque sint in manus meas deuenirent, quo tempore propter inopinatum iter in ultimas Angliæ regiones nullum detuleram mecum librum ex meis quem explere possem: adeò ut ne tẽpus per ocium mihi percurreret in Ligeti Fluuio dum Lutetiam pergo in ipsa naui cõmentaria hæc conscribere aggressus sim. Atq; id bona fortuna quadam, qui cum equos mecum haberem, non spõte sed ab alijs persuasus, secundo amne uehi potius duxerim: & cum nihil tale cogitarem, oblata occasione, prima die hunc librum exponere cœpi, atque in quinque diebus initium eius conscriptum est. Quòd si Aristoteli credendum est, id plusquam dimidium dici potest, quod totum rei initium continet. Equidem quid maius testimoniũ ueræ & subtilissimæ inuẽtionis Ptolemæi esse potest, quàm quod lex nostra & Seruator ipse sub Arietis coniunctione superiorũ natus est? & ipsa lex orta, cœpit enim duodecimo Christus anno disputare, promulgata uerò sub coniunctione superiorum in Sagittario, in regione Arieti subiecta: & nunc, quod ut dictum est mediorum triangulorum uis maior sit in extremo opposito, uiget in Gallia, Italia, Britannia, Sicilia, Germania, Hispaniaq;: Quæ omnes trigono illi Arietis externo subijciuntur. Rursus lex ipsius Maumethis sub aqueo trigono fundata est, & in illius quadrante, in Arabia sub Aquario promulgata in medio trigono, confirmata autem magis in Armenia, Hircania, Mattiane, Bactra, Casperia, Setica, Sauromatibus, Oxiane, Sogdiane. Demum propter concursum aquei trigoni qui in quadrante quarto uiget, promulgata est etiã in Numidia, Carthagine, Africa, Phyzania, Nasamonitis, Garamantibus, Mauris, Getulis, Metagonitis, Bithynijs, Colchis, Syria, Cappadocia, Lydia, Commagene, Cilicia, Pamphylia. Arabię autem adiacet Aegyptus, Cyrenaica, Aethiopia, Media. Constat & Scythicam gentem in extremo trianguli quadrantis tertij ultimam futuram quæ nomẽ Maumethi relinquat: sicut & Hispaniam & adiacentes regiones ut dixi, Legem Christi. Hæc tam subtilia sunt si causam diuersitatis intelligis, quoniam illa maior est cuius quadrans consentit cũ tempore promulgationis, quadrans enim duos habet trigonos, & duo trigoni duobus trigonis respondent mutuo sibi inuicem oppositis. Ista firmior cuius trigonus consentit cum tempore promulgationis. Sed iam ad textum redeamus. Docuerat superius

rius tres esse differentias ipsorum locorum quibus diuersitas contingeret in hominibus atque in genituris: sed unam præcipuè per quam regiones uniuersales distinguerentur, calidam, frigidam & temperatam. Secundam per quam distinguerentur prouinciæ temperatæ regionis: imò etiam intemperatarum nam hæ tribuuntur conterminis regionibus trianguli externi tẽperati. Veluti Lituania & Moscouia & Lappones & Getæ & Noruegia erunt sub Marte & Ioue & Ariete sicut Germania. Tertia differentia fuit illa quæ quinque discriminibus constabat quam reducit ad secundam. Quia tertia illa naturalis erat & eo modo reducitur ad Astronomicam. Hoc igitur in capite tria facit, primũ quidem docet fixarũ uires ad regiones traducere. Nam sicut cuique regioni suum dominum signum ascripsit & Planetam aut Planetas qui signo præessent, ita fixas non ex dominio signi cum non dominentur signis, ex loco adiungit: Veluti oculus Tauri tempore Ptolemæi erat in Tauro, & ita afficiebat Cyprum & maritima loca Asiæ minoris & Parthos, ita nunc afficit Hircanos & Armenos & Aegyptum quia nunc ingressus est Geminos. Et ita cor Scorpij cum olim esset in Scorpio, afficeretq; Syriam & Mauros & Cappadocas, ita nunc afficit Hispaniam & Celticam Galliam, ubi est Luretia & Normanni & Neustrij & quos uocant Britannos Galliæ: fecitq; rapaces & subdolos qui alioquin antiquo tempore erãt boni socij, quia erant sub Sagittario, & nunc stella illa quæ maximam significat auaritiam & crudelitatem atq; audaciam Sagittarium ingressa est. Ita loca stellarum in signifero quæres, & uires illarum signis ascribes.

TEXTVS XX.

Prætera ea loca signiferi potissimum consideranda de magnis urbibus quæ metropolis dicuntur, per quæ in harum extructionum principijs, ut in genitura hominis, ferri Solem ac Lunam animaduersum, ubique ex cardinibus præcipuè horoscopus fuit. Quarum autem tempora extructionum non comperiuntur, uidendum quo cadat MC. in genitura Principum ac Regum, quæ quoq; temporerum potientur.

Hęc est secunda pars in qua docet deuenire ex prouincijs ad ciuitates metropolitanas, id est, principes aliarum ciuitatum: Veluti in Italia Roma, Venetiæ, Mediolanum, Neapolis, Florentia, Sena, Ferraria, Mantua, Genua, Luca, Taurinum, & quęcunque tales seu imperent alijs urbibus etiam quod alieno Regi pareant, ut Mediolanum & Neapolis, seu non pareant ut Venetiæ, seu nullis imperent urbibus libertatem tamen suam tueantur, ut Luca, Metropolis nomine intelliguntur. Nam reliquæ ciuitates quæ neque per se reguntur, neq; alijs imperant, fortunam Metropolis maxima ex parte sequũtur. In omnibus igit̃ his quę quoquomodo seorsum aliquid habent principatus ut in Mediolanensi regione Papia atq; Cremona, iubet Ptolemæus principalia loca debere obseruari erectionis illius ciuitatis tanquã in genituris. Tria aũt maximè principalia docet Solis & Lunæ & horoscopi seu ascendentis: nã mediũ cœli pertinet ad Principem potius ciuitatis, & horoscopus refert ipsam ciuitatem. Si igitur talia loca afficientur, afficietur & ciuitas. Quod si ignota sit constitutio cœli quæ fuerit ædificationis ciuitatis tempore, tunc medium cœli ciuitatem gubernãtis in genitura tanquam principalem locum ciuitatis, obseruabis.

Ex hoc habeẽ pulchra regula: quòd ubi habueris & genesim ciuitatis (ita enim nũc manifestioris doctrinæ causa figurarum cœli uoco constitutionem declarantem siderum temporæ primæ ædificationis) & genesim gubernantis, oportebit mediũ cœli genesis gubernantis considerare & locum Solis ac Lunæ atq; ascendentis genesis ciuitatis conferre, tum inter se pro generali regimine, tum ad eclipsium præcedentium constitutionem. Quod si locus gubernetur ab aliquo proconsule, princeps aũt procul absit: tunc permixta erit fortuna ex ipsis tribus, scilicet genesi urbis quæ primum obtinet locũ, inde medij cœli ueri principis, tertio loco medij cœli gubernatoris. Sed si princeps uerus in urbe sit, uel propè, gubernatoris genesis prętermittenda est.

TEXTVS XXI.

His præcognitis consequens fuerit percurrere rationẽ prædictionem, primumq; illas quæ totas regiones urbesue complectuntur, cuius contemplationis modus erit talis. Non est prior neq; potentior causa huiusmodi casuum quam quę ducitur à defectiuis Solis & Lunæ copulationibus, & transitibus stellarum illarum tempore.

Hæc est tertia pars in qua docet generalem modum & proprium procedendi: de proprio agit ibi: sed prædictionum. In hac igitur proponit duos modos generales, quorum primus pertinet ad locos & est ut consideremus secundum tres illas diuisiones, scilicet an hoc erit in regione calidissima uel frigidissima uel temperata: deinde per trigonos & signa in qua prouincia illius partis. (Sed maximè temperatã habet in consideratione) Tertiò in qua metropoli illius prouincię. Propter quod sciendum est quod ubi concordaret ciuitas cum constellatione & non cõcordaretur prouincia effectus continget. Sed nunquam poterit prouincia concordare quin etiã quadrans ipsum concordet. In hominibus autem etiam quod concordaret genesis propria & non cõcordaret ciuitas in qua est homo, nihil erit. Et propter hoc credo quod eclipsis illa in Tauro in parte horoscopi mei anno MDXXXIX nihil egerit, quia nõ concordabat cum ciuitate Mediolani, ubi ego erã & habitabam uel propè. Nam nulla fuit pestis aut magna calamitas ab eo tempore usque nũc in tota regione Mediolanensi in qua perpetuo habitaui. Et ex hoc patent duo corrolaria primum quod non afficiuntur homines à generalibus constitutionibus nisi afficiatur ciuitas. Ciuitas tamen afficitur etiam quod constitutio non adiungatur prouinciæ signo, & non potest adiũgi prouinciæ signo nisi prius cõsentiat cũ illo ex octo trigonis in quo est prouincia, & non potest affici trigonus nisi tota afficiatur pars, scilicet quæ est uniuersalis, & in qua trigonus continet. Causa aũt cur absq; testimonio trigoni loci deliquij affligitur ciuitas, non autem prouincia, est quia ciuitas habet principium per se, prouincia autem non nisi ut est pars quadrantis. Sed de ciuitate & homine est alia ratio, quia ciuitas potest pati pestem & excidium per se, quia cum sit res uniuersalis respicit constellationem uniuersalem, per se absque prouincia, homo autem nõ potest pati pestem aut excidium absq; excidio aut peste ciuitatis: Quia cum sit singularis non est subiectum proportione respondens causæ uniuersali. Similiter est animaduertendum signum ascendens pro ciuitate, nam si congruat prouinciæ aut loco Lunæ aut Solis aut horoscopi ædificationis, augebit effectum. Quia cum locus deliquij non sit nisi unus, non potest concordare nisi cum loco principali ciuitatis, nec posset concordare uel cũ prouincia nisi ubi ciuitas haberet ascendens ipsius prouinciæ, sed hoc non semper ita euenit, imò omnes ciuitates unius prouinciæ afflliguntur diuersis temporibus: igitur concordia est sumenda etiã ab ascendente. Sed Ptolemęus commemorauit solum principalem locum qui est deliquij. Manifestum est igitur ex ista demonstratione quod nõ est necessaria concordia prouincię, ut ciuitas deliquio subijciatur. Secundum, quod quilibet potest euadere à talibus infortunijs generalibus mutãdo regionẽ nisi sit omnino cõnexus per ascẽdẽs aut significatores primos.

Secundum autem uniuersale est quod ducitur ex causis ipsius effectus: & illæ erũt eclipses primo Solis uel Lunæ: deinde stellæ quæ loca eclipsium respiciunt, aut quæ simul ascendunt aut in cœli sunt medio. Nihil autem refert seu transitibus scribas seu circuitibus, quod Græca dictio sonat.

TEXTVS XXII.

Sed prędictionum huius partis, una est localis, quæ cõtinet pręscientiam regionum ac urbium, quibus intenditur significatio particulariter defectuum luminarium, aut concurrentes stellarum menstruationes, quę sunt Saturnus, Iupiter, Mars cum stationarij fiunt.

In par-

In parte hac declarat primum proprium quod ad locos pertinet, quod sumitur ex defectibus luminarium aut stationibus trium superiorum, quoniã ut dictum est uix inferiores dicuntur habere stationes. cum fuerint superiores hi domini loci eclipsis, uel in ipso loco eclipsis, uel in aspectu ipsius eclipsis, uel exoriantur hora eclipsis & maximè si cum horum uno fuerint in stationibus, aut oriantur chronicè, id est uespe ri, in oppositio Solis: aut occultentur ita ut sint quatuor status horum principales, & tres qui accedunt.

Notandum quod eclipsis quanto maior fuerit tanto ipsa est generalior: & gene raliter, licet non semper, centrum Lunæ proximius est ipsaq; Luna eclipticæ: imò fer mè necessarium est cum eclipsis generalis fuerit ut Luna circunferentiæ extremitate saltem tangat eclipticam: ideoq; effectus fiunt uehementiores atq; generaliores, tum uerò diuturniores.

Notandum etiam quod ex deterioribus concursibus quæ in cœlo fiant est coniun ctio Saturni & Martis in Cancro cum deliquio coniungitur: quoniam Saturnus ca dit à domo, Mars ab exaltatione, & Saturnus corrumpit effectus Lunæ quæ ibi habet domum, & Mars corrumpit effectus Iouis qui ibi exaltatur. Et Martis calor in signo æstiuo augetur & Saturni frigus propter Lunam: & est signum propinquissimũ uerti ci nostro & quadratum respectu Arietis quod dominatur in Europa quãuis non in Italia. Est etiam signum quod præest mari & morbis serpentibus ut elephantiasi & prauis ut carcinomati & phagedenæ.

TEXTVS XXIII.

Altera est temporalis, qua comprehenditur & significationũ tempus, & durationis magnitudo.

Hoc est secundum proprium quod cõtinet duo genera temporis dilationis & per seuerantiæ. Exemplum: fit eclipsis aliqua Solis decima Maij alicuius anni, quę durat una hora & tertia parte horæ & distat ab occasu quatuor horis ad unguem: tunc dice mus quod initium istius effectus eclipsis erit post quatuor menses à tempore ipsius eclipsis propter quatuor horas distantiæ: Et quod durabit anno & tertia parte anni: & ita de tempore magnitudinis effectus. Hæc autem inferius apertè declarabuntur.

TEXTVS XXIIII.

Tertia generalis, in qua inest cognitio, quibus quidq; rerum generibus aduenturum sit.

Vult declarare in ea parte genus materiæ, seu subiectũ in quo erit futurus euentus, scilicet an erit in terra, uel in aqua, uel in aëre, uel in arboribus, uel segetibus, uel in pi scibus, uel in serpẽtibus uel in auibus, uel quadrupedibus: & sunt genera decẽ subie ctorum hominibus additis. Sed hominũ genus diuiditur per sexus, ętates, leges, cõdi tionem & qualitatẽ. Sexu an in masculis an in fœmininis? Aetate an in pueris, an in iuuenibus, an in senibus? Lege an Christianis an Maumethanis, aut reliquis? Con ditione an in infima plebe, an patritijs, an magistratibus, an principibus? Qualitate an in bilioſis uel pituitosis? uel sapientibus, uel rudibus? uel ociosis uel exercitatis? uel artificibus, aut agricolis?

Denique ex tot conditionibus dum una alteram contrahit ad ipsa fermè singularia peruenimus, & distincte poterimus dijudicare de genere patientis.

Notandum circa intellectum propositorum & perfectionem eorum quæ tractan tur à Ptolemæo, quod quinque sunt necessaria in omni actione: agens & est princi pium ut deliquia & stellæ cum illis coniugatæ: patiens & est genus materiæ, de quo nunc dictum est: & locus de quo loquetur in capite sequenti: & tempus de quo dixi mus quòd habet duo genera dilationis & perseuerantiæ: & qualitas effectus de quo in sequenti textu. Ergo Ptolemæus nihil addidit superfluum neque defecit in ali quo necessario.

TEX-

TEXTVS XXV.

Quarta & ultima ſpecialis, qua definit ſingilatim modus uenturorū.

Hæc autem ſunt uelut caſus domorum, læſiones à ſerpentibus, faces & cometæ in cœlo, peſtis, bellum, naufragia, inundationes, ſterilitas, ſeditiones, atque talia.

Caput quintum.

TEXTVS XXVI.

De Regionibus quarum ſint ſignificationes.

PRimam igitur quam diximus localem ita explicabimus. In copulationibus enim defectiuis Solis & Lunæ, præſertim euidentibus, cōſiderabimus defectiuum ſigniferi locum, itemq; conciliationes cum ſignis regionum per triangula. Item quid habeat conſenſum cum loco defectiuo ſigniferi, ſiue in urbiū primis extructionibus, ſiue ab horoſcopo, ſiue ab illis locis quæ tum lumina occuparunt, ſeu MC. eorum qui iam rerum ſummæ præſint. Quibus conciliationibus repertis, decernemus euentus omnino ad illas quarum fuerint regiones pertinere, inq; primis ſi cum ſigno defectiuo coniungantur, & ſi ipſis deliquium ſupra terram exiſtens apparuerit.

Lunæ deliquia fiunt interpoſita terra inter ipſam & Solem, quo fit ut cum ipſa ſoleat lumen à Sole recipere, non recipiat, & fiat obſcurior, non tamen planè obſcura, ſed quaſi rubra: quia præter lumen Solis & ipſa quippiam habet luminis quo luceat uelut obſcura pruna. Cum igitur Luna delinquit, cum uerè lumine Solis priuet̄, modo ipſa ſit ſuper terram, deliquium eius uideri poteſt. At de Sole non eadem eſt ratio, quippe Sol delinquit Luna interpoſita inter ipſum & terram, quo fit ut Lumen Solis intercipiatur ab oculis noſtris non tamen ab ipſo Sole aufertur cum ſit ipſius proprium. Itaque cōtingit Solem eſſe ſupra terram & deliquium pati apud quaſdam gentes, apud alios autem non, propter aſpectus diuerſitatem. Vt igitur locus à deliquio affici debeat in Luna, duo ſunt neceſſaria: unum quod Luna tunc temporis in hemiſphęrio ſuperiore illius loci ſit, & cum prouincia illa concordet ſigno uel trigono ſaltem: ſecundo cum ciuitate in Solis loco uel Lunæ uel aſcendentis, uel cū medio cœli illius qui regit ciuitatem ipſam. In Sole uerò neceſſarium eſt præter id quod ſit ſuper terram & conueniat locus eius prouinciæ uel ciuitati, ut illi parti prouincię atque ciuitati eclipſis ipſa appareat. Fieri enim poteſt ut diximus quod quāuis Sol ipſe deliquium patiatur & ſit ſupra hemiſphærium alicuius gentis, attamen propter aſpectus diuerſitatem gens illa deliquium nullum Solis patiatur, ſed Solem totum, clare, lucidum atq; liberum intueatur. Quo fit ut duæ maximę dubitationes emergant neceſſariæ admodum, quarum altera eſt.

Quòd ſi eclipſis neceſſaria eſt ut uideatur illi genti, igitur uis eius non conſiſtit in hoc quòd ambo luminaria ſub eadem linea ferantur quæ ecliptica nominatur? Quandoquidem & in eclipſibus tam Lunæ quàm Solis quę ſub terra fiunt, Luna ſub ecliptica ſemper ſit, aut ualde propè: Et in eclipſibus Solis quæ ſupra terram fiunt ab aliqua tamen gente non uidentur propter aſpectus diuerſitatem, Luna etiam ſub ecliptica eodem modo ſit, aut ualde propè: nec tamen ullam eius rationem habendam cenſet Ptolemæus, nec illarum quæ ſub terra fiunt. Quin imò magnitudinem eclipſiū Ptolemæus pro magnitudine prouinciarum & uehementia effectuum metitur: & tamen contingere ſæpe ſolet in Solaribus eclipſibus ob aſpectus diuerſitatem ut maior fiat obſcuritas ipſius Solis dum Luna aliquantulum ab ecliptica recedit: longè uerò minor

nor dum sub ipsa linea exquisitissimè fuerit. Ergo uis deliquij in luminis defectu consistit, & non principaliter in appropinquatione Lunæ ad eclipticam: Non tamen negauerim etiam illam propinquitatem aliquid facere ad effectus magnitudinem. Sed illud quod Haly impulit ad credendum quod principalior causa effectuum deliquij propinquitas esset Lunæ ad ecliptică, fuit quod defectus est priuatio, & priuatio inter causas agentes referri non potest. Præcipuè uerò quod Ptolemæus deliquia non solum inter causas malorum, sed etiam bonorum refert. Ergo dicẽdum est quod per deliquia luminarium lumen ipsum quod ad nos transit (nam neque unquam Luna ut dixi ex toto priuatur lumine & multo minus Sol, sed in maximis deliquijs quod corpus Lunæ perspicuum sit adeò ut Venus per ipsam intueri possit, ut in physicis declarauimus, lumen croceum ad nos deueniat) affectum externa qualitate immutat, & concutit partes orbis loco in quo est, addictas. Fieri igitur non posset ut si deliquia lumen auferrent ut inter causas agentes & præsertim bonas numerari possent. Sed non aufertur lumen ipsum, uerum immutatur, ideoq; hæc mutatio tum bona esse potest quàm mala: sæpius tamen mala.

Secunda dubitatio est quid per consensum intelligat cum loco defectiuo significari? Respondeo quod in prouincia uult quod sufficiat quod sit ex trigono illo: Sed in ciuitate oportet quod conueniat ex signo eodem: quia conuenientia hæc sumitur à loco Solis uel Lunæ uel horoscopi: Cum igitur sumatur ex tot locis si non referrentur ad signum solum deliquij sed ad triangulum, fieri non posset fermè, ut ulla ciuitas illius prouinciæ ab eo effectu esset immunis, quod tamen rarissimè contingit. In prouincijs autem ob id consensus trianguli solus sufficere potest, quia ipsę regiones non certam habent rationem qua uerè signo subijciantur: Sed solum illam communem quæ dicta est: At ciuitates genesim ut dictum est habent. Propterea in ciuitatibus uel illarum principibus signi consensus requiritur, trianguli non sufficit, in prouincijs autem sufficit. Ex hoc patet quod si consensus fuerit ex gradu, deliquij effectus erit ualidior & certior: sin ex paucis gradibus, eo minor quo magis distiterit locus deliquij à loco principali ciuitatis. Similiter & magnitudo deliquij in plures partes signi consensum extendit: ita tamẽ ut nunquã totum signum prætergrediat. Habenda est etiam ratio cuius luminaris deliquium sit: nam deliquiũ Solis in plures partes extenditur signi quàm Lunę: Et ut extenderit, maiores etiam effectus facit: Lunæ uerò etiam si extendatur in extremis effectus, multum uirium amittit. Facit & ut dixi aliquid propinquitas Lunæ ad eclipticam. His quatuor modis effectus deliquiorum magis aut minus extenduntur in eiusdem trigoni partibus: Et ad plures aut paciores ciuitates, maioresq; aut minores effectus producunt.

Caput sextum.

TEXTVS XXVII.

De Tempore euentuum.

SEd temporalis tractatus qui complectitur significationũ tempus & durationem, talis est. Cum enim quæ deliquia eodem tempore accidunt, non soleant apud omnes ubique habitantes eisdem horis inæqualibus consummari, nolo autem & Solis & Lunæ deliquia intelligi, neque etiam obscurationẽ nec durationem pariter intẽdi, primũ in unaquaq; regione cuius situs ratione cõprehensus est ad horam deliquij, poli altitudinem & cardines tanquam in hominis genitura exprimentur, deinde exquiretur quot horarum æquinoctialium in unaquaque comprehensa ratione regione duratio sit obscurationis. His enim constitutis, quotquot horas æquinoctiales inuenerimus, tot in

tot in solari quidem deliquio annos, Lunari uerò menses duraturos effectus pronunciabimus.

Duo sunt genera horarum: unum quidem quod uocatur æquinoctialium seu æqualium, & est temporis spacium quod est uigesima quarta pars eius quo Sol ab ortu ad ortum redit, seu à meridie ad meridiem: alterum uocatur inæqualium & sunt duodecima pars temporis ab ortu Solis ad occasum, seu diei artificialis: quam palam est & pro uarietate temporis & regionis uariam esse. Siquidem in æstate longiorem quam in hyeme, & apud Scotos quàm apud Italos. Quibus cognitis, manifestum est deliquia tam Solis quàm Lunæ neque eisdem horis inæqualibus terminari, id est durare apud omnes gentes: atque id est primum. Neque eisdem horis inæqualibus incipere apud omnes aut desinere: hoc enim diuersitas facit meridiani, quandoquidem prius apud occidentales incipit ac desinit: illud, diuersitas altitudinis poli: atq; id secũdum est. Neque æqualium horarum comparatione æqualiter incipiunt: prius enim apud occidentales ut dictum est, atq; id est tertium. Neque in solari eclipsi æquale tempus est apud omnes, atq; id quartum est. Solũ quintũ supereſt, quod est commune omnibus gentibus, scilicet tempus horarum æqualium eclipsis Lunæ idem esse. Placuit autem Ptolemæo exemplum solum primi dare: quanquam litera hæc diuersis modis legi soleat: dummodo tamen quinto non legatur, uerissima est. Quod uerò de obscuratione ac perseuerantia dixit, iam ad tertium sensum & quartum referri debent, ac si diceret eclipses Solis ac Lunæ apud omnes gentes in eisdem horis inæqualibus non perficiuntur, neque obscuratio aut duratio eodem tempore uel horis æqualibus incipiunt aut perficiũtur: hoc autem postremum ad tertium modum pertinet. Quod si ad Solem solum referas ut Haly facit, posset ad quartum referri modum. His intellectis, figura fiat dicit Ptolemæus quemadmodum in genesi erectis quatuor cardinibus: inde consideretur quantum temporis intercedit inter initium, finemq; deliquij, quotq; erunt æquinoctiales horæ in Sole deliquium patiente, tot erunt anni effectus: & pro partibus horarum partes eædem anni: Luna uerò pro singulis horis atq; partibus menses totidem exposcit. Ex quo patet quod cum effectus magni procedant ab eclipsi Solis, & eclipsis Solis non possit durare plus duabus horis & media æqualibus, quod nulla magna calamitas potest durare, plus duobus annis cum dimidio. Verum nec leuiores possunt plus durare quia fiunt à Luna deliquium patiente, Luna autem licet in deliquijs tres horas cum dimidio possit excedere, quia tamen menses significat non potest producere calamitatem.

TEXTVS XXVIII.

Cæterum exordia ipsa & uehementiores progressiones cognoscentur ex loci defectiui habitu erga cardines. Nam cum locus ille inciderit in orientalem finitorem, significat euentuum exordia circa primos quatuor sequentes statim deliquij tempus menses futura esse, uehemẽtiores autem progressus in primo triente totius durationis affectionalis. Sed si inciderit idem locus in MC exordia erunt proximè sequentium mensium & trientis medij totius durationis. In occidentali autem cardine significantur exordia ultimorum quatuor mensium & ultimi trientis totius durationis futura esse.

Hoc est secundum, & sumitur ab horis inæqualibus, docetq; duo simul inuenire, tempus initij euentus & magnitudinis. Et est ut uideas qua in parte contingit locus eclipsis, id est initium eius: quod quidem initium potest esse sub terra. Sed tamẽ melius est ut existimemus propter ea uerba capitis præcedentis (supra terrã existens apparuerit) quod sit ab initio orientis usque ad occasum, diuidendo per duodecim horas quas uocant temporales seu inæquales, & secundum totidem horas menses numerentur:

merentur. Vt pote si distéterit ab ascendente quatuor horis, initium erit quarto mensi. Vel melius, ut medium ipsius deliquij pro tempore eclipsis statuas, & uideas figura constructa cui cardini propius sit: Etsi fuerit propius ascendenti, continget euentus ille in primis quatuor mẽsibus: & si medio cœlo ultro citroúe, in quatuor sequentibus mensibus: & si occidenti, in quatuor ultimis mensibus. Deinde dicit quod eadem ratione si deliquij locus medio eius tempore quo scilicet maximũ est fuerit propinquius ascendenti, effectus maximus apparebit in prima tertia parte tẽporis ipsius effectus: & si medio cœlo ultro citroúe, in secunda tertia parte temporis effectus: & ita si propinquius occidenti, in tertia & ultima parte. Exemplum sit eclipsis Solaris, cuius tempus deliquij sit unius horæ cum dimidio: & palam est quod significat effectum qui durabit anno cũ dimidio: cadat igitur locus deliquij tempore maximæ obscuritatis iuxta ascendens alicuius regionis, tunc initium talis effectus puta pestis significatæ per tale deliquium, continget in primis quatuor mensibus, & per primos sex menses sequentes erit ualidissima, deinde mitigabitur paulatim donec compleantur decem octo menses ab initio in quo pestis incepit: Seu ante uiginti duos menses post tempus eclipsis. Rursus sit locus deliquij iuxta cor cœli magis quam orientem uel occidentem: tunc incipiet effectus seu pestis inter quartum & octauum mensem ab hora deliquij, & per sex menses sequentes, scilicet usq; ad quartumdecimum fermè ab hora eclipsis augebitur mediocriter, deinde sex alijs mensibus sequẽtibus fiet maxima pestis: post reliquis sex mensibus ita declinabit, ut post uigesimum sextum mensem tota finiatur. Rursus sit ut illa eclipsis cadat in occidentem, tũc effectus incipiet ab octauo mense usq; ad duodecimum: & per duodecim menses sequẽtes non erit nimis magna, sed in ultimis sex mensibus sequentibus qui fermè terminabuntur ad trigesimum mensem, erit maxima pestis. Ex his sequitur quòd nullius eclipsis effectus potest extendi ultra tres annos cum dimidio ab hora ipsius eclipsis. Et hoc erit quando fuerit maxima eclipsis Solis quæ non attingit duas horas cum dimidio, & fuerit in occidente: tunc enim incipiet in fine anni ab hora eclipsis, & durabit duobus annis cum dimidio fermè, & ita extendetur effectus usque ad tres annos cum dimidio. Eclipsis uerò Lunę eadem ratione quando fuerit maxima & in occidente, non poterit effectus eius extendi ultra sexdecim menses: scilicet duodecim dilationis & quatuor operationis. Opinio igit̃ Ptolemæi est quod omniũ eclipsium effectus incipiant intra primum annũ ab hora eius. Haly uerò deceptus est existimans quod posset proferri in deliquijs Solis usque ad duodecimum annum propter authoritatem in Centiloquio quam credidit esse Ptolemæi, quoniam falsò illi ascribitur. Similiter & deceptus est quod protulerit effectus eclipsium in multos annos, cum id facere non possint, neque secundum Ptolemæi opinionem ultra duos cum dimidio, ut dictũ est, extendantur. Quod uerò medium eclipsis & non initium assumamus, rationem habemus ex præcedenti capite, cum dixit (In copulationibus enim defectiuis Solis & Lunæ præsertim euidentibus considerabimus defectuum significri locum) nam conjunctionem luminarium seu copulam præsupponit: hæc autem non fit nisi in medio eclipsis. Secundo, quia euidentia quærit, euidentissimum autem medium, nõ initium ipsius deliquij. Præterea non loca, sed locum considerare docet: Sed si initium considerare oporteret & finem, par enim est ratio utriusq;.

TEXTVS XXIX.

Verum particularium remissionũ, intensionumq; iudicia fient de intercedentibus toto tempore luminaribus copulationibus, cũ in locos authores effectionis, aut illis cõfiguratos inciderint, deq; alijs unà exorientibus stellis effectionis designatricibus, cùm aut in emersionibus aut occultationibus, aut stationariæ, aut noctu emicãtes, cõfiguratæ cũ authoribus effectionũ locis fuerint. Emergentes aũt uel stationariæ intẽdunt euẽtus,

dum uerò occultatum se eunt aut splendore Solis obruuntur, noctuúe emicantes, & de euentibus remitti aliquid solet.

Docet hac in parte singularia tempora in quibus effectus eclipsis iam inchoati augentur aut minuentur duobus modis, aut per interlunia seu plenilunia uel quadratas radiationes luminariũ, cum in locos authores effectionis, id est in locos eclipsis aut illi configuratos, id est ex trigono respicientes inciderint. Atq; hæc pulcherrima est regula, quoniam multi decipiuntur existimãtes luminarium coniunctiones & aspectus semper debere aliquid adiungere effectui iam per deliquium designato: cum tamen plerunq; potius minuant. Namq; si concordauerint, augebunt: si non cõcordauerint, non solum non augebunt, sed dum quippiam semper faciunt, aliud faciendo, minuunt.

(Deq; alijs) Intelligit stellas quæ cũ loco deliquij concordarunt: Concordia est, ut inferius docebit, cum dominatur Planeta è domo uel altitudine uel trigono uel fine, uel respicit locum. Si igitur quæ disponunt stellæ nouiter emergant, aut occultentur, aut stationem ingrediantur, uel noctu emicent, augent uel minuunt effectus. Augẽt quidem emergentes è Solis radijs haud dubiè, quia lumine & motu aucti sunt. Augent & in stationibus, quoniam licet debiliores sint, quia tamen firmi in uno loco, plus operantur: Debilis enim assiduè assistens plus operatur, quàm ualidus uagãs. Propterea ad fortunam bonam malamúe etiam in genesi stantes Planetæ plurimum ualent, quoniam inuariabilem decernunt. In animi aũt uiribus & corporis non idem possunt, quia sunt imbecilles. Dum uerò occultantur dispositores Planetæ, imbeciliorem reddunt effectum. Et similiter noctu emicantes, id est, cum Sol occidit. Planeta qui in oriente lucet is est occidentalis, & in die exortus, imò etiã retrogradus, is factus est imbecillis (Intelligit autem de superioribus tantum tanquam manifestioribus, nam status inferiorum obscuri sunt ualdè & implexi) ideo effectus minuunt.

Illud animauertendum est quòd de effectibus longioribus nõ tractat Ptolemęus quæ spectant ad coniunctiones trium superiorum, maximè Saturni & Iouis, quia effectus tardiores sunt, & non adeò euidentes: qui potius ad prophetas pertinent quã ad Astrologos. Hi tamen effectus, ut dictum est, ab ipsis eclipsibus augentur ac minuuntur, uel etiam ad actum deducuntur.

Caput septimum.

TEXTVS XXX.

De Genere euentuum.

TErtio loco propositum fuit cognoscere in quæ genera rerum euẽtus essent exituri. Hoc ipsum deprehendetur & de natura signorum & de forma in quas loci deliquiorum inciderint, horumq; locorum dominatrices stellæ, cum uagantium tum fixarum, hæc & de ipsius deliquij & de cardinali signo deliquij sunt intelligenda.

Genera accidentium descripsimus superius esse res subiectas quæ bifariam sumuntur, aut ex loco deliquij, aut Cardinali signo: locũ deliquij nemo ignorat qui sit: Verum signũ Cardinale appellat illud quod est in angulo sequente eclipsim, hoc enim in præsenti capite inferius declarat. Manifestum est autem quod nullus angulus potest sequi locum eclipsis nisi cœli cor & ascendens. Si enim eclipsis fuerit inter cœli cor & occidens, cor cœli erit signum Cardinale: sin autem inter ascendens & cor cœli fuerit eclipsis, erit signum Cardinale signum ascendentis. Horum unumquodq; quadrifariam imò quinque modis accipi debet: primum de natura signorum, ut potè

si sit

si sit in signo masculino diurnoq;, aut fœminino uel nocturno, æquinoctio, æstiuo, tropico, mobili, fixioue, imperante, obediente ac intuente, uel trigono. Secũdũ à forma non in nono orbe sed in octauo stellarum, auis, piscis, quadrupedis, humanaq;. Tertium à dominis locorum, puta domus altitudinis, trigoni, & finis. Nam ut sæpe dixi hæc solum sunt genera principatus stellarum. Quartum si quæ erraticæ in ipsis locis sint. Quintum si quæ pari modo fixæ sint in eodem loco. Atque id plurimũ potest in regionibus quæ plurimum distant ab æquinoctiali: Nam fixis magis regnatur quàm erraticis. Hodie quæ est uigesima sexta Iulij MDLII hora sexta à meridie in Scotia Edimburgi dum essem, nebulæ tantum in aëre apparuit, ut homo ab homine dignosci non posset, neq; tamen id frequens, cũ iam mense ab hinc expleto nihil tale uisum sit (nã iam illũ exegimus) nec tamẽ Luna ulli Planetæ iungebat, nisi quis uelit dicere Venerem Mercurio iũctam aut tardius quàm in Ephemeride, aut Solem Ioui celerius. Sed mihi profecto in causa fuisse uidetur quod Luna eo in parallelo ascendit spicę Virginis primę magnitudinis stellæ naturę Veneris & parum Martis, quę iuxta eclipticam posita est, eratq; cum quadrilatero Virginis naturæ Mercurij Veneriscq; quæ & ipsę iuxta eclipticam erant. Et rursus coascendit cum stella secundæ magnitudinis quæ est in Corona boreali quarta parte & minuto decimooctauo Scorpionis, boreali latitudine partium fermè quadraginta quinque, naturæ Veneris atque Mercurij. Itaque constat quantum fixę stellę possint, erraticæ quidem ab æquinoctiali ad tropicos maximè: fixæ, à polis ad quos declinant usque ad suos circulos: in temperata regione ut magis ad hanc uel illam extremarum appropinquauerint: Et pro magnitudine & luce & situs rectitudine supra regionis uerticem.

TEXTVS XXXI.

Dominatio autem stellarum errantiũ ita colligitur. Quęcunque enim pluribus modis utrique loco, id est, deliquij ipsius & hoc sequentis cardinis adiungi cernetur, ea sola dominationem occupabit. In hoc autẽ considerant proximæ & apparentes accessus & defluxiones, & ratione comprehensæ figurationes, itemq; domiciliorum, triangulorumq; potestas, unà cum altitudine & terminis.

Tres ordines pulcherrimos proponit: Primus est in genere coniunctionis corporum, & est applicatio & defluxus. Secundus in genere radiorum, & sunt sex: quatuor tantum tamen commemorat, & duo prætermittit tanquam nota. Tertius ordo est dominij: qui diuiditur in quatuor. Vt aũt primum singula discutiamus, sciendum quod corporis uis ualidior est quàm radij: Et ideo primus ordo sumitur à corpore, & diuiditur in applicationem & defluxum quarum applicatio ualidior est defluxu. Secundus ordo est ualidior tertio: quia radij sunt magis res secundum naturam, quàm potestas: Nam potestas est inuenta quadam ratione generaliore & ad aliquid dicta seu comparata. Ergo secundum ordinem, in species sex diuidere licet: ualidior est oppositio, inde quadratus, inde trigonus, post sextilis, post intuentia & imperantia: quanuis de his non constet an sextili debeant præponi. Hoc tamen infra uidebitur. In tertio ordine præponit domum trigono, & trigonum altitudini, altitudinem uerò finibus. Itaque tria sunt genera per ordinem posita, coniunctio, aspectus, potestas: genere quidem se præcellũt, sed non semper species speciem. Ordo autẽ specierũ talis est. Primum est applicatio: Secundum defluxio: Tertium oppositio: Quartum quadratus in contrarijs, & trigonus in similibus: Quintum est quadratus in similibus, & trigonus in contrarijs: Sextum sextilis, uel intuentia, uel imperantia: Indè septimum & & octauum: Nonum uerò est domus: Decimum trigonus: Vndecimum altitudo: Duodecimum finis. His intellectis, dicit Ptolemæus, debes uidere qui plures habet in utroque loco, scilicet deliquij & anguli antecedentis potestates, is erit dispositor.

TEXTVS XXXII.

Sin una eademq; stella dominium utriusq; loci, id est, defectiui & cardi-

nalis sortita non fuerit, præferetur quidem defectiui loci dominus, sed assumetur etiam ille qui præ cæteris utriq; loco pluribus modis de prę-scriptis adiungi uidebitur.

Hanc eandem regulã non satisfacere ubi plures sint domini ex diuersis locis sumpti, sequens textus edocebit. Vbi uerò ex eodem sumuntur loco maior minorẽ obscurat: ideoq; unum tantum sumemus dominum. Hic uerò cum ex cardine & ex loco deliquij dominos sumat, si nõ concordes fuerint, ambos accipere oportet, scilicet potentiorem in loco deliquij, & potentiorem loco cardinis. Vt sit regula generalis pulcherrima: quotiescunque fuerit unus locus tãtum significator alicuius rei, potentiorem in illo loco pro dispositore accipiemus: Si uerò duo aut plures loci fuerint significatores, principalis erit qui plus habet potestatis in primo loco, indè etiam illi ex ordine adiungentur qui reliquis locis primi imperabunt.

TEXTVS XXXIII.

Sed multis dominationem sibi uendicantibus propter æqualitatẽ respectus ad utrunque locum, præponetur reliquis uel cardinalior, uel potentior, uel qui maior s conditionis sectæq; fuerit.

Vt igitur ambigua fuerit domini ratio, præponetur ille qui in angulo fuerit: uel potentior, ut pote in domo sua, uel altitudine, peregrino: uel qui fuerit maioris sectæ & cõditionis, ut directus retrogrado, orientalis occidentali. Verum hæc regula non ualde necessaria est, cum raro contingat ut æqualis sint potentiæ plures stellæ. Illud tamen scire necessarium est, quod si plures æqualibus numero potestatibus præferantur, qui maiorem habebit potestatem eligi debet. Veluti quispiam est dominus domus & altitudinis, alius trigoni & finis, primus secundo præponi debet: Secũdus etiam habebit aliquid potestatis, non tantum quantum ille qui in alieno loco potestatem habente dominabitur.

TEXTVS XXXIIII.

Stellarum autem inerrantium assumetur ea quæ loco defectiuo quasi assederit in præcedente cardine, primũ splendore secundum nouem modos demonstratos in primæ cõpositionis nostræ libris. Deinde uel cum cardine orientis uel M C. sequente locum defectiuum reperta.

In fixis autem stellis duos angulos obseruare iubet, alterum quidem quem eclipsis ipsa sequitur, alterum quem antecedit. Vt si eclipsis sit inter septimum locum & medium cœli, primum locũ obtinebunt stellæ quæ sunt in septimo loco, inde in cœli medio: Quod si eclipsis fuerit inter cœli medium & ascendens, primum locum obtinebunt stellæ quæ in cœli medio, inde quæ in ascendente. Et ita antecedẽtes præponentur sequentibus, eligit tamen utrunque locum antecedentem & sequentem. Ex his nõ omnes eligit stellas sed quæ lumine præferunt: id est, maximè illustres. Præferuntur autem nouem modis, de quibus locutum fuisse affirmat in primę compositionis libris, id est, in octauo Magnę cõpositionis, quam uocant Almagesti: Vt pateat omnibus hunc eundem fuisse Ptolemæum qui & Magnã scripsit compositionem. Hi igitur modi sunt: Primus ortus matutinus, cum stella cum Sole oritur: Et hic est triplex, aut enim est parum post Solem, aut cum ipso Sole, aut parum ante Solem, & hoc solo potest uideri: & si uideatur est firmissimus status. Secundus qui dicitur meridiare: est cum Sole oriente stella cœli culmen attingit: Et hic triplex, uel enim postquam ortus est statim, uel in ipso ortu, uel ante ortum subito, & hoc solo stella uideri potest. Similiter totidem membra fiũt si Sole oriente stella sit in imo cœli. Hic in genere est ualidior primo, sed distinguendo tertius est ualidior sexto. Tertius est cũ Sole oriente stella occidit & habet tres differentias: uel post ortum, uel in ipso ortu, uel ante statim:

tim:Et hoc solo tertio stella uideri potest.Debilior est in genere & singilatim secundo,primo aũt ualidior nisi quod nonus est debilior tertio. Tres alij modi principales,scilicet quartus,quintus & sextus fiunt ad unguẽ ex opposito,scilicet Sole posito in occidente,aut enim stella est in occidente,& fit quartus modus:tria habens mẽbra ut primus,aut stella est in medio cœli,& fit quintus modus:qui & ipse habet sex membra,tria dum est in medio cœli,& tria dum est in imo,aut stella est in oriente,& sit sextus modus:habens tria membra:septimus modus est cum Sol est in medio cœli uel in imo,& stella est secũ uel in opposito, & ita habet quatuor membra:octauus modus est cũ stella oritur & Sol est in medio cœli, uel in imo, & ita habet duo membra: nonus modus est cum stella occidit & Sol est in medio cœli uel in imo,& sic habet duo mẽbra.In uniuersum igitẽ sunt XXXII membra & nouẽ modi principales,& in unoquoq; modo solum est unum membrum in quo stella uideri potest,& ita nouem modis solum stella uideri potest,ita ut Sol & ipsa sint in angulis.

Tunc cum stella est cum aliquo Planeta uel in angulo,considera,si in aliquem horum nouem modorum incidat an non:si non,est debilissima:si sic, considera an non uideatur & sit cum Sole: & tunc est etiã ualde debilis: Vel si non uidetur nec est cum Sole,tunc est debilis: Vel si uidetur & est cum Sole occidentalis:& est mediocris.Vel si uidetur & non est cum Sole:& est potens. Vel si uidetur & est orientalis à Sole: & est ualidissima.Hæ igitur sunt sex regulæ inseruientes nouem modis.

Sed dubitatur quoniam in erraticis præponit sequentem angulum & omittit antecedentem,in fixis autem nõ solum antecedentem omittitur angulum,sed etiam sequenti præponitur. Causa est quia erraticæ cum moueantur ab occidente in orientem magis,locum deliquij superasse uidentur,& ad illum ferri motu primi mobilis; At uerò fixæ cum ualde tardè moueantur ab occidente in orientem uidentur in precedente loco esse robustiores,quia orientales sunt à Sole.

TEXTVS XXXV.

Atque ita animaduersa in stellis authoritate effectuum contemplabimur & formas signorum,in quibus & deliquium ipsum & huius dominatrices stellæ repertæ fuerint, à quorũ proprietatibus modi generalium euentuum communiter ducũtur.Nam quibus signis forma humana tribuitur, siue in signifero, id est ecliptica intelligantur, siue per reliquos inerrantes appareant, significant euasuros euentus in genus humanum. Aliorum terrestrium formæ quadrupedes, assimilibus brutis, serpentes anguibus & huiusmodi,rursum feræ,immãsuetis & noxijs humano generi,mites,utilibus domitis,operamq; & adiumentum commoditatibus uitæ nostræ afferentibus pro cuiusque formæ descriptione, ut equi,bouis,pecudis,uentura portendunt. Præterea septentrionales formæ terrenæ, terræ subitos motus, meridionales nimborum fluxus afferunt. Iam cum loci illi authoritatis fuerint in figuris pennigeris ut Virg.Sagittar. Gallinæ,in aues & uolatica, inq; primis ea,quæ uictui apta sunt,similiter cum natantibus in aquatica & pisces euentus cadunt. Quæ figuræ si fuerint marinæ ut Canc.Capric.Delphin marinis piscibus,classibusq; insuper & nauigationibus:sin' Fluuiatiles,ut Aquar.Pisc.Fluuiaticis & Fontanis uentura decernunt.Argo autem utrunque genus complectitur.

Stellas quæ dominantur in loco deliquij & cardinis eum sequentis ordine signorum considerat, in quibus signis sint: tum etiam ipsius deliquij locum gratia exempli ascendat Gemini,deliquium sit in Ariete parte uigesima octaua:Mars & Mercu-

rius principaliter dominabuntur: sed Marti primus locus debetur. Sit igitur Mars in Virgine & Mercurius in Tauro, exẽpli gratia hoc in deliquio, Arietem propter deliquium, & Virginem propter Martem, & Tauri signum propter Mercurium considerabimus. Non quidem signa noni cœli sed quæ in octauo formantur ex configurationibus fixarum stellarum: Hoc enim nunc tractat. Tria autem in illis considerat, formam, mores, declinationem. Formam ut in uolatilibus, piscibus, quadrupedibus. Afficientur enim similia similibus. Mores ut in feris & mansuetis, & in nauibus ueluti Argo in marinis & fluuialibus piscibus, tum nauigijs detrimenta aut felicitatem significat. Ex declinatione autem septentrionale, terræmotus: in meridionali autẽ portendit imbres & tempestates. Hoc autem tam in figuris signiferi quam extra. Capricornus autem mare significat Australe, quia Cancer significat Boreale.

TEXTVS XXXVI.

Ad hæc repertæ authoritatis stellæ in signis tropicis ac æquinoctialibus communiter aëris & temporis sui statum significant: propriè autem Vernum tempus & ea quæ è terra nascũtur. Si enim reperiantur in æquinoctio Verno, iudicio sunt pululationum arborum fructiferarum, ut uitis, ficus, fructuumq; maturitatis. In solstitio perceptionum frugum & conditionum, peculiariter autem in Ægypto & Nili exundationis. In æquinoctio autumnali sationum & pabulariorũ & huiusmodi. In bruma olerum & auium ac piscium illius temporis.

Nunc aggreditur signa nonæ sphæræ: seu quæ distantia ab æquinoctiali uel motu solis esse intelliguntur potius quam sint (Hæc autem sunt de quibus locutus est superius à capite de anni temporibus usque ad caput de carpentis, in præcedenti libro) illorumq; significata docet. Nam tropica & æquinoctialia aëris mutationem significant, & propriam conditionem satorum & arborum eo tempore. Præcipuè autẽ æstiuum solstitium uim habet in Nili inundatione. Sed hæc propria Ægypto est. Ipsa autem textus structura clara est.

TEXTVS XXXVII.

Sed æquinoctialia etiam significationem dant sacrorum & diuinæ curæ. Tropica mutationum aëris & in rebus publicis morũ ac legum.

Præter generalia æquinoctiorum & tropicorum signorum significata Ptolemæus subiungit propria uniuscuiusque, scilicet quoniam æquinoctia super status legũ dominium sortiuntur. Haly declarat causam dicens, quod in talibus signis fit augumentum diei ac noctis: ut pote dum Sol est in Ariete dies augetẽ: & dum Librã peragrat nox crescit: Itaque, inquit, cum consensus hominum in legibus fiat, cõsensus autem hominum significetur à signis æquinoctijs: Ideo etiam & leges per illa. Sed clarius leges constant mutatione opinionum quæ significatur per signa æquinoctia: quoniam dum Sol est in æquinoctijs signis facit uigintiquatuor minuta quãdoq; declinationis singulo die, ergo maximam mutationem affert in rebus humanis. At nulla est maior mutatio quàm legis promulgatio quæ plerunque fit aduersus constitutiones Principum & pœnam mortis & consensus patritiorum & magistratuum. Ideò est tanquam fax quædam in mentibus hominũ accensa quæ fertẽ maximo impetu quasi ardens ex cœlo demissa, quam homines hauriunt ueluti hianti ore, contempto metu mortis, & gratia principum, ciuilibusq; legibus, commodis proprijs ac filiorũ, ut quidam gaudeant illos contra omnem humanitatem (modo constãter pereant) à carnificibus excruciari, ob legis amorem. Est & alia ratio similitudinis, quia initiũ signi æquinoctij commune est ipsis ambobus, hemisphærijs: Leges autem ipsę solæ inter omnes communes sunt toti humano generi: Ideò ergo merito leges signis æquinoctijs assimilantur atq; tribuuntur. Necesse est igitur ut talia signa rebus quæ ad leges pertinent: ut

sunt

sunt sacra, ceremoniæ, hæreses, emendatio, quam uocant reformationem, sacerdotia, redditus, Pontificatus, ac talia præsint. Tropica uerò signa significant mutationem aëris quoniam efficacissimæ fiunt qualitates illius cum Sol est in eis, caloris uel frigoris: omne autem ut dictum est potentia tale fit princeps illius in toto genere. Veluti quod summam efficit caliditatem caloris princeps est, & illius quantitatem modera tur. Præsunt & mutationibus legum & moribus: mutationibus quidem legum quia maximè ab æquinoctijs distant tropica, & quoniam cum Sol est in eis cursum mutat: Nam si prius ibat ad austrum ubi ingressus fuerit Capricornum redit ad Septentrionem: contraria ratione in Cancro. Mutatio autem morum fit eadem ratione qua mutatio legum, tum etiam quia mutatis legibus, necesse est & mores mutari.

TEXTVS XXXVIII.

De solidis iudicium fiet fundationum & substructionum. De bicorporibus hominum, ipsorumq; Regum.

Ponit duo genera reliqua signorum, nam in prçcedenti textu de mobilibus locutus est, hic de fixis & communibus seu bicorporeis. Fixa igitur res significant quæ illis meritò debentur: Debentur autem ædificia, quoniam ita comparatum est, ut quæ ædificia manere debent, sub fixis signis ędificentur: Sunt autem fixa ut dixi ♉, ♌, ♏, ♒. Communia autem significant homines quia ex illis tria sunt forma humana, scilicet ♊, ♍, ♐. significant autem super Reges propter similitudinem, quia Reges plerunque sunt duplicis animi, & ualde callidi, & Sagittarius maximè. Et ideò poëtæ rectè finxerunt magistrum Achillis fuisse centaurum Chironem, quia Reges & Magistratus primo habent faciem humanam ad alliciendum homines & ita audiunt blandè, quos etiam oderunt exitialiter: Inde in receßu cum habeat Sagittarius partem posteriorem ferinam, uel quasi non cognouissent, ingratè quosdam, alios crudeliter tractant. Et eos quos tam libenter & auidè amplexabantur, dum illis indigebant, peracto negocio quasi illos non agnoscant, neque admittunt, & admissos non audiunt, & auditos superbis responsis repellunt à se. Igitur Reges & homines tanquam duo extrema posuit, sub quibus magistratus etiam intellexit. Sunt & alij Reges, magistratusq; significati per Geminos & Virginem: qui quamuis sint subdoli sunt tamen meliores & sapientiores & humaniores, quorum quidam sunt grati: qui cum Sole uel Ioue uel Venere aliquid commune habent: Qui à Sole ob magnificentiam, ut dicatur de eis (non quia auari non sint natura) talis Princeps aut Rex est magnificus: Qui uerò à Ioue, sunt liberales & dant, quia existimant tales mereri. Hi autẽ pauci sunt, quoniam Iupiter nullas habet uires in Geminis nec Virgine imò cadit in illis: Sagittarius autem ut dixi partem posteriorem ferinam habet. Qui uerò à Venere propter innatam quandam mansuetudinem atq; beneuolentiam: uel propter persuasionem aulicorum atque hi plurimi sunt: pauciores qui propter Solem: pauciſſimi uerò ob Iouem.

TEXTVS XXXIX.

Quæ uerò tempore deliquij orientali magis positu fuerint, fructibus, adolescentiæ, fundamentis euentura, sed à MC. templis, regibus, ætati uirili. Occidentalia autem legum, institutorumq; mutationes & senectę casus, & uita functos significant.

Tres ordines nobis insinuat: Vnum quando eclipsis & significator fuerint iuxta orientalem angulum: Secundum cum iuxta cœli medium: Et tertium cum iuxta occidentem. In unoquoq; autem eandem seruat rationem, ut si fuerint iuxta orientalem angulum, significat initia omnium rerum aut res quæ facile perficiuntur. Ex ætatibus igitur exemplum dat adolescentiam, & tanto magis pueritiam & infantiam. Ex ædificijs eadem ratione initium: Initium autem sunt fundamenta. Fructus autem significat quia facile perficiuntur. Et sic per hæc exempla significabuntur etiam germi

na & disciplinæ primę, ut Grammatica, & Tyrones. In medio cœli perfecta & magnæ authoritatis: Vt est ætas uirilis: ea enim perfecta est, & templa & reges qui sunt in magna uenerationę. Si uerò uersus occidentem quæ sunt in extremo uel iuxta extremum: ita tamen ut adepta sint perfectionem. Itaque qui uita functi sunt in extremo iam fuerunt: Senes propè extremum. Leges autem & instituta similiter suos fines habent, nam & ipsæ suam perfectionem habuerunt. Indicat autem septimus locus mutationes & interitus: propriè autem leges & instituta quæ sæpius & facile mutantur, ob id occidentalis angulus in talibus plurimum potest, quod sæpius illis imperet. Fit autem in omnibus etiam cœlestibus ut sympathia quadam & assuetudine dominium sortiantur atq; regant.

TEXTVS XL.

Cæterum quatenus in deprehensum genus affectiones progressuræ sint, ostendet magnitudo obscuritatis deliquiorum & erga defectiuũ locum stellarum authoritatem sortitarum habitudines. Nam uespertini erga Solaria deliquia. Matutini uerò erga Lunaria, minora omnia reddunt. In oppositionibus autem dimidium demunt. Sed matutini erga Solaria, uespertini erga Lunaria deliquia augent.

Magnitudinẽ affectus & subiecti declarat: scilicet an si gratia exempli super puros influxus extendatur, an super plerosq;, an paucos, an mediocres. Id uerò ex duobus coniectatur ex magnitudine deliquij: magnum enim in plerosq; extenditur, minimum in paucissimos. Tum uerò ex stellis dominantibus: Atque in his tres status declarat, unum communem, scilicet quod quando erũt in oppisito ipsius eclipsis afficietur dimidium illius generis: In eclipsi autem Solari si fuerint orientales aut in Lunari occidentales ab ipsa Luna tanto plus dimidio significabunt quanto erunt ipsi eclipsi proximiores, & tanto minus quanto remotiores: quod si in Solari fuerint occidentales aut in Lunari orientales eo minus quo fuerint propiores ipsi eclipsi. Eademq; ratio in quantitate eclipsis seruanda erit: Nam si umbra perfecta fiat & maxima in Luna quæ fieri possit, totum genus definitum afficietur: si dimidium fiat maximæ umbræ, tunc uerò fermè tota Luna eclipsabitur, dimidium definiti generis afficiet. Propterea in eclipsibus Solis quantitatem partis obscuratæ obseruabis, in Lunæ autem ipsius umbræ.

Caput octauum.

TEXTVS XLI.

De modis futurorum.

QVarto loco proposita fuit à nobis exquisitio modorum præcogniti euentus, hoc est, in bonum ne an malum illi euasuri, & quales per utrunque in sua specie futuri essent. Hocipsum declarat naturalis efficientia stellarum dominantium in authoritatum locis, & cum ipsarum secum tum etiam cum ijs locis in quibus ipse fuerint commistio.

Erat quartum genus conditionum futurorum qualitas ipsa euentuum. Id autem su-
Cap. 4. perius declaratum est. Ex duobus autem uenatur, stella quidem dominante in locis & eas quæ illi commiscentur: seu quæ commiscentur & ipsę dominentur, seu non. Nam prius dixit plures dominos aliquando necesse fore ut accipiamus. Ponamus exemplum, fiat eclipsis Solis in initio Capricorni, sitq; in medio cœli Saturnus dispo-

net

net: ipse uerò sit in decima parte Aquarij, Iupiter uerò in nona parte Libræ, Mercurius autem Saturno applicet ex fine Capricorni, tunc hic accipiemus qualitatem significationis à Saturno primũ, inde Mercurio, deinde Ioue. Rursus fiat eclipsis Solis in Leone parte quidem uigesima quarta, sit uerò tunc Sol in undecima, ascendat autẽ in eo finitore Libræ pars uuigesima quarta. Quoniam igitur Sol excluditur ab hoc negocio Iupiter dominabitur loco deliquij finem ibi habens & trigonum, Saturnus uerò cum Mercurio & Venere loco ascendentis. Sint autem omnes hi Planetæ in Virginis principio quod signum est domus, altitudoq; Mercurij, fiet Mercurius omnium dominus, inde uerò Iupiter, post Saturnus, ultima erit Venus. Itaq; non tam inspiciendum qui Planetæ dominentur quàm qui non dominentur: pauci enim sunt qui non dominentur. Atque in his qui dominãtur respicere oportet ordinem ipsum. Itaque iam uides discrimen loci effectus qui à signo eclipsis & uisione eiusdem sumitur: Et temporis quod sumitur à loco deliquij inter orientem & occidentem. Habetur & de subiecto quod ex loco deliquij, locoq; stellarum dominantium. Et qualitate euentus quæ sumitur à natura stellarum dominantium deliquio & cardini & quæ illis commiscentur: uel radijs uel quia dominæ sint locorum in quibus ipsę stellæ sint constitutæ.

TEXTVS XLII.

Nam Sol & Luna ut Principes omnium imperium & edictionem pe nes se habent, authores effectionum & dominationis ius stellis committentes, ipsorumq; stellarum aut uires augent aut imminuunt. At quibus stellis potestas contigit commistionis earum consideratio demonstrat euentuum modos.

Dat differentiam inter Solem & Lunam & reliquos quinq; Planetas, dicens luminaria significant affectionem & magnitudinem ipsius affectionis. Vtpote Sol si deliquium patiatur, causa est ut fiat effectus in istis inferioribus & secundum quantitatem deliquij magnitudinis & paruitatis. Et possunt cõparari accensioni ignis in fornace: Nam cum accensus fuerit ignis in fornace, non significat nisi quod possunt fieri multa medio illius, & quod si est magnus possunt fieri magna, si paruus parua: nõ tamen andebeant coqui lateres, an liquescere uitrum, an purgari argentum, an separari ferrum ab ære, an commisceri plumbum nigrum albo? & sic de multis alijs. Hoc igitur simile pertinet ad quinque Planetas, scilicet definire qualitatum euentus.

Sed iam dubitat quomodo poterimus distinguere hos euentus, si in omnibus eclipsibus fermè quinq; Planetæ dominantur? Respondeo oportere diligenter inquirere, quinam primus sit dominus, qui secũdus, qui tertius, qui quartus, & qui quintus? Nec solum inspicere qui plus dominetur, sed qui plus possit. Cum enim idem fuerit dominus loci deliquij & loci sequentis anguli, ille prorsus erit dominus & principalis. Quod si non fuerit unus idem Planeta, si quis locum deliquij aspexerit aut ad illum applicuerit uel fuerit in sequenti angulo ille erit primus etiam & principalis dominus. Quod si neutrum horum fuerit: inspiciemus an alter alterius loco dominetur: & qui Planeta ab alijs Planetis acceperit testimonia, & illum statuemus primum dominum in hac causa. Et similiter si stellæ fixæ commistus fuerit quæ lucida extiterit & nobilis idem continget. Vltimum est cum nihil horum contingat, tunc primus dominus erit is Planeta qui loco deliquij præest: secundus qui loco cardinis sequentis præfuerit: tertius qui locis in quibus primi duo fuerint.

TEXTVS XLIII.

Incipiemus autem nunc deinceps singulatim Errantium stellarũ proprietates explicare, ubi hoc prius monuerimus lectores huius breuis institutionis nostræ, quod in generali hac mentione quinque errantiũ stellarum

larum commistionis & efficientiæ, similis natura intelligenda sit, siue illa ipsa huius constitutionis suæ locum teneat, siue alia inerrantium, aut signiferi etiam aliquis locus, perinde ac si naturæ hæc & proprietatis ipsarum, non stellarum essent appellationes.

Duorũ necessariorũ lectorẽ monet, primũ quidem est quod cũ dicit Saturnus gratia exempli facit hoc, & hoc, & illud, non intelligit solum ista de Saturni stella, sed de quacunq; stella etiam fixa quæ sit de natura Saturni. Veluti quæ in Cæto sunt & quædã q̃ in Orione. Et similiter debet intelligi de locis signiferi: Velut est finis Scorpionis ratione naturę signi quæ est frigida & sicca, & termini qui est de natura Saturni. Adeò ut hoc nomen Planetæ quod ponet inferius sit nomen commune tam errantibus, quàm inerrantibus ac locis. Quia effectus illi tribuuntur naturæ Planetæ, non syderi. Exemplum, rursus quando dicit (Saturnus ubi solus dominationem fuerit sortitus, corrumpit generaliter frigore) est ac si diceret (ubi quæ dominatur stella aut locus in deliquio naturã sortiatur Saturni solum & non alterius Planetæ tunc generaliter corrumpet omnia frigore & reliqua quæ sequuntur) secundum quod docet est.

TEXTVS XLIIII.

Itemq; quod in mistionibus non solum ipsarum inter se errantium coitus, sed etiam inter has & alias similis naturæ siue inerrantes, siue loca signiferi, nec non quid cum his errantibus familiaritatis intercedat, inspicere oporteat.

Non oportet solum errantes ipsas ipsarumq; mistiones considerare, sed etiam mistionem cum fixis stellis & cum locis familiaritatem. Et quanquam familiaritatẽ intelligamus radios atq; dominium hic tamen coniunctionem potius intelligit atque æqualem ascensum: Hic autem est quadruplex ut superius demonstratum est: Vnus est quãdo sunt Planeta & fixa stella in eodem circulo paruo & ex eadem parte & uocantur intuentia se ut Gemini & Cancer, sic tamen ut partes partibus respondeãt ut superius dictum est. Secundus, ut sint in similibus circulis & æqualibus sed in diuersis partibus declinationum ut una stella sit Borealis altera Australis & uocãtur imperantia & obedientia, ueluti in octaua genitura Venus & Mercurius sunt cum stellis extra formam Leonis de natura Saturni & Veneris. Et Iupiter afficitur à stella quæ uocatur sequens in dextra uertebra Aquarij, sed parum, quia est parua & in alia latitudine. Tertius modus est ut sint in eodem circulo magno meridiei: & hic est duplex uel in eadem parte, & sic est ualidior, ut pote quod sint in medio cœli simul uel in diuersis partibus, ut cũ una fuerit in medio cœli altera sit in imo. Quarta erit ut sint in eodem finitore & hoc potest triferiam cõtingere: uel quod simul oriantur, uel simul occidant, uel una oriente altera occidat. His omnibus modis Planetæ à fixis uel à locis afficiuntur: Item applicatione ac separatione ac loco. Fixę uerò etiam radijs à Planetis afficiuntur.

TEXTVS XLV.

Saturnus ubi solus dominationem fuerit sortitus corrumpit generaliter frigore. Peculiares autem sunt huius cum in homines ille corruptio cadit, morbi diuturni, tabes, marcores, humores, molestiæ & fluxiones, febres quartanę. Tum exilia, inopia, angustiæ, luctus, terrores, mortes potissimum ætate prouectorum. Bruta ferè apta hominũ usui comminuit, rebus ipsis morbifera mala infert, ut illis uescentes similia in mala deuenientes intereant. In aëre excitat frigus horrendum, glacioſum, nebulosum, pestilens. Tempestates aduersas, densas nubes, caligines. Item niuis

magnam

magnam uim non opportune, sed contrarie, unde serpentum noxia hominibus multitudo concreta existere consueuit. In fluuijs ac mari communiter, hyemes, naufragia, difficiles cursus, piscium penuriam & interitus, peculiariter autem uorticosos in mari fluctus, & fluuiorū exundationes, & aquarum deprauationes. Terra uerò frugum caritatem, penuriam, uastitatem, potissimum earum quæ necessaria sunt ad uictū immittit per erucas, locustas, aquarum inundationes, nimborū impetus, grandinem, aut alia huiusmodi, quæ usq; eo procedunt, ut fame, similiq; pernicie homines extinguant.

Iupiter solus nactus dominium, generaliter incrementa rebus cōfert. Sed peculiariter cum euentus in humanum genus exeunt, largitur gloriam, amicitias, tranquillitatē, pacem, rem familiarem auget, corpus, animumq; componit, conficit dona & beneficia à regnatoribus, hosq; ipsos auget ac ornat, facit magnis animis, inq; summa felicitatis uniuersæ est author. Animantum reliquarum utilium ad uitā degendam copiam & abundantiam, contrarium, exitium & interitū procurat. Tempestates reddit salubres uentis & imbribus altrices terrestrium, fortunat classibus cursus, fluuiorum aquas moderatas conseruat, frugum copiam & his similia efficit.

Mars ubi solus arripuit dominationem, generaliter corrumpit feruore, sed peculiariter in humanum genus sæuit bellis, seditionibus intestinis, carcere, populationibus, tumultibus plebeis, iracundijs principum, & ab his inopinatas mortes infert. Huius sunt æstuantes febres, tertianæ, sanguinis eruptiones, morbi acuti, uiolentæ mortes, in primis ætatis ualidæ. Item uis, contumelia, iniuriæ, incendia, homicidia, rapinæ, latrocinia. In aëre cōmouet calidos uentos, pestilentes, tabificos, fulminū iacu lationes & flāmas, squalorē. In mari subitas nauiū subuersiones per uētos turbulentos, fulminaúe, aut alia huiusmodi. Fluuiorū aquas exorbet, desiccat fontes, deprauat latices. Quæ necessariæ sunt ad usum uitæ humanæ animantes eq; terra nascentia pessundat, uel pernicioso hæc æstu nondum percepta uastans, uel condita conflagrationibus.

Venus sola domina uentorum generaliter ea efficit, quæ Iupiter cū uenustate quadam, peculiariter autem hominibus conciliat famam, honores, gaudia, frugiferos annos. Dat fortunata connubia, copiam liberum, & gratiam in coniunctionibus, incrementa bonorum, uictum mundum, honestatem, reuerentiam, uenerationem. Insuper & corporis decorem, & necessitudines gratas potentiorum ac principum. Aëra uentis replet temperatis, humidis, fœcundissimis, commoda tempestate, serenitate, demittitq; imbrium tempestiuas pluuias. Nauibus felices cursus & successus lucrosos tribuit. Fluminum alueos complet. Animantum utilitati seruientiū & frugum in primis copiam abundantiam cōmoditates confert.

Mercu-

Mercurius adeptus dominationem generaliter quidem in illius ſtellæ naturam ſe inſinuat, cum qua fuerit configuratus, eſt autem omnium maximè impetuoſus. Et in ijs quæ humana ſunt, acer, efficax, accommodabilis, offerentibus ſe rebus. Vſurpator latrociniorum, furtorum, pyraticæ inuaſionis, contrariorum uentorum ſuſcitator, in cõfigurationibus cum maleficis. Author morborũ ſiccitatis, febrium cottidianarum, tuſſis, anhelationis, tabis. Habet & ſacerdotalem rationem & cultus diuinos, & regios reditus. Habet & mutationes ſuis temporibus legum ac morum, quę omnia congruunt cum illius ac reliquarum ſtellarum ſingularũ commiſtione. In primis uentos turbulentos, uehemẽtes, inſtabiles, ſiccitatem aeris & mobilitates commouet, cum deuicinitate Solis, tũ celeritate curſus ſui. Itaque & tonitrua flammantiaq; fulmina immittit, diſſipatq; ac concutit terram, fulgura ciet. Vnde & interdum pernitioſus eſt aptis uſibus uitæ, animantibus & frugibus: flumina occidens ſiccat, explet oriens.

Quæ hic traduntur adeò clara ſunt ut ſufficiat admonere lectorem ordinis ipſius qui bifariam conſtat: Primum quòd beneficæ duæ Iupiter & Venus ſemper benefaciunt: Maleficæ autem ſemper malefaciũt: ſed diuerſis modis, Saturnus quidem immodicè refrigerando, Mars autem exiccando cum calore, feruorem hunc appellãt, Mercurius autem iuxta naturam ſtellarum quibus commiſcetur. Secundus ordo eſt penes ſubiecta: diximus autem ſuperius ea eſſe tria elementa & tria genera animalium in illis contenta: & præter id ſerpentes, deinde arbores & ſegetes, hominũq; genus, quod diuidebatur multis modis: In ſingula igitur genera horũ declarat Ptolemæus quid agat unuſquiſq; Planeta: diſtinctéq; ita ut alia expoſitione non indigeat. Præponit autem ſemper generalem cauſam effectumq; propriis. Venus autem calefacit & humectat: Iupiter autem eſt temperatior: Veneris igitur opera ualidiora ſunt propter multitudinẽ luminis, ſubſtantiæq; innati caloris ideoq; & fœcundior & ad uitæ longitudinem magis opportuna: Saturnus ut dixi frigiditate nocet, inde ſiccitate: Mars ſiccitate, inde caliditate. Notanda eſt etiam regula quod beneficæ non ſolum hominibus benefaciunt ſed etiam omnibus animalibus quorum conſuetudine homines gaudent, ut equis, aſinis, canibus, uel quæ eſui apta ſunt, ut auiculis & piſcibus & ouibus & feris eſui aptis: ueluti capreolis, ceruis, cuniculis: item plantis omnibus propter lignorum uſum. Sic etiam lapidibus in Scotia quæ ardent, item gemmis. Nocebũt autem lapidibus inutilibus, herbis uenenoſis & animalibus etiam homini noxijs: aut feritate ut Leones & Lupi: aut ueneno ut Serpẽtes & Scorpiões: aut quia edant quod utile eſt, ut corui, cornices, mures, locuſtæ: aut quia ſola fœditate ſint homini odioſa, ut crabrones, muſcę, publices, cimices, pediculi, uermes: omnia enim talia minuunt. Quo fit ut cum maleficæ contraria ratione utilia omnia homini minuãt, noxia uerò multiplicent: & in regionibus & in annis abundantia iſtarum ſorditierum, ut ſunt muſcę, uermes, crabrones: itemq; uenenoſarũ herbarum in regionibus quidem prauitatem hominum ſignificat, in annis autem periculum peſtilentiæ aut ſterilitatis. Quod ſi quis dicat quonam pacto fieri poteſt ut tanta bona fiant ab ipſis deli quijs qualia beneficæ pollicentur? Reſpondeo hoc eſſe interregnũ: Cum enim duo ſint Reges in cœlo, Sol & Luna, altero delinquente ſubit Planeta qui plurimũ poteſt uices obſcurati luminaris. Ergo ſi beneficus fuerit benefaciet, ſi maleficus malè atque peſſimè. Rurſus dices quomodo poteſt in tam breui tempore ſtella prouinciæ uel partis mundi dominium ſuſcipere cum nulla eclipſis ut dixi quatuor horarũ ſpacium poſſit attingere? Reſpondeo id fieri interrupto luminaris dominio, fauente uetò altero luminari. Eſt autem temperamentum & miſtio; non quod ſolus Planeta abſq;

Com. 24. huius

absque luminari deliquium patiente regat. At dices ergo dabuntur stellæ humano generi salubriores ipsis luminaribus? Respondeo non simpliciter id fieri posse nam luminaria plus luminis habent, ergo caloris & humidi uitalis. Inditio etiam est uitę longitudo quam decernunt nulli alteri Planetæ comparanda: similiter & robur illius. Sed dicitur benefica magis fauere quia certo generi fauet, luminaria autem omnibus. Dum ergo luminaria fauent locustis, gratia exempli, sterilitatem inducũt: Dum addunt animos hostibus bellum pariunt: Dum humida terra calorem subministrant reptilia multa gignunt: quæ primum homini infesta sunt, deinde etiam pestem excitant. Non igitur beneficæ meliores sunt simpliciter ipsis luminaribus, sed certo generi cui fauent comparatæ. Fauent autem hominibus & cicuribus animalibus ac mansuetis: Maleficę autem horum inimicis: sunt enim beneficis contrariæ. Rursus beneficæ ex hominibus fauent his qui mansuetiores sunt moribus, & temperatas habitant regiones. Maleficæ latronibus, feris gentibus atque barbaris. Rursus beneficæ huic prouinciæ uel illi ex temperatis magis utpote Italiæ: Maleficæ contrariæ utpote Galliæ quę semper infensa Italiæ fuit. Licet nunc Regũ moderatione dissensio mitescuerit. Similiter & in eadem ciuitate beneficę huic uel illi fauent, maleficę illorum inimicos impellunt: Itaque cum luminaria omnibus quasi ex æquo faueant, non dicuntur adeò benefica huic uel illi. Gerũt ergo luminaria uicẽ regis atq; magistratus ex æquo omnia distribuentium, quæ licet plura dent, quoniam tamen communiter dant beneficorum nomen non meruerunt. At Iupiter & Venus amicorum uices semper referunt, ideoq; beneficæ appellantur. Saturnus & Mars inimicorum ideoque maleficæ. Mercurius medius est inter illos quadrifariam: uel quia modo totus bonus in una re uel uni alîâs, uel alîs totus malus: uel quia modo bonus, modo malus uicissim in eadem causa atq; in eodem homine, uel urbe, uel prouincia, uel quia partim bonus, partim malus simul: uel quia omnino mediocris neq; bonus neq; malus, neq; dans neq; adimens. Est aũt propria natura impetuosus ut in mari & uentis: & in humanis actionibus acer, efficax & qui omnibus se accommodet. Hoc autem contingit illi quia celerrimè uertitur in paruo circulo, adeoq; ut omnino careat statione. Hoc adiungere uolui ut intelligeres quomodo Mercurium dominari uel in temporibus, uel in gentibus, uel in hominibus cognoscere posses. Sed dices status hi beneficorum sunt cum bene se habent, maleficorum autem cũ male: quid si beneficæ malè dispositæ fuerint? aut maleficæ bene? Respondeo minora omnia fient. Hoc autem docet dicens.

TEXTVS XLVI.

Vbi igitur peculiari in natura reperta stella fuerit, effectiones quoq; illam ipsam consequuntur similes.

Peculiarem uocat naturam quæ duo habet: primum quod sola imperet: secundum quod in proprio sit statu ut masculinus Planeta atque diurnus in masculino signo in quo etiam gaudeat & in die. Id autem continget si orientalis fuerit à Sole & supra terram dum dies est, non nox, ut imaginantur Arabes. Nam uim aquisiuit cum ante Solem noctu exortus sit. Licet autem hunc appellare primum statum. Secundum autem cum emerserit ante Luchano propè Solem & antè ipsum, sed nondum iam emersit Sol. Tertium cum supra terram est diei tempore sed occidentalis à Sole. Quartum cum infra terram orientalis in die. Quintum cum infra terrã orientalis in nocte. Sextum atq; ultimum cum infra terram occidentalis extiterit.

TEXTVS XLVII.

Sed cum inter se permiscentur cum configurationibus ipsis, tum permutatione signorum & à Sole apparitionibus, consentanea etiam in effectionibus temperatio, & mistæ uariæq; proprietates decretorum existunt. Quia uerò infinitum, hoc est, neque fieri potest ut uniusquiusq; tem

peraturæ peculiare decretum doctrina comprehendat, omnesq; simpliciter aliquis cuiusq; modi configurationes tam multiplicis præsertim rationis, exequatur, relinquendum meritò est hæc pars Mathematici in singularum rerum iudicijs gnauitati ac industriæ.

Duo proponit quæ dixeramus: tertium quoq; in sequenti adiungit textu: primum igitur est de puritate naturæ ipsius Planetæ, ut pote quod sit in signis similibus sibi itemq; in bono habitu erga Solem. Ex quo patet quod Planetæ sunt similes magistratibus & Sol Regibus: cum magistratus est in gratia Regis utitur plenè sua potestate: Si uerò in illius iram aut odium inciderit boni nihil facit, mala quoq; implicat. Secundum est, ut non alijs misceat̃ Planeta. Si uerò aliter contigerit (Per hæc enim multa alia intelliguntur utpotè quod ab angulo decidat: quod Lunam uenientem ad se non excipiat: sed sit orientalis ab illa) debilis prorsus erit & infelix. Circa quod notandum est quod apud Ptolemæum non sunt nisi quinq; genera status Planetarũ: Primus est quo ad Solem: Secundus quo ad Lunã: Tertius quo ad stellas, & hic est duplex, fixas, & errantes: & horum unusquisq; triplex est, coniunctio & est ratione polorum zodiaci & ferri in uno circulo uel respectu uerticis, id est, finitore uel respectu polorum mundi, & est in parallelis æquinoctialis: uel respectu utrorumq;, id est, uerticis & polorum mundi, & est ferri in meridiano. Quartus est quo ad partes cœli, & hic est duplex ratione naturæ signorũ, & ratione dominij. Quintus & ultimus est ratione mundi: & hic est duplex uel ratione quatuor quartarum, uel ratione propinquitatis ad angulos. Potest & addi sextus: sed de hoc non inuenio quod immutet robur. Et est latitudo ascendens uel descendens, meridiana uel borealis, magna uel parua. Dicit ergo quod hanc mistionem uel remissionem qualitatum aut argumentũ impossibile est penitus describere: quod etiam Galenus in libris methodi, & Auicenna
Lib. 3. cap. 7. quarta primi testati sunt. Illud ergo industriæ & labori cum iudicio hunc gnauitatem appellat relinquendum Ptolemæus docet. Et hoc est quod rectè dixit Hermes in cen
Verbo primo. tiloquio: ἀπὸ σοῦ καὶ ἀπὸ τῆ ἐπιστήμης. Id est, scientia Astronomica ex astris habetur, & ex industria, iudicioq; tuo.

TEXTVS XLVIII.

Sed hoc diligenter obseruabimus, quis sit stellarum principum decreti respectus, & regionum ipsarum ac urbium in quibus significationes cadent.

Declarat tertium quod supra dixi, & est quod oportet etiam obseruare robur stellarum, quæ illis dominantur: utpote si è directo sint uel supra capita illorum ferãtur, ualidiores enim effectus facient. Vnde regiones quæ æquinoctio proximæ sunt magis ab erraticis afficiuntur, quæ uerò à Borea uel Austro positę sunt, minus ab erraticis afficiuntur, generaliter etiã minus à deliquijs eadem causa, ab inerrãtibus aũt magis. Aliud q̃d magis refert quod stella dominatrix loci deliquij si loco significato dominetur minus affert malum, seu locus ille fuerit ciuitas, seu prouincia, seu fuerit homo: & hoc est quod dixit Hermes in centilo quio (Cũ Mars coniunctus fuerit in Leo
Aphor. 75. ne cum ascendentis domino corpore ipso natus cremabitur, nisi Mars ipse dignitatem habuerit in ascendẽte uel benefica fuerit in octaua) Ecce uides quod Planetę non nocent tantum ubi dominantur: Sicut etiam uidemus in malis principibus qui non tam malè tractant suos proprios subditos, quam alienos.

TEXTVS XLIX.

Cum enim sunt illæ beneficæ & conciliatæ locis obnoxijs, neque superantur ab alijs diuersæ sectæ, multo magis absoluunt naturæ suæ bonitatem sicut & alienæ aut superatæ ab aduersarijs minus prosunt. Quòd si noxiæ hunc principatum cœperint, conciliatę cum obnoxijs locis, aut

supe-

superatæ à stellis aduersariæ sectæ, minus nocent. Quę cum neque dominatrices regionum erunt, neque superabuntur ab alijs quæ illarum commendationem accepêre, tum uehementiorem suæ constitutionis pestem infligent.

Sensus est cum domini deliquij & cardinis fuerint beneficæ & dominentur ciuitatibus uel prouincijs in quas significata incidunt nec impediuntur à maleficis: his tribus conditionibus iunctis plurimum illis locis benefacient: quod si defecerit conditio aliqua, ut pote quod impediatur ab alijs Planetis, uel quod non dominetur regioni, ciuitati, uel homini, uel, (quod subintelligit) quod benefica debilis sit, omnibus his modis minus iuuabit. Malefica uerò si præfuerit deliquio & cardini, præfuerit & locis per deliquium affectis uel uincatur à beneficis parum oberit: & multò minus si utrunque adsit. Quòd si nõ dominentur locis affectis seu regionibus uel ciuitatibus, nec à beneficis impediantur, maleficæ deterius afficient ac pessimè, & quanto ualidiores fuerint. In genere igitur bonorum est benefacere semper: item dominari locis subiectis deliquio & id semper prodest seu bonũ augendum sit, seu malum minuendum. Sed robur stellæ non ita: namq; tam bona quàm mala auget sicut & imbecillitas minuit. Dubitatur autem quomodo stellæ quæ deliquio dominantur possint non dominari loco per deliquium significato? Exemplum si Iupiter dominetur Leoni ubi deliquium factum fuerit, & Leo dominetur Italiæ & præsertim Romæ uel Rauẽnæ uel Cremonæ, quomodo fieri potest ut Iupiter his ciuitatibus aut Italiæ nõ dominetur? Hoc certè difficillimum uidetur. Haly exponit quod concordauerit natura, Planeta cum regione. Sed istud difficillimũ uidetur, quamuis ex textu suo posset expositionẽ tueri, & antiqua uersione: Sed Grecæ literæ accõmodari neqt. Propterea dicerem quod Planeta hic dominari regioni intelligitur, quotiens ascendẽti dominatur, aut principalis est. Esse etiã potest ut figuræ dispositor non dominetur loco illi quia ipse erit dominus sequentis cardinis loco deliquij, & locorum etiam in quibus domini deliquij inueniuntur: locum quoq; ipsum deliquij aspiciet, aut in ipso peregrinus erit. Exempli gratia, deliquium sit in Leone in duodecimo loco, ascendatq; Mercurius in initio Virginis: tunc Mercurius dispositor erit deliquij, & quidquid facere mali poterit faciet, cum nullam prorsus in loco deliquij potestatem obtineat.

TEXTVS L.

In genere autẽ uniuersalibus à malis potissimum corripiuntur ij, quorum in geniturís præcipua loca, nempe luminum aut cardinum eadem fuerint cum illis à quibus uniuersalium casuum causæ ueniunt, id est ecliptícis ipsis aut his oppositis. Sed in primis periculosæ ac ineuitabiles sunt partiles occupationes, dimetientesq; deliquiorum utriusuis ille luminum respectum habuerint.

Hæc est ultima pars huius capitis, in qua docet principale. Principale autem fuit, si bene meministi, ut ex generalibus constitutionibus fata singulorum dignoscerẽtur. Hoc igitur est quod docet: Docet autem hoc modo, quoniam illi maximè affligentur ab uniuersalibus calamitatibus, quorum in geniturís loca præcipua luminarium & cardinum supple medij cœli & ascendentis, medium quidem cœli pro fortuna & honoribus, ascendens autem pro uita & corpore: similiter & luminarium, alterum pro uita, reliquum pro honoribus, eadem fuerint cum loco eclipsis & in eadem parte. Secundo quiin oppositaad unguem parte. Tertio intelligit quæ sunt in quadrata, inde quæ proximiora, (Ex manifestissimis enim doctrina procedit) eodem ordine.

Dubitatur cur non dixerit de his qui bene afficiuntur. Existimandum est enim parem esse rationem ut in his qui ditantur, honoresq; consequuntur, propter nouarum legum aut institutorum promulgationes: itemq; cum ciuitas aliqua imperium adipiscitur:

scitur: cum princeps aliquis nouus non hæreditario iure prouinciæ præficitur: Igitur dicendum est eandem esse in utrisque rationem. Verum consentientia potius in his licet accipere quàm opposita uel quadrata, ita ut cum medium cœli aut Sol uel Luna aut ascendens (Hoc autem est ultimum) eadem parte cõsenserint cum eclipsis loco aut in trigono illius fuerint partili, id est, quod si deliquium fuerit gratia exempli in decima parte Virginis, ascendens uel locus luminarium uel locus medij cœli, sint in decima parte Tauri uel Capricorni, tunc ille sperare poterit quod boni pollicentur decreta deliquij. Obseruare autem oportet ut ex his qui præficitur eligat. Veluti si cui Luna sit uitæ significatrix, eclipsis in ascendente parum aut nihil oberit uitæ. Omnia autem hæc ut dixi, & Haly bene animaduertit de hominibus intelligenda sunt ciuitatis deliquio subiectæ.

Caput nonum.

TEXTVS LI.

De coloribus in deliquijs & crinitis, ac huiusmodi alijs.

OBseruandæ etiam sunt in uniuersalibus considerationibus colores in deliquijs, non modo ipsorum luminum, uerum aliorum quoq; quæ iuxta illa solent colligi, ut Virgularũ ac Arearum, & quæ alia sunt huiusmodi.

Omnes scientiæ certiores sunt atq; pulchriores, quo subiectum illarum firmius est atq; stabilius. Ob id certissima est atq; pulcherrima Astrologia: certior quoq; illa ac pulchrior longè Theologia: post Astrologiam uerò est Mathematica: inde naturalis Philosophia: demum Medicina. Atq; hic ordo est scientiarum naturalium in nobilitate ac certitudine. Verum cum ad nostri intellectus imbecillitatem respicimus non illarum natura sed nostro uitio fit ut res penè contrario modo se habeat: Nam relicta Mathematica, certissima omnium est Medicina, inde Philosophia naturalis, post Astrologia, ultima omnium est Theologia. Inde factum ut nostris etiã temporibus generosi Medici qualis fuit Galenus Prophetæ cuiusdam ac supra humanam naturam authoritatem retineant. Dictaq; horum de futuris tanquam oracula habeant. Et ita contingit ut Medicorum pronunciata de futuris tanquam solida ratione & firma fundata nihil uani retineant: Vt contra philosophorum naturaliũ, atq; magis Astrologorum & Theologorum, uana sunt: atque talia ut ne unus cum altero idem sentiat, (Quod etiam magis mirum est, quodq; uix fieri posse uidetur) omnes tamen ab ipso scopo longè lateq; aberrent. Id fit partim incuria, ut dictum, ipsorum artificum: partim etiam quod scientia ipsa astrorũ altior sit longè quàm ut intellectus noster eam possit intueri. Id inspiciens Ptolemæus non quod ipsa scientia quæ in se ut dixi certissima est atque clarissima talibus indigeret auxilijs incertis atq; obscuris, sed quod intellectus noster imbecillus sit, uoluit cõiecturas etiã è naturalibus signis sumptas ipsi arti adiungere. Nec solum hic, ne obiter feciſſe credas, sed & alibi etiam, ut cum de facie cœli obseruanda loquitur. Duo igitur hic proponit: primum ut colos in lumi nari patiente obseruetur: Secundo Virgularum & Arearum ac talium quæ circa eclipsim cõtingere solent. Circa quod scire primum decet, quod dum eclipsis fit ex agitatione luminis magna atq; illius imbecillitate quod non potest dissoluere multi uapores, multaq; caligo trahi superius & maximè uersus eclipsim solet. Ex qua primũ fieri solent uirgæ quædam splendentes ex refractione luminis imbecillioris, nec penetrare potentis densam caliginem nubemue à latere ipsius deliquij, & Areæ, quas Græci Alonas uocant. Sunt autem coronæ quædam Iridis in modum circa Lunã plerũq;, quandoquè etiam circa Solem à me uisæ uarijs distinctæ coloribus atque iucundæ uisu, de quibus in libris de Subtilitate, luculẽtius uerò in libris de Varietate rerum dictum est. Hæc igitur, tum ipsa nubes afficiuntur à Planeta tempore deliquij dominante.

Cap. ultimo huius.

Lib. 3. 4.

Lib. Cap. 2.

nante. Nam si Saturnus dominetur cogit nubem, atque ideò colores seu luminis deliquij, seu Arearum uel Virgarum ad nigrum seu liuidum inclinat, atque ita de alijs. Scitu autem dignum est quod colores hi non tales inspicere licet, cum semper colos delinquentis Lunæ sit rubeus & Solis croceus: Sed ita accipiendi sunt ut declinant à proprio atque naturali ueluti in deliquio Solis: si color fuerit paulò nigrior atq; obscurior croceo ac quasi teter, dicetur niger: aut si lux ipsa paululum hebetescat & splendor ille croceus desinat, ut potius remaneat color quàm splendor, dicetur liuidus, qui color est plumbi, & euidentius spectatur in carne puerorum cæsa loro uel uirgis citra sanguinem tamen, est enim fuscus & aliquanto nigrior plumbi colore, aliquaq; luce participat qua à fusco & subfusco etiam differt. Splendescit enim liuidus aliquantulum, fuscus atque subfuscus nequaquam. Ergo si color luminis deliquij croceo aliquantulum fiat rubicundior atq; sanguineus, Martis erit opus, diceturq; rutilus. Quòd si color ille croceus aliquantulum remissus fuerit, splendor uerò auctus qualis auri fiet, diceturq; flauus. Quamobrem hos solos duos flauuum & rutilũ, deliquij lumen accipere potest. In deliquio quidem Solis flauum uerius quàm rutilum spectare licet: Lunæ uerò rutilum uerius quàm flauum: Reliquos uerò colores quod ad illos uergant potius quàm quòd tales sint ita appellare libet. Nam quòd de albo dicitur in deliquio Solis fit quotiens purissimus est aër, croceaq; uis illa citri colorem dum impalescit imitatur. Varium uerò colorem facilè est intelligere atq; uidere si diligenter animaduertas, sed si oscitanter, effugiet oculos tuos quoniam paruum est discrimen uarietatis. Nequè enim expectes una in parte uidere lumen candidum, in altera nigrum, in alia rutilum: Sed una in parte croceũ obscuriorem, in alia dilutiorem, in alia splendidiorem. Quinimò etiam si contingat, intentusq; fueris, uidebis quandoque in una eademq; parte ex pluribus intermistum simul coloribus. Videntur autem hi colores non solum in luminari deliquiũ patiente, sed & in ipso aëre, & in parietibus. Omnia autem hæc consideranda sunt: Verum ne omnino intentus inspicere deliquium Solis satagas, Solem ipsum intuendo, cum aliqui hãc ob causam facti sint cæci: Non solum ratione generali claritatis Solis, sed etiam peculiari quadam natura quod lumen illud per Lunæ corpus transiens uitiatum, oculos uitiet, offendatq; caput certa ratione. Nam plurimis quibus caput est imbecille, in magnis eclipsibus caput dolet. Illud quoque considerandum quod ad rem pertinet, quod eclipses Solis præsertim magnæ si in florentem segetem inciderint, eo anno stipulæ absque granis colliguntur. Et maximè fit illud si Sol exoriens deliquium patiat. Dicta est autẽ causa huius superius, quoniam cum inter florentem segetem & absolutum granum paulo plus minusue quadraginta diebus intercedat, si deliquium fiat in oriente, effectus eius statim prodit, atque effectus pars maior ac robustior sub ipso initio: quo fit ut seges ipsa naturali ratione afficiatur ac corrumpatur. Verum ut ad colores reuertar, eadem diligentia adhibenda est in mutatione Arearum atq; Virgarũ quę natura sua uariæ sunt. Ideoq; omnes dicandæ Mercurio sicut Solis colores delinquentis Veneri & Lunæ Marti. Sed ut dixi nõ naturalis color spectandus est, uerum ad quem à naturali uariatus aliquantisper accedat, scilicet si ad rutilum, si ad nigrum uel fuscum, si ad album, si ad flauum, si ad uarium. Ita colores ex additione & inclinatione ad quos uergunt nominandi sunt non ex natura propria cum Lunaris semper rutilus sit, Solaris flauus, Arearum uarius, Virgarũ rutilus cum uarietate quadam. Similiter & in nubibus eadem hora deliquij ratio spectãda est coloris (Hæ autem solę ueros referunt colores & uerè tales sunt) quædam enim nigræ uerè seu fuscæ, quædam candidæ, quædam flauæ, quædam uariæ, quædam rutilæ.

TEXTVS LII.

Nam si nigra siue liuida esse uideantur, significant ea quæ de Saturni natura exposuimus. Candidus color Iouialis est. Rutilus Martius. Flauus Veneris. Varius Mercurij. Quod si coloris proprietas per tota luminum

corpora, aut etiam loca se diffuderit, plurimis regionis partibus futura decernit, sin quacūq; à parte apparuerit illis partibus in quas se proprietas illa inclinabit.

Tria docet ex hoc, primum ut ex colore Planeta qui dominatur dignosci possit. Neq; ratio quærenda est huius præterquàm in Venere. Nam Iupiter candidus est & purus, ideo etiam candidum significat colorem & à candore significatur cumilloq; conuenit. Similiter de Marte & Saturno qui fuscus quoquomodo est. Mercurius uarium propter naturæ suæ uarietatem, non propter colorem proprium significat. Sed Venus flauum obtinet non quia flaua sit, sed quoniā humidum habet à calore concoctum: sicut in auro uidere licet. Secūdum est de quantitate, quia si totum occupat, toti parti per eclipsim significatæ contingent: si parti parti. Hoc autem contingit secundum uim dominantis Planetæ: Nam si plenè dominetur tunc continget hoc toti: si parum, paruæ parti: si mediocriter, mediocri parti. Tertium est in qua parte erūt: Et dicit quod erunt in parte in qua continget mutatio illa coloris luminis: Vtpote si eclipsis significet super Italiam & mutatio luminis sit in parte Notapeliotis, id est, media inter austrum et orientē significabit illud super Apuliam & Neapolim. Quòd si fuerit mutatio illa in Borrolybico, id est, inter septentrionem & occidentem, continget illud Mediolanensibus, qui ea in parte siti sunt respectu Italiæ. Quòd si ad orientem, septentrionemq; ad Venetos: atq; ita de alijs.

Verum dubitabis & iure meritò quomodo colores eclipsium fiant à dominātibus erraticis, cum constet ex tabulis Alphonsi & Linerij eos potius in Sole fieri per distātiam à nodo seu capite uel Cauda draconis: Et in Luna iuxta distantiam ab Apogeo sui parui orbis tamen etiam à latitudine ab ecliptica, ut patet in duabus tabellis subiectis, ne quicquam huic operi deesset. Quidam ob id solent culpare Ptolemæum, sed frustra: Nam primum sciendum quod colores in tabula descripti uariantur secundum naturam Planetæ dominantis, ueluti Sol à nodo ad primum gradum fit plenè niger. Si tamen Saturnus dominet fiet ater ut carbo uelut quandoque contigit. Si Venus erit aliquantulum flauus Sol, licet sit obscurus. Præterea nihil prohibet aliqd causam habere mathematicam simul & naturalem. Ita ut intelligamus cum Sol plenè obscuratur, dominatur Saturnus, cum sex partibus à nodo distiterit Saturnus, parum, Mars plurimum dominabitur. Si uerò duodecim, Iupiter cum Venere præerunt eclipsi. Est etiam illud dignum consideratione maxima, quod tabulæ colores luminaris definiūt, Ptolemæus uerò de coloribus aëris & qui in arboribus & terra & parietibus apparent loquitur, quare cum non necessarium sit eos esse similes, nihil absurdi sequitur. Vidimus enim Lunam planè obscuratam, rubram tamen, & quæ uidebantur nigra erant.

Tabula Solaris eclipsis	
G	*Solis longitudinis à nodo.*
1	*Nigrum pressum*
2	*Nigrū obscurum*
3	*Nigrum fuscum*
4	*Fuscum in croceo*
5	*Fuscum clarum*
6	*Fuscum rubeum*
7	*Ruffum*
8	*Ruffum*
9	*Ruffum glaucum*
10	*Rubeum glaucum*
11	*Croceum*
12	*Croceum album*

TEXTVS LIII.

Obseruandæ & crinitę seu in deliquijs, siue alio quolibet tempore fulserint in considerationibus uniuersalibus, quales sunt quæ dicuntur trabes, tubæ, dolia ac huiusmodi. Est enim harum naturæ effectio Martię ac Mercurialis proprietatis, bellorum, æstus, turbulentiæ, & eorū quæ ista sequi consueuêre.

Crinitas stellas multis modis apparere & tubæ forma & trabium contingit: uerum plerunque figuræ hæ potius ignitis ostentis quæ in cœlo apparent conueniunt. Nam tria genera rerum quæ in sublimi uidentur Ptolemæus in hoc capite complexus est: primum est eorum quæ uidentur & non sunt, ut Areæ & Virgæ: Nam nulla substantia pe-

tia penitus constant. Secundum eorum quæ substantiam habent: Velut trabes, iacula, hæc enim accensis uaporibus uerè fiunt, ut prima ex collisione uisus: uelut & Iris. Tertium genus est eorum, quæ media sunt: ut Cometę: Nam horum naturam mediam inter corpoream & imaginariam esse censendum est: Ptolemæus uerò illam adnumerauit ignibus iuxta opinionem antiquorum: Existimans in elementari regione eam fieri: cum nos declarauerimus fieri in cœlo. Sed ut res magis distincte agatur primũ à stellis transcurrentibus atque ignitis facibus quæ in aëre apparent, initiũ ducamus.

Has igitur uolantia sydera, alij repentina, alij traiectiones, alij incensas stellas, uel deciduas, uel transcurrentes, uel repentinos ignes uocauêre. Commune est omnibus siccitatem afferre: & quæ ex illa sequuntur: scilicet ariditatem, paucitatem aquarum, mortem piscium, sterilitatem, uentos, prælia. Propriè autem uentos, eaq; ex parte ex qua mouẽtur. Quòd si ex pluribus, erunt diuersi uenti. Quòd si detrimenta uelis scire ubi futura sint, locum ad quem tendunt considerabis: Ibi enim erunt & prælia & seditiones & uenti & sterilitates & morbi acuti. Atque hæc ubi in eclipsibus contigerint procul dubio euenient. Vbi autem præter illas non ita: nisi magnæ & crebræ fuerint. Quòd uerò existis eueniet (Nam non omnia expectanda sunt) ex Cometarum ratione discere licebit. Hoc differunt traiectiones hæ & repentini ignes à Cometis, quod breuiores effectus significant, & minores, & celerius ingruentes quàm Cometæ. Semper tamen hæc quia à Marte & Mercurio fiunt malum significabunt: nisi uni soli per quem forsan uel seditio excitabitur: uel ipse bello prouinciam deuastabit. Ob id igitur cum eius naturæ sint, æstum magnum significabunt. Sunt enim naturæ Martiæ quia igneæ: & Mercurij, propter motus celeritatem & iaculationem.

Tabula Lunaris eclip.

Latitudinis	distantiæ ab Apogeo	
m	G	
10	180	Nigrum pressum
	210	Nigra
	150	
20	240	Nigrum uiride
	0	
30	270	Nigrũ subrubrum
	90	
40	300	Glaucum pallens
	60	Quod est Griseũ
50		Grisea pallida
60	330	Grisea alba
	30	
90		Ruffa

Similiter & Cometæ à Marte & Mercurio fiunt, quoniam & ipse uelociter mouentur & igneum quippiam præ se ferunt. Vocauit autẽ eas crinitas qui conuertit à nobilioribus, cum Græca lectio Cometas habeat, quod est commune nomen: nam Cometarum tria sunt genera: unum quidem quod comam habet circum circa, uocaturq; cometes: secundum quod barbata appellatur, cum in unam partem tantum crines ferantur: tertium quod caudata quoniam caudam habeat. Immensum autẽ & celerrimum est incrementum omnium harum: ut quæ pedales primo uideantur, inde intra pauco rum dierum spatio quartam totam zodiaci occupent. Durant incerto temporis spacio ut quędam etiam per annum ut Iosephi tempore supra Hierosolymam, excidium illi portendens, affulsit: Velut & Iosephus ipse testatur. Longissimũ tamen earũ tempus uix (nisi pro miraculo) sex menses excedit: plerunq; autem finitur ante trigesimam diem: nunquam ante septimam. Motus illius triplex: unus ab oriente in occidentem, alter ab occidente in orientem, tertium diuersum ueluti ab occidente in meridiem uel à septentrione in occidentem. Generatur autẽ frequentius in septentrione & maximè in candida uia à tropicis citra: fiunt tamen & quandoque sub æquinoctiali & etiam iuxta tropicum hyemalem, atq; alibi: Verum ut dixi frequentius circa septentriones, qua in parte tres ego in tribus annis uidi. Nocte uidentur pulcherrimè sub crepusculis, non item de die non nisi potenti modo. Plures posse uideri constat simul ut Caroli Martelli ætate mense Ianuario duo uisi sunt intra quatuordecim dies, quorum alter Solem præcedebat, alter sequebatur caudis uersis Aquilonem spectantibus: fuit is annus salutis septingentesimus uigesimus sextus. Duo quoq; anno mil-

Lib. 7. de bell. Iudaic.

lesimo trecentesimo trigesimo septimo apparuerunt simul: nec breui tempore: cum duos menses socij simul impleuerint. Differũt Cometes à iaculis, quod ut dixi in longius Cometes effectus suos extendunt quàm iacula, & per se etiam, quod non eclipsis tempore uideantur, plurimum possunt. Nemini autem dubium est quod si cum eclipsi contingãt quin geminatis uiribus plurima & assidua mala producant. Vnde iacula & repentine stellæ nisi crebrę fuerint ut dixi, aut magnę ualde, aut in die conspicuę non sine deliquio, quicquam effatu dignum significare poterunt. Et quãquam omnes Cometæ à Marte et Mercurio producantur, habent tamen aliquid etiam cum alijs Planetis commune, quod à coloribus non secus ac eclipsis discernitur. Nam qui fuscus est participem habet Saturnum, qui exactè cãdidus, Iouius est, qui exactè rutilus, Martius, qui flauus, Venerius, qui totus uarius, in illo uis Mercurij dominatur. Constat enim obseruatum fuisse quãdoque Cometas etiam aliorum Planetarũ quàm
» Martis & Mercurij motũ retinuisse, quemadmodum Iouianus Pontanus enarrat dicens: Cometes tenui primum capite, comaq; admodum breui à nobis cõspectus est:
» qui mox miræ magnitudinis factus, ab ortu in septentrionem cœpit deflectere, nunc
» cito motu, nunc remisso. Et quoad Mars, Saturnusq; regrederentur, ipse auersus,
» coma progrediente ferebatur, donec ad arctos peruenit: Vnde cum primum Satur-
» nus & Mars recto cursu pergere cœperunt, in occasum interflexit, tanta celeritate, ut
» die uno triginta gradus emensus sit, atq; ubi ad Arietem & Taurum commeauit ui-
» deri desijt. Ille dies plurimos fulsit, & qui initio breuior uisus fuit, adeò creuit, ut qn-
» quaginta gradus, atque etiam amplius occupauerit. Feruntur autẽ uelocissimè quan-
doque, mirisq; modis, caudamq; contorquent: Sed sufficiat tam uelocis motus quàm etiam conuersionis caudæ, præclarum unum exemplum subiunxisse. Verũ antea forsan quispiam quæret in quo cauda & crines ab ipso Cometa differant? Respõdemus caudam atq; crines tenuiores esse substantia atque rariores, ut nisi præ magnitudine uideri queant. Verum sydus ipsum densum est, ac facile præ luminis magnitudine uidetur. Sed ad exemplum reuertor, id desumptum est ex Iacobi Ziglieri monumen-
» tis qui ea à Ioannis Regio Montani obseruationibus desumpsit. Obseruatio autem
» talis est atq; series uerborum Regio Montani: Idibus Ianuarijs anno Domini mille-
» simo quadringentesimo supra quintum & septuagesimum: Visus est nobis Cometa
» sub Libra cum stellis Virginis: cuius caput tardi erat motus donec propinquũ esset
» spicæ: nunc incedebat per crura Bootis uersus eius sinistram. A qua discedendo, die
» uno naturali portionem circuli magni quadraginta graduum descripsit. Vbicũ esset
» in medio Cancri, maximè distabat ab orbe signorum sexaginta septem gradibus, &
» tunc inter duos polos zodiaci & æquinoctialis ibat, usq; ad inter media pedum Ce-
» phæi: deinde per pectus Cassiopeiæ super Andromedę uentrem. Post gradiendo per
» longitudinem Piscis septentrionalis, ubi ualdè remittebatur motus eius propinqua
» bat Zodiaco, transiens ipsum iuxta medium Arietis, donec cum stellis Ceti occasus
» Heliacus illũ nobis occultauit in ultimis diebus Februarij. Hoc motu suo proprio,
» circuli magni portionem descripsit, quo in septentrionem, & cum hoc contra signo
» rum successionem ferebatur à Libra in Arietem, in fine & principio tardè moueba
» tur: in medio uerò apparitiõis uelocissimè: Vno die ferè per quatuor signa à fine Vir
» ginis in principium usq; Geminorum. Cauda uerò eius minus mobilis continuè re-
» spiciendo stellas Geminorum, eas circuibat: nunquam ab eis per totum apparitio-
» nis tempus deuians. Ideoq; in prima emersione, ad occidentem illam protendebat:
» quoniam illic stellæ Geminorum putabantur. In fine uerò Cometa sub Ariete locato
» propter Solis uicinitatem nisi in occidente apparuit, cauda orientem uersus proten-
» sa, quia in hoc situ stellæ Geminorũ ponebant. In medio uerò apparitionis caudam
» uertebat ad meridiem: illic tunc erant stellæ Geminorum, contingebatq; tunc nocte
» eadem, ut statim post Solis occasum cauda orientem respiceret. Appropinquãte me-
» dio noctis respexit meridiem: post medium noctis uerò occidentem. Ante Solis ex-
» ortum indicabat locum septentrionis. Hæc caudæ diuersitas in situ, ex motu diurno
» oriebatur: qui semper est ex consequentia primi mobilis ab oriente in occidentem.

Motu

Motu autem proprio extremitas caudæ quamuis tardius quàm caput Cometæ, sem-
per tamen etiam ad occidentem contra signorum successionem describens paralle-
lum, à principio Libræ usque ad mediũ Tauri mouebatur: Vadens sub pedibus Vlu
lantis per Vrsam maiorem propinquando Perseo: per quem circa Pleiades ad Cau-
dam Arietis ibat ferè in medio Tauri. Vnde patet tam Caput quàm Caudam Come
tæ uersus occidentem, & nunquam uersus orientem iuisse: non solum motu diurno,
sed etiam proprio. Hæc igitẽ de motu & illarum conuersione dicta sufficiant. Quan-
tum uerò ad substantiam earum pertinet dictum est in libris de Subtilitate & primo Lib. 4.
de Varietate rerum. Quo uerò ad significata communia dicit quod significat bella Cap. 1.
& constitutiones mobiles: potest referri & ad aërem & ad seditiones & ad utrunq;:
Namq; & alia significant utpote siccitatem atq; inde sterilitatem. Velut in illo Co-
meta qui subsecutus est coniunctionem magnam in Cancro factam anno millesimo
quingentesimo quarto ut Augustinus Nyphus refert, quam Cometes consecuta est
anno MDVI. Illum igitur biennio post tanta siccitas in Insubria subsecuta est, ut à
mense Ianuarij in Nouembrem nulla penitus pluuia deciderit in ea regione. Itaque &
hæc omnia & uentos præcipuè & pestem significat & Principum mortes. Nam ta-
les effectus à Martis & Mercurij mistione fieri solent. Fiunt etiã aquæ & imbres co-
piosi, quando q; tum mutationes Principum & Hæreses, & Legum nouarum institu
tiones, & multa alia. Sed de imbribus (Reliqua enim nota sunt) causa est magnitudo
caloris qui trahens multos uapores eos non potest dissoluere: declaratum est autem à
nobis hoc in libris de Subtilitate. Sed de modis futurorum quatuor illa erunt obser- Lib. 12.
uanda, scilicet ut & locos sciamus, & genus affectuum, & tempus, & qualitatẽ pro-
priam affectionis. Dicit igitur Ptolemæus.

TEXTVS LIIII.

Cæterum loca in quibus hæc euentura sint designantur, cum à signife-
ri partibus in quibus collectæ illæ stellæ fuerint, tum de crinitę figuratio-
nis inclinatione. Per ipsam quidem collectionis quasi faciem & formam,
futurorum species & genus cui effectio expectanda sit, deprehendetur.
Verum de tempore durationis, intensione euentuum. De habitudine au
tem erga Solem, initium patescit. Nam cum fuerint matutinæ, diuq; ful-
serint, celeritatis, sin uespertinę, tarditatis, significatio futura est.

Declarat quatuor illa, genus, speciem, locum, & tempus. De loco inquit sumitur à
signo in quo fuerit & ab inclinatione ipsius Caudę, scilicet uersus quam regionẽ ten
dat. Locus autẽ Cometes dignosci facile potest planisphærio: Vt pote si sit in Arie-
te erit in Britannia uel Germania, & quia Britannia differt à Germania, inspiciẽdo
quo tendat Cauda sciemus an sit Britãnia an Germania. Nam si Cometes fuerit Au
stralior Britannia & Germania & Caudam inflexerit ad dextram, significabit Bo-
russiam, si ad sinistram parum significabit Frisiam: sed si multum Britanniam. Quo
uerò ad tempus euentus & magnitudinem effectus, docet illam ex duobus compre-
hendere ex diuturnitate temporis quo fulget, & habitu ad Solem: Nam si diu ful-
gent, diuturnus erit effectus: Si matutinę, celer: Si parum, breuis: Si uespertinę, tardè.
Quo uerò ad genus effectus dicit faciem & formam Cometę inspiciendã, circa quod
notandum est in Cometa obseruanda esse decem, magnitudinem, colorem, splendo-
rem, formam, diuturnitatem, situm, locum, motum, habitum ad Solem, & situm or-
bis. Magnitudo significat effectus futuri claritatem & uehementiam. Color autẽ si-
gnificat naturã Planetæ dominantis, ut si fuerit subobscurus significat declarata in
Saturno utpote tabes & morbos longos, terræmotus, inopiam, niues. Iam uerò co-
lores quibus tribuantur Planetis diximus. Habet autẽ ut dixi semper hoc præcipuum
Cometes à deliquio distinctum, ut Martis ac Mercurij furentium damna significet.

Itaq;

Itaque & Iouius bona quædam immiſta habebit: Veluti uentos ſalutares pluribus atque fœcundos: Verum & cum hoc diſſidia ſacerdotũ in religione Chriſtiana, prælia, non diuturna bella, abſceſſus & febres acutas. Talem fuiſſe eum qui uiſus eſt anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, in Ariete ſub ſeptentrionali parte Galaxiæ credendum eſt. Nam Iupiter legem Chriſtianam, Aries Britanniam, Mars & Mercurius ſignificauerunt diſſidium & permutationem quę facta eſt poſt triennium in tota illa prouincia: iubente Rege illorum Henrico Octauo. Fuerat autem Cometes ipſe, diuturnus à fine Iunij ad initiũ Septembris. Martius autem Cometa immodicas ſiccitates parit, bella ſæuiſſima, & peſtem acerbiſſimam. Venereus autem Attonitos morbos, Paralyſes, Febres uiolentas, Hæreticos, ſeditioſos Principes, & qui plurimum lingua ualeant apud populum, ſeditiones quoq; in religione Maumethana: nam illa ut dixi Marti & Veneri ſubijcitur. Mercurialis fulgura, tonitrua, terræmotus, uentos graues, ſæuas tempeſtates, nouas artes & inuentiones omnes tamẽ humano generi pernicioſas ſignificat. Splẽdor ſignificat efficaces actiones & quas plurimi ſponte ſequentur: Ideò Regibus aliena occupantibus & ſeditioſis, & hæreſiarchis utilis. Locus autẽ multa ſignificat, & locũ in terra, ſeu prouinciã, ſeu regionem, ſeu ciuitatem: ut de Ariete in exemplo dictum eſt. Secundo ſtellas quæ loco illi dominantur ut ſi in Leone fuerit Sol illius effectum adiuuabit, ſplendeſcereq; faciet. Semper autem hoc auxilium ad malum tendit totius populi uel gentis ratione: in bello tamen & hæreſi, & ſeditione aliquem illuſtrabit. Tertio latitudinem à ſignifero: Hæc locum proprium declarabit ut ſupra, Germaniam uel Britanniam uel Italiam. Quarto cũ qua erratica fuerit uel in cuius oppoſito, facile enim erit intelligere ex hoc cuius naturæ ſit. Quinto cum qua fixa collocata fuerit. eadem enim eſt ratio quæ de Planetis: Veluti ſi cum corde Leonis ſignificabit bellum ambitionis cauſa. Sexto qua in parte cæli fuerit: Quibus enim in oriente exitium uitæ, quibus in cœli medio, Regni Regis atq; potentiæ. Septimo in cuius angulo ceciderit, Veluti narrat Haly quod apparuit Cometes in angulo coniũctionis, in qua incepit Regnũ filiorum Abez, obijt ergo anno illo Abez Anezir. Solum iſtud dubium eſt, quis locus debeat aſcribi Cometæ cum ob uelocitatem motus & magnitudinem nullum proprium habere uideatur. Verum quo ad magnitudinem non dubia res eſt: quandoquidem neq; crines neque cauda quo ad locum ſint conſiderandæ: ipſum uerò corpus paruum & exiguum certum ſibi determinat locum. Sed quo ad motus rationem attinet ſpectare decet ut in eclipſibus medium tempus ad unguem: atq; inita ratione quo tunc loco ſit obſeruare; obſeruentur & initia & finis quæ cum difficilima ſint, ob id Ptolemæus (non quod parui res eſſet momenti Cometes aut mediocris, ſed ne magnitudine rei lectorem in deſperationem adducere uelle uideretur) paucis uerbis illius hiſtoriam abſoluit. Octauo locus quo ad figuras, Octaui orbis conſideranda eſt. Nam ſimilia à ſimilibus afficientur: Velut in Argo naufragia magna claſſium decernet, aut fluuiorum ariditatem. Forma autẽ quoniam quæ gladijs aſſimilantur ciuitatum deſtructionem ſignificant: eſt enim propriè Martis. Quæ uerò ſimilis columnæ Iouis, ea Principes & Reges occidit. Quæ uerò crinita, parua, uerſicolor, lucida & bene caudata, Mercurij eſt, ideoq; uentorum & ſeditionum & hæreſis prænuncia. Nigra uerò, breui cauda, crinibus nullis, Saturni eſt, & ſterilitatem, diuturnaq; bella & lepram ac talia ſignificat. Porrò quæ lucida eſt & uultu quaſi humano, flaua & breui cauda (raro uiſa) Veneris eſt, & poſt longas diſcordias gratum Principem ſignificat. Diuturnitas uerò magnitudinem effectuum portendit, atq; illorum diuturnitatem, & ſtabilem in perturbatione ſtatum. Situs autem partem illam declarat terræ ad quam Caudæ acumẽ reſpicit. Motus uerò & unde effectus uẽturus ſit & progreſſus illius celeritatem aut tarditatẽ ſignificabit. Veluti ſi Cometes ex oriente feratur in ſeptentrionẽ tardo motu: ſenſim quidẽ ex oriẽtis partibus proueniet, aut peſtis, aut Lex, uel Princeps qui Boreales nationes cõturbabit ac deuaſtabit. Sic crinita quę in angulo orientis apparuit & ad ortum ferebatur magna uelocitate Georgij Trapezuntij ætate Thamyrim Parthorum Regem Taburlanum uocatum ſignificauit, qui in oriente ortus Aſiam

celeri

celeri cursu deuastauit: in Europamq; transiturus morte eius quem Regno proprio præfectum reliquerat in Parthiam reuersus est. Motus igitur, celeritas & tarditas & ex qua parte & in quam partem considerandæ sunt. Feruntur enim quædam contrario ordine signorum ut quę anno MDXXXIII ex Geminis in Taurũ & ex Tauro in Arietem. Aliæ uerò ordine signorum, aliæ permisto motu in latitudinem, aliæ secundum latitudinẽ simpliciter, aliæ alijs modis ut par est rẽ quę (ut diximus) triplici motu moueatur. Semper autem uidentur, quæ contra ordinem signorum feruntur, mutationes legum significare: quod motus is primi cœli sit: atque obid à Deo uel supremo rectore: Leges autem permissione Dei sunt. Habitus uerò ad Solem declarat ipsius effectus initium: Nam si orientalis extiterit Cometes, breui initium est habiturus effectus: si occidentalis tardè. Et hæc quidem in genere: in specie uerò quãtum temporis requiratur, Ptolemæus non dixit: sed uerè cum rara sit res Cometes, si diu durauerit in multos annos extendere effectum suum potest. Initium tamen ut eclipsi tot mensibus potest differri quot sunt horæ inæquales quibus Cometes ab oriente distat. Ratio autem ista per pulchrè superius declarata est. Hoc unum interest, quod semina quandoque eorum quæ per Cometam significantur, diutius proferuntur. Veluti cũ Seruator noster natus est, Cometes apparuit in oriente, quam Magi uiderunt, atq; ob id ad ipsum adorandum uenerunt: Hanc stellam uocauêre tum communi nomine, quod Cometes stellæ uocentur, tum quod pulcherrima esset atque his similis quæ in nocte lucent. Hæc seditionẽ & turbas quæ per fidem Christi promulgandam succedere pronunciauit: tot exilia, tot Martyres, inde Regnum pacis cõstituendum atq; salutis. Cuius quidem author atq; Rex Christus in ipso Cometę fulgore natus est: quod Cometes in oriente apparuerit: Verum tamen effectus ipsius, scilicet prædicatio, legis promulgatio, seditio populi, conturbatio, persecutiones, exilia, mortes, bella, regna nomine Christiano inchoata, uix post triginta annos initium habuêre, & ad hanc usque diem perseuerant. Ita contraria ratione exitialis Cometa anno Christi MCCLX in oriente apparuit usq; ad medium cœli si credere fas est, crines extendens, durauitq; perpetuis sex mensibus fermè, nec prius euanuit quàm Vrbanus Gallus Pontifex è uiuis excessit: post cuius obitum Carolus cum exercitu è Gallijs mouit, & superato Manfredo regnum Neapolitanum occupauit. Biennio post Pœni in Hispaniam traiecerunt, magnasq; clades ibidem intulerũt, quanquã pulsi postea & cæsi. Per quæ tẽpora magni tumultus in Ethruria concitati fuerunt. Quidnam sequutum? Anno à Cometa tertio, Banducar, uel ut habet Paulus Aemilius Gallicarum rerum scriptor exquisitus, Bandodachar Babyloniorum atque Assyriorum Rex, Armeniã cum ingentibus copijs inuasit, Antiochiam expugnauit, & grauissimas cędes Christianorum ædidit. Anno à Cometæ exortu quarto, Conradinus Sueuus uictus, captusq; à Carolo prouinciæ Comite, & Siciliæ, Hierosolymorumq;, ut idem scribit Aemilius, Regem nuncupato, securi percussus interijt. Anno quinto Ludouicus nonus Gallorum Rex, in Aphricam trajciens Carthagine, uel ut alij tradunt, Tuneta ui capta, mortem, alui profluuio correptus, obijt, magna parte exercitus fame & peste absumpta Cuius interitu cognito, Carolus Pœnorum regem ad tributa quotannis pendenda coëgit. Anno sexto Scythæ (quos hodie Tartaros uocãt) Armenis opem ferentes Assyrijs seu Sarracenis uictis, fugatisq; Asiam liberauerũt, eamq; Christianorum concessu, diu tenuerunt. Itaq; meta temporis effectus non nisi ut Ptolemæus describit prefigi debet, atq; sic ex duratione & magnitudine coniectari potest. Sed sunt qui motum Cometarum ita interpretantur: si ad Austrum tendant pluuias significant: si ad Aquilonem, siccitates: si ad ortum pestem: & maxima mala: si ad occidentem optimã anni constitutionẽ & temperatã: Ita censuit Porphyrius Philosophus egregius, sed ut existimo deceptus ex hoc ut dixi quod Cometa contra signorum ordinem procedens mutationem legis significat: Ergo qui ab oriente in occidentem tendit significat mutationem legis, nam ille cõtra ordinem signorum fertur: Cum ergo illud solum significet, contingit ut sit temperatus annus, nõ tamen temperamentum anni significat: sed contingere potest etiam ut cum intemperie anni con-

Com. 28. huius


ni contingat: & maximè quòd ut dixi effectus Cometæ in multos annos extenditur. Quòd uerò de reliquis partibus dicit etiam illud uerum est & rationem habet naturalem. Similiter & Cometã cauda respicere stellas aliquas, seu erraticas, ueluti dictum est de Cometa illo Regio montani qui semper stellas Geminorum obseruabat minimè absurdum uideri debet, quodq; uires illius sortiatur aut illarum: Tunc enim maxima siccitas fontium fuit, & Henricus rex Angliæ cum filio Eduardo interemptus est. Constat autem Geminorum stellas fermè omnes & maximè præcipuas naturæ esse Martis & Saturni, præter Apollinem qui Mercurij est. Similiter & Turcæ Pannoniam sunt deprędati. Quanquam Antonius Mizaldus Monslucianus, ex quo historiam hanc desumpsimus nescio quo pacto dum hæc scribit non sibi constat: modo ad annum MCCCCLXXV modo MCCCCLXXII Comęris uisonem transferens. Cæterum ut ad institutum reuertar, finiuntur effectus Cometarum trifariam, aut per se finita ui, quemadmodũ contingit in omnibus causis naturalibus: Aut alio Cometa superueniente qui uel contraria sit natura, uel ui sua aliud agendo euertat prioris decreta: Tertiò eclipsis aliqua uel coniunctio natura contraria in contrarijs Cometæ locis fiat. Porrò quod ad singularia attinet eadem est ratio quæ in eclipsibus. Nam si in loco decreto Cometæ subiecto quis habeat uitæ significatorem, aut ascendens, periclitatur de uita: Si uerò cœli cor, alijs quidem euertit dignitatem & statum, alijs uerò constituit, prout natura loci & genituræ fuerit. At uerò in his qui nuper nascũtur, alia ratio est. Quicunq; enim nascuntur cum Cometa in ascendente, uel omnino non uiuunt, uel si uiuunt, egregij & magni uiri euadunt. Similiter si quis nascatur Cometa Medium cæli possidente, maximus profecto erit. Motus enim ualidi circa fortunam illius semper erunt & felices, quoniam omnia fauorem trahunt ab initijs suis. Quòd si moriantur qui sic constitutum habent Cometem, non ob id moriunt quoniam Cometem sic habeant, sed ex alia causa. Non sic autem qui oriente Cometa nascuntur: plurima enim ex his moriuntur ut dixi, quoniam ualidum motum nascẽtes sustinere nequeunt: quod si sustineant, manci aut debiles euadunt: non secus ac qui maleficas in ascẽdente habuerint: qui uerò omnino euaserint ab omni calamitate ualidi sunt, & efficaces, ac prompti, & omnino ad maxima negocia nati, quibus etiam principatus contingunt: motum enim ualidum habent. Quod uerò ad situm orbis attinet, diligenter obseruandum est tempus medium ipsius Cometæ, aut initium, uel tempus maximi motus, & qui dominus fuerit loci Cometæ & succedentis anguli, si ordine signorum moueatur: aut antecedentis si contra ordinem signorum: Is erit figuræ & Cometæ dominus & futurorum significator. Horum omnium igitur causa Cometę qui ab Haly describitur historiã quasi pro exemplo subijciemus. Inquit ille.

Volo narrare ostentum quod uidi dum iuuenis essem atq; studerem: apparuit Cometes cuius pars solida erat rotundæ figuræ, triploq; maior Venere, cuius claritate totus orbis illustrabatur, eratq; Lux eius quantum si quarta pars Lunę luceret. Cuius locus fuit in quintadecima parte Scorpij, mouebaturq; motu primi mobilis ab oriente in occidentem, ita ut uelocius procedendo ferretur contra signorum ordinem, donec peruenit ad quintamdecimam partem Virginis. Cum uerò primum incepit apparere situs cœli talis fuit qualis hic describitur. Successit autem inter Mauros discordia maxima, inde prelia & cędes, & ciuitatum ac magnarum regionum depopulationes, & siccitas aëris, & annonæ penuria, indeq; pestilẽtia maxima, ut mors, tũ peste, tum fame, tum bello fuerit innumerabilium hominum. Excitatusq; est hęreticus siue rebellis (Nam ut Ioãnes Leo affirmat, rebelles in Aphrica in titulo legis seditiones mouẽt ac populum ad se trahunt dicentes Maumethem sic & sic uelle adorari, atq; eo modo tyrannidem occupant nulli crudelitatis generi parcentes, ut etiam filios ex utero uiuentium matrum extraherent) qui Regem Meche & Hyetob maximis cladibus affecit. Hoc igitur de Hęreticorum natura ascripsimus, ut intelligeres quantum mali sub uno uerbo hęretici comprehendere Haly uoluerit. Nunc uerò quod ad rem attinet explicemus: primum obseruandum est quantum ualeat diligentia cum Haly unius Cometæ obseruationem posuerit tam absolutã eo tempore quo difficillimum

erat

erat Astrorũ motus supputare cum deessent Ephemerides: ut difficilius esset unum thema erigere cœli, quam nunc centum: Est tamẽ nostro tempore præter illam quam scripsimus à Regio Montano obseruatam (qui Princeps sua ætate Mathematicorum (& meritò) habitus est, quę cõfusa à Mizaldo ad nos peruenit: Et si etiã diligẽtissimè exscripta fuisset ab eo, nihilominus multum ab Halyi industria deficiebat) nullius alterius obseruatio memoria digna ad me puenerit. Mihi uerò non tãtum ocij fuit postquam maiora tractare cœpi, ut tot rebus satisfacere possem. Forsan si successerint, Deoq; id placuerit, cuius numine cuncta mihi licuerũt aliquid in rem addam. Nunc uerò sufficiat homines excitasse ad maiora capescenda, paulò diligentius obseruanda atq; tradenda. Qua in re dignus est laude Antonius Mizaldus quod quantum potuit materiam hãc crinitarum ac uolantiũ ignium excoluit: forsan etiam in melius (quod illi suaserim) prouecturus. Sed hoc uitium tantæ negligentiæ ob id solum nobis contingit, quod malimus uideri quàm esse: quo cum caruerint Arabes, meritò digniores laude uidentur. Atq; ea ratione maximè damnandi qui illos tã impudenter insectantur, nisi quòd illi præstare uoluerint, ipsi re ipsa præstent. At uerò qui solum in eos inuehuntur ut aliqui esse uideantur, non ne illud Horatianum manes Arabum iustè obijcient:

Tu cum sis quòd ego, & fortassis nequior, ultrò
Insectere uelut melior, uerbisq; decoris
Obuoluas uitium: Quid si me stultior ipse
Quingentis empto drachmis deprenderis?



Sed iam ad propositum reuertamur (Quandoquidẽ maxima laus fuerit Haly Rodoan ea scripsisse temporibus illis infelicibus, linguaq; tam rudi, quæ nostri cũ tanta copia librorum, tam felici æuo, nec imitari nedum æquare potuerunt. Græcorũ uerò quisquis ille fuit, qui commentaria ea scripsit, nugacissimus atq; rudissimus improbissimusq;, tantum chartæ perdiderit, nec ullum alium uideã ex illis qui non plus præstet Grammaticum quàm Astrologum, meritò plus decemus fuisse ingenij Arabibus sedulitatisq; atq; industriæ. (Atq; huius qualicunq; ad nos uenerit laboribus adiutum me plurimum fateor nec ullius alterius quicquam) Græcorum & recentiorum plus felicitatis, ambitionisq; ac nugarum) Secundum obseruatione dignum est thematis in eclipsi atq; in Cometis cœlestis erectionis exemplum: cum quatuor tantum cardinibus, locoq; initiorum quartæ & decimæ, cordis & imi cœli dispositio, nõ solum iuxta Arabum consuetudinem, sed etiam Ptolemæi, locorumq; Planetarũ quonam pacto in themate disponi debeant pateat. Tertium est quod initium ipsius Cometes potius quàm medium aut finem obseruauit, non quidem simpliciter, sed cum primum apparuit. Quartum quod Cometem hora qua erigit ascendens infra terram ponit, cum tamen non possit tunc uideri: Id factum subtilissima ratione atq; notabili: Nam cum certum illius initium uix sciri possit, ideò primam Solis cum Luna con-

iunctionem obseruauit, quæ post Comete ortum fuit: Tempore autem eius coniunctionis contingit ut Cometes ipse sub terra lateret. Itaq; in alijs ita faciendũ iure merito aliquis censebit: Si tamẽ uerũ initium habeat, illud obseruare etiã oportet. Quintum est circa significata, hæc aũt quod ad legem Maumethanorũ pertinerẽt Halymanifestè declarat, quod lex sua à Scorpionis signo initiũ habuerit, idq; diligenter animaduersum. Deinde quod hic omnia mala decernerent & maxima omnia: maxima quidem propter sideris magnitudinem, diuturnitatem & splendorem: Quod uerò omnia malorũ genera, quia tota erat de natura Saturni, Martis & Mercurij. Primum quod stellæ quæ circa locum crinitæ erant in Scorpione eo tempore omnes de natura erant Martis atq; Mercurij. Deinde quod crinita esset in domo Martis et proxima illi per sex partes. Quarto quod Mars ipse esset in domo propria. Quinto & sexto quod uterq; scilicet crinita & Mars essent in angulo hora interlunij. Septimo quod ut declaratum est quod Scorpio sit pessimum signum omnium eorum quæ sunt in cœlo. Octauo quod Mars erat in finibus Mercurij. Nono quod trigonus tam crinitę q; loci Martis, Marti subijcit. Decimo quod Saturnus projciebat radios ante locum interlunij & ante locũ crinitę, & in angulo erat ascẽdẽtis infortunatus in Leone. Vndecimo quod crinita accedebat ad Saturnũ & Saturnus ad crinitã, unde erat maxima applicatio & mutua per quadratũ. Duodecimo quod crinita nata sit in oppositione loci interlunij ad unguem & in tempore etiam ipsius interlunij: ex quo declarabat maximus effectus & diuturnus, qui debebat succedere: Ideoq; durauit per multos annos calamitas illa. Tertiodecimo quia coniunctio facta est in cardine illius regionis respectu ciuitatis principalis quæ erat Alforat in Aegypto. Quartumdecimũ est quod dominus finis coniunctionis fuit Mercurius & ipse quoque ualde potens iuxta cœli cor. Quintodecimo quod Cometes progrediebatur contra ordinem signorum & hoc ut dixi significat hæreses & legum turbas, quibus nullę sunt crudeliores: cum in omnibus malis alijs homines sciant se mala facere: sed in seditionibus legũ & hæresibus, & bellis propter diuersas leges suscitatis, homines cum sæuiant in infantes & puerulos, uiros cruciatibus & ignæ perimant, captiuos in seruitutem abducant, agros deuastent, ciuitates incendio diruant, alij putant se Deo obsequium præstare, alij simulant. His igitur tot modis probus Haly nobis insinuauit quonam pacto & deliquiorum & crinitarũ locus, tempus, genus, qualitas & magnitudo effectus considerari debeat. Reliquum est ut quarundam crinitarum clariora exempla subijciam. Cum igitur Xerxes Persarum Rex maximum exercitũ comparasset ut in Græciam ueniret, apparuit deliquium Solis & crinita ceracias dicta ad instar cornu obliqua, successitq;, ut Xerxes Græciam totam deuastauerit: ipse uictus à Themistocle nauali prælio, reuersusq; est ignominiose etiam magna parte exercitus terrestris amissa. Temporibus Neronis crinita alia fulsit inde interfectus ipse, & bella ciuilia tãta crudelitate exarserunt, ut nihil fermè toto orbe multis annis intactum relictũ sit. Nam Cometes admodum fuit diuturnus, quippe qui sex mensibus totis resplenduit. Antequam Ludouicus Germanicus & Carolus Caluus prælio exitiali inter se dimicarent, Frater contra fratrem in Gallia, quo nullum fuit cruentius neq; maius, adeoq; ue conciderint Gallorum uires ut nunquam postea plenè potuerint restitui, Cometes ingentes apparuerunt è quibus ultimus fuit in Aquario, primus in Libra, secundus in Ariete. Quidam uolunt diuersis annis sed eodem ordine apparuisse. Temporibus Ioannis XVIII Pontificis apparuit Cometes terribilis meridiem uersus, quem secuta est mors Pontificis ipsius, ingensq; fames ac pestis. Ante Constantini mortẽ Cometes magnus pluribus mensibus apparuit, qui & illius mortem prænũciauit, & seditiones ac bella & calamitates quæ toti orbi contigerunt propter diuisionem imperij inter tres filios quos hęredes reliquerat. Vltimo anno Vespasiani Cometes uisus est: quem ille (quod iocosus esset) ridebat dicẽs pertinere ad Regem Parthorum qui comã nutriret: Ipse tamen mortuus est. Inde etiã paulopost mortuo Tito succesſere nefanda Domitiani tẽpora. Anno MCLXV in Scotia apparuit Cometa ingẽs cũ duobus longissimis radijs ardens, intraq; quatuordecim dies Malcolmus, quartus Scotorum

torum Rex cognomento Virgo ob continentiam, mortuus est. Hoc uolui subijcere ut intelligeres diuersas esse formas atque innumerabiles crinitarum: quasdam incuruas ut illa Xerxis, quasdam bifidas ut hæc, atque species alias infinitas quæ describi nequeunt. Anno MCCXIIII mense Martio duo apparuerunt Cometæ terribiles in Scotia alter Solem præcedens, alter sequens, quo anno felicissimus & optimus Rex Vuilhelmus cum annos quadraginta nouem regnasset, senio extinctus est. Anno MCCLXVIII Cometes miræ magnitudinis sub meridie (magno pro miraculo certè) pluribus diebus uisus est in Scotia. Inde anno MCCLXXI nona Ianuarij uentus adeò sæuus exarsit, & cum ingenti tempestate, grandineq; insolitę magnitudinis seuijt ut tota Scotia deiectis ædificijs, igneq; accenso, propter uentos, eumq; qui asseruabatur in ędificijs usus gratia ignem, maxima pars prouinciæ exarserit. Itaq; intelligis non prorsus Cometas sequi affectus sensibiles, sed originem ac seminaria. Exarserunt & nostra tempestate anno MDXXX Cometes: Florentia in seruitutem redacta est. MDXXXI alius per Cancrum, Leonem, Virginem & Libram discurrens, terræmotus fuit in Lusitania. MDXXXII alius in Virgine, Libra, Scorpione intra tropicos, unde Frisij, Batauí, Zeelandi ac Flandri aquarũ inundatione submerguntur. Sequenti à fine Iunij usq; ad initium Septembris per Gemínos, Taurum & Arietem alius retrocessit, de quo dictum est, terræmotus ac uentus Rheno uicinas regiones circa medium noctis exagitauit: Fames Germanos uexauit. Subsequenti anno. in Polonia tam grauis fuit inundatio aquarũ ut Cracouiæ & Casimyriæ lapidei pontes & mœnia cum plurimis ædificijs sint euersa. In Brabantia fortuito igne apud Bredanium noningentæ & sexaginta domus conflagrarunt. Hæc de Cometis dicta sufficiant ut pro exemplo his quæ uenturæ sunt satisfaciant. Illud solum animaduertentes, quod cum ratione nõ constent aduentus futuri Cometarum, nec eclipses uulgus animaduertat nisi magnas, plurimas ex utroq; genere quæ ad rerum notitiam pertinerent, historiarum scriptores præterijsse. Nunc uerò inuentis Ephemeridibus, deliquia omnia obseruare licet.

Multiplicatio effectus syderum secretà, & seruatoris geneſis.

Sciẽdum est præterea quod si uolueris cognoscere res magnas, oportet ut has tres regulas memoriæ mandes: primum raritatem seu tempus, & multiplicabis unum in aliud si sit exquisitum, & si non in partem illius rationem dierum: & numerus qui prouenit, erit numerus dierum illius effectus. Exemplum si fiat coniunctio Saturni & Iouis in aliquo puncto, & præter id Lunæ ad unguem in annis uiginti, dicamus quod fiat coniũctio Saturni & Iouis & Lunæ recursus sit in uiginti septem diebus & octo horis, tunc multiplicabimus uiginti septem & tertiam partem, & fient anni quingenti quadraginta sex & duæ tertię, scilicet effectus tempus illius coniunctionis. Sed tamen ab alia coniunctione poterit ante id perturbari, & maximè post dimidiũ temporis, augebiẽ enim naturaliter effectus usq; ad annos ducentos septuaginta tres cũ tertia: & hoc ubi coniunctio omnium triũ fiat in eodem pũcto. Sed ponamus quod Luna distet tunc triginta minutis, accipiemus semidiametrum Lunæ qui est quindecim minuta & uidebimus proportionem distantiæ ad ipsam semidiametrum ut demus illi dimidium additionis, quia semidiameter est dimidium distantiæ. Et si Luna distiterit uno gradu, dabimus quartam partem ut multiplicemus sex dies & uiginti horas in uiginti annos, & erit tempus effectus anni centum triginta sex: & ita faciemus donec Luna plus distiterit quàm sit lumen eius quod superius diximus esse partium duodecim & dimidiæ. Et licet hæc ratio non sit omnino exquisita, est tamẽ sensibilis & ueritati proxima. Magnitudo autem Solis est minutorum sexdecim, Lunæ decem & septem, Iupiter & Venus quinque & usque ad sex fermè, Saturni & Martis quatuor, Mercurij duorum. Secunda regula est quod effectus multiplicantur in robore iuxta raritatem secundum exquisitam applicationem. Veluti Saturnus habeat quatuor uires, Iupiter quinque, Mars tres, & iungantur simul in eodem puncto: tunc multiplicabimus tres, quatuor, quinque simul, & erit effectus ille sexa-

ginta in robore: scilicet duodecuplus effectui Iouis solius, & quindecuplus Saturno, & uigintuplus Marti soli. Quòd si Mars distiterit per unum gradum tempore quo coniunguntur Saturnus & Iupiter: tunc multiplicabimus tria minuta semidiametri Martis in tria numerum roboris Martis, & fient nouem: Hunc numerum diuidemus per sexaginta numerum minutorum distantiæ Martis à Ioue & Saturno, & exeunt tres uigesimæ, quas multiplicabimus in uiginti numerum roboris coniunctionis Saturni & Iouis, & fient tria, quæ addes ad uiginti & coniunctio ista habebit robur uiginti trium, & erit fermè octupla roborí Martis, & sexcupla roborí Saturni, & quintupla robori Iouis, & sic de reliquis. Robur uerò uniuscuiusq; Planetæ condisces ex magnitudine illius & tarditate motus: quanto enim maiores sunt Planetę & motu tardiore mouentur, tanto sunt robustiores in causis generalibus: In propriis autem non ita est. Exemplum, uolo scire quantum uirium habeat Saturnus in comparatione ad Lunam quo ad effectus longitudinem: Videó quod Saturnus reuoluitur in annis XXIX. diebusq; CLVIII, & sunt dies XM DCCL. Hoc duco in semidiametri sui quadratum fiunt dies XCVIM DCCL. Similiter duco circuitum Lunæ in quadratum minutorum semidiametri, & fiunt dies VIIM DCCCIC. cum tertia, diuido unum per alium, & exeunt duodecim & tanta est proportio uirium Saturni ad uires Lunæ. Idem dico de coniunctionibus quo ad effectus longitudinem. Et potest demonstrari uno uerbo, quia effectus durant ad reditum, utpote coniunctio Saturni & Iouis usq; ad aliam coniunctionem: & Saturni ingressus in initium Arietis usq; ad alium ingressum in initium Arietis: Quia nihil datur inane in natura: Et ideo si effectus non duraret usque ad reditum esset circuitus Mathematicus non naturalis: Et causa sine effectu, & impotentia quædam: Quamobrem proportio circuitus ad circuitum, ut temporis ad tempus, quod erat probandum. Vnusquisq; tamen horum circuituum redigitur ad dimidium: nam ab oppositione finitur coniunctionis uis, attenditurq; ipsa oppositio. His itaq; uisis manifestum est quod in utraq; regula dictum de duobus Planetis & tribus, tenet etiam in quatuor & quinq; & sex: utpote si iungantur ad unguem uel per partes Saturnus, Iupiter, Mars & Luna, tam quo ad magnitudinem effectus, quam temporis multiplicantes tempora & uires illorum, sequentes regulam primam in temporibus & secundam in uiribus.

Ex his concluditur quod potentissima coniunctio & maximè diuturna, est capitis Arietis octauæ sphæræ cum capite Arietis nonæ: quia non fit nisi in XXXVIM annis. Et etiam sunt qui dicant in quadraginta nouem millibus. Et in ea coniunctione palam est quod consentiunt omnia signa nonæ sphæræ, & omnes stellæ octaui orbis tribuunt uires suas, & omnes Planetæ quia absides illorum mouentur motu octaui orbis & etiam quia ecliptícæ se iungunt inuicem, ad quam Planetæ tum propter Solis motum, tum propter latitudinis rationem, habent respectum.

Secunda est coniunctio Saturni & Iouis in signo Arietis, id est, circuitus ex Ariete in Arietem qui fit in DCCXCV annis habita ratione mutationis trigoni.

Tertia est mutatio coniunctionis Saturni & Iouis ex trigono in trigonum quæ fit in centum nonaginta nouem annis: Et fit secundum ordinem signorum, id est, ex trigono Arietis primo in trigonum secundum Tauri, inde in trigonum Geminorũ, inde Cancri, post reuertitur ad primum trigonum.

Quarta est reditus Saturni ad initium Arietis in triginta annis.

Quinta est coniunctio Saturni & Iouis, quæ fit singulis uiginti annis.

Sexta est reditus Iouis ad initium Arietis, qui fit in fine duodecim annorum.

Septima est coniunctio Martis & Iouis, quæ fit in uiginti septem mensibus.

Octaua est coniunctio Solis cum Marte, quæ fit in uiginti sex mensibus.

Nona est coniunctio Martis cum Saturno, quæ fit in uigintiquinq; mensibus.

Decima est circuitus Martis, qui fit in uiginti tribus mensibus.

Vndecima est coniunctio Solis cum Ioue quæ fit singulis quatuordecim mẽsibus.

Duodecima est coniunctio Solis cum Saturno quæ fit singulis tredecim mẽsibus.

Tertia decima est circuitus Solis qui fit in duodecim mensibus. Et quod dixi de Sole quo

se quo ad proprium circuitum & quo ad coniunctionem cum superioribus, intelligitur de Venere & Mercurio. Et similiter quod dicemus de coniunctione Lunæ cũ Sole intelligendum erit de coniunctione Lunæ cum Venere & Mercurio.

Quartadecima est coniunctio Veneris cum Sole, quæ fit in decem mensibus seu diebus CCXCII.

Quintadecima est coniunctio Mercurij cum Sole quę fit in duobus mensibus seu diebus LVIII.

Sexdecima est coniunctio Lunæ cum Sole, quæ fit in diebus uiginti nouem & horis decem, & mensis Lunaris.

Decimaseptima est reuolutio Lunæ, quæ fit in diebus XXVII & horis octo.

Decimaoctaua est reditus cuiuscunq; Planetæ uel fixæ uel loci coniunctionis ad finitorem in ascendente, uel ad circulum medij cœli, qui tantam habet uim quantã habet ingressus stellæ eiusdem in primum punctum Arietis. Et hoc demonstratur ex tertia regula quæ talis est. Quodlibet astrum tantam sortitur uim per se quanta est raritas eucẽtus: iam hoc enim demonstratum est superius: & hæc raritas in gradu est semper trecentesima sexagesima pars: igitur si astrum est idem & raritas eadem tantũ est habere astrum illud in gradu ascendentis quod fit in quolibet die, & uocatur hic circuitus diurnus, quantum est quòd illud astrum ingrediatur primum punctum Arietis. Ostendo modo quòd sit eadem raritas, quia sicut in uno die manet ille gradus quatuor tantum minutis in ascendente, & Saturnus manet in primo gradu Arietis per unum mensem fermè: Et ita licet ingressus Saturni in Arietem non fiat nisi in triginta annis semel & Saturnus in ascendente singulo die semel sit, quia tamen in ascẽdente non manet nisi momento, id est, quatuor minutis horæ, qui sunt pars trecentesima sexagesima unius diei, & est totius circuitus, & in primo gradu Arietis per mensem, qui & ipse est trecentesima sexagesima pars circuitus triginta annorum, patet quod tam rarũ est habere Saturnũ in gradu ascendẽtis quàm in primo gradu Arietis. Idem potest demonstrari de Luna & de coniunctione magna capitis Arietis octauæ sphęræ cũ capitæ Arietis nonæ: quia licet non fiat nisi in triginta sex millibus annis, quia tamen durat caput Arietis octauæ sphæræ in primo gradu Arietis nonæ, & quælibet stella fixa octauę in certo gradu nonæ, centum annis: patet quod tam rarum est habere caput Arietis in ascendente, siue octauæ siue nonæ, quantum est quod quis nascatur tempore illius coniunctionis, scilicet capitis octauæ sphęræ cum capite nonæ in eodem gradu. Et sic de reliquis in quibus habetur ratio circuitus, quia unus terminus manet fixus. Similiter probo de his in quibus uterq; terminus mobilis est: & manifestum est gratia exempli in cõiunctione Iouis & Saturni, quod licet fiat in uiginti annis solum talis coniunctio, tamen manent iuncti per trecentesimam sexagesimã partem circuitus, id est, per plus quàm uiginti dies. Et ita de omnibus alijs. Et eadem est ratio de circuitu & coniunctione corporea respectu unius ex illis astris in puncto ascendentis, uel in puncto cordis cœli. Ex quo sequit̃ quod etiã cõiunctiones omnes seu Planetarum seu ad fixas, respectu eiusdem spacij puta unius gradus uel decem minutorum uel in eodem minuto ipso, sunt eiusdem uirtutis quantum ad raritatem, & etiam quantum ad uires respectu raritatis. Sed non tamen respectu stellarum quæ iunguntur: quia ut iam dictum est plus potest coniunctio Saturni cũ Ioue, quàm Martis cũ Ioue: & multo plus coniunctio Saturni cũ Ioue, quàm Veneris cum Mercurio in eadem distãtia ratione corporũ ipsorũ. Et ita etiam plus faciet coniunctio Saturni cum Ioue in eodem gradu in quacunque parte natiuitatis, quàm habere Saturnum uel Iouẽ solum in gradu ascendentis, uel cordis cœli: non ratione raritatis: quantum enim ad hoc sunt ęqualis potentię, ut iam demonstratum est: Sed ratione ea quod Planetæ iuncti per secundam regulam conduplicant uires. Et ex hoc sequitur aliud, quod aliqua coniunctio Veneris & Mercurij, erit longè potentior quàm coniunctio Saturni & Iouis, uel Solis & Lunæ: quia coniunctio Saturni & Iouis, uel Solis & Lunæ, erunt in eodem gradu tantum, & coniunctio Veneris & Mercurij erit corporea. Corpoream coniunctionem uoco, quando Planetæ non plus distiterint inter se

quàm sit aggregatum semidiametrorum, utpote quod Venus & Mercurius non distent inter se plusquam octo minutis in longitudine: Et ita Venus à Luna uiginti tribus minutis. Et si talis coniunctio fieret etiam secundum latitudinem, esset longè ualidior. Latitudo tamen non tantum facit quantum differentia in longitudine, quia distantia in latitudine non impedit, quin ambæ stellæ ferantur in eodem circulo transeunte per polos zodiaci. Et maxima distantia duarum erraticarum quæ esse possit in latitudine est inter Martem & Venerem, quando Mars fuerit in extremo latitudinis Australis, & Venus Borealis: tunc enim distabunt partibus quatuordecim cum dimidio. Secundus modus quo coniunctio Veneris & Mercurij poterit esse maior coniunctione Saturni & Martis (Omitto nunc quod essent cum aliqua stella fixa uel in initio Arietis, & Saturni & Iouis in fine Virginis, nam istud esset multiplicare coniunctionem & facere triplam) est quod Venus & Mercurius sint in gradu ascendentis, & Saturnus & Iupiter sint in fine secundę domus gratia exempli: Et hoc ex tertia regula. Tertius modus est quod in una natiuitate in qua Venus & Mercurius iunguntur, Venus uel Mercurius dominentur ascendenti: in alia ubi iunguntur Saturnus & Iupiter neuter habeat potestatem in ascendente, uel nullam omnino, ut si ascendat decima pars Virginis aut Tauri: uel paruam ualdè, ut si ascendat decima pars Leonis: Vbi solus Iupiter nihil aliud habet nisi dominiũ trigoni, & maximè si natiuitas diurna fuerit. Quartus modus est si dum Venus est iũcta Mercurio sit Cometes in cœlo, aut fiat coniunctio Lunæ cum Sole, & magis si fiat eclipsis, tunc enim etiã quod non aspiciat locum (quia in cœlo est ueluti in homine qui totus est transpirabilis ut sentẽtia Hippocratis utar, omnia ab omnibus afficiunt quo quomodo) erit coniunctio hæc Veneris & Mercurij potentior coniunctione Saturni & Iouis, cum qua nihil harum magnarum rerum cõtingat. Et nota quod magnæ res in cœlo sunt sex: Prima est coniunctio ecliptícarum octaui & noni orbis & capitum Arietis eorum. Hæc enim præstat ordinem uniuersæ machinæ elementari. Secunda est Cometes qui maria & terras & omnia miscet. Tertia est deliquiũ luminaris quod plerunque perturbat unũ certum genus determinatũ. Quarta est coniunctio Solis & Lunę, qua reguntur omnia humida: Ideoq; maria, Cancri, Pisces, morbi, ligna cædua, & talia. Quinta est cõiunctio Saturni & Iouis quocunq; in loco contingat, qua reguntur leges, imperia, regiones. Sexta est coniunctio luminarium cum fixis, quarum Solares uentos regũt, & Lunares maria concutiunt. Forsan dicet aliquis quod duo Planetæ iuncti non multiplicant uires: sed iungũt solum, sicut duo reges fœdere colligati. Sed uidemus quod qui habent iunctos Planetas corpore, plurimum possunt, in comparatione eorũ qui eos iunctos habent tantum in eodem gradu: cum tamen nullum deberet esse fermè discrimen si in coniunctione nulla uis noua consurgeret, nam qui distarent (cũ uirtus singulorum iam per se maneat, tota etiam si nullo modo iungantur) iuncti per unum gradum idem fermè efficerent, quod corporaliter, quod iam patet esse falsum.

Decimanona est coniunctio Veneris & Mercurij quæ irregularis dici potest, hæc autem certum non habet circuitum, fit tamen circuitus eius ex multis coniunctionibus collectus atque diuisus, & uocatur circuitus medius quinque mensium & trium dierum uel circiter.

Vigesima est transitus absidum de uno signo in aliud qui est circiter triũ millium annorum: alij dicunt quatuor millium: Sed quia sunt quinq; absides præter Lunam: Ideò contingit ut non possit fieri quin transitus seu mutatio fiat singulis mille ducentis annis: aut quãdo serius iuxta aliam opinionem in annis mille sexcẽtis. Et ex hoc facile est intelligere cur literę tantum habuerint incremẽti à centum annis citra, quia iam centum annis mutatus est absis Mercurij ex Virgine in Libram. Et primus punctus Libræ est punctus ualde potens, quia est punctus æquinoctialis. Et significat perturbationes in legibus ut dictum est. Et similiter à ducentis annis citra facta est permutatio absidis Solis & Veneris in primum punctum Cancri, qui est punctus tropicus: & trigoni sectæ Maumethicæ: ideò significauit incrementum magnum illius sectæ. Et quia Mars est dominus illius trigoni significauit inuentionem mirabilem

& exitia-

& exitialem (& ut more uulgarium loquar diabolica) machinarũ ignearum, quarum uis similis omnino est fulmini, & forsitan maior ut existimo. Et quia Luna est domina loci illius, significauit detegendum uniuersum orbem per nauigationes. Et quia Iupiter est dominus altitudinis, significat omnium artium illustrationem, & uitam maximè ciuilem: & inuentionem illam gloriosam typographicam qua omnes disciplinæ maximum susceperũt incrementum. Et prima mutatio erit absidis Iouis in primũ punctum Libræ inter sexcentesimum & octingentesimum annum, quo tempore incipiet mutatio legum cui nunquã fuit similis, & consurget una noua lex, & cum his alia multa. Et hæc pauca placuit adiungere ex libris de Archanis æternitatis, pro exemplo.

Nunc uerò reuertor ad propositum, & dico quod hoc est illud quod dixit Ptolemæus superius quod erat relinquendum gnauitati Astrologi. Oportet enim talia diligenter considerare. Animaduertendum etiam quod reditus Solis ad eandem stellam fixam singulo anno fermè faceret annum integrum trecẽtorum sexagintaquinque dierum & sex horarum. Veluti nunc ad primam stellam quæ est in lino piscium, faceret semper æquinoctium Vernum, quia annus fermè tantũ retroactus est quantum stellæ fixæ processerunt. Erat enim tempore Christi æquinoctium Vernum uigesima tertia die Martij: Plinius posuit (cui credendũ est, ex obseruatiõibus ut uerisimile est Sosigenis iussu, C. Iulij Cęsaris) uigesima quinta die Martij: & Brumam uigesimaquinta die Decembris: nunc autem est æquinoctiũ Vernum decima die Martij, ita ut Sol fermè quindecim diebus anticipauerit. Fixæ autem decem nouem partibus processisse uidentur, ita ut parum à nauitate Christi usq; nunc differant dies anni in quibus Sol iungebatur stellis fixis tempore Christi, & etiam tempore nostro, ut sint fermè quinq; dies differentiæ in quibus nostro tempore Sol posterius occurrit stellæ eidem quam tempore Christi. Exemplum, nonis Ianuarij, id est, quinta die Ianuarij scriptum inuenitur apud Ptolemæũ: Fidicula exoritur, Aquila occidit, Delphinus totus emergit, uentorumq; fit concursus: dicemus quod ista contingent circiter decimam Ianuarij & infra uidebis, suo loco. Et si sumeremus motum medium fixarum quo proceditin 136 annis parte una conueniret ad unguem: Antea enim erat uelocior. Ex his tandem deuenio ad id quod est pro exemplo maximo omniũ eorum quæ dicta sunt: Et est genesis Domini nostri Iesu Christi, in qua tot uidebis & tanta mirabilia, ut iudices quòd etsi naturalibus rationibus solum insistendum esset, Christi natiuitatẽ fuisse admirabilem, naturãq; illi tribuisse quantũ cõcursu omniũ cœlorum excogitari poterat, & naturaliter legẽ nostrã esse legẽ pietatis, iustitiæ, fidei, simplicitatis, charitatis, optimeq; institutam: nullũq; habiturã finem, nisi post reditũ ecliptica rum, in quo fiet nouus status uniuersi. Nec tamen me uelle credas dicere quod uel diuinitas in Christo, uel miracula eius, uel uitæ sanctitas, uel legis promulgatio ab astris pendeant: Sed sicut natura illum ornauit optimo temperamento, pulchritudine corporis, sanitate perpetua, grauitate intuitus, quæ omnia fermè ex Iosephi in de bello Iudaico testimonio colliguntur, sic etiam Deus optimus & gloriosus optima constitutione astrorum atq; admirabili, genesim illius adornauit: Quòd si frustra esse talem constitutionem uoluisset, duorum alterum contigisset: aut ut non omnino tam constanter diem & horam natiuitatis illius ecclesia obseruaret, imò & horæ momentum: Et ut hæc omnia per tot sęcula innotescerẽt adeò diligẽter: uel nõ adeò omnia fuissent in illius genitura singularia, magnifica, gloriosa, & tanto cõcursu digna: tum uerò omnibus quæ successerunt de uitæ sanctitate, de morum grauitate, de sapientia, de persecutione, de lege optima promulgãda, de maiestate & concursu populorum, de morte deniq; ac mortis tempore, adeò congruentia, ut nil exactius posset excogitari. Hac igitur fiducia, quod diuina mens uelit alicuius propositi causa hanc tantam rem euulgandam (quam iam uiginti annis atque amplius cum struxissem, non ausus sum ob religionem ædere) duxi. Neq; in numerum coaptandam tantam luminis maiestatem censui: sed opportunè hic inserendam putaui, quod res maximæ, atque generalissimæ hic traderentur: Nulla uerò illustrior toto orbe fuit

quàm Christianæ legis promulgatio (omitto nunc diuinitatem) siue ad legis magnitudinem quæ totum orbem complexa est, siue diuturnitatem, ut quæ iam mille quingentis uiginti annis perseuerat, seu quod aduersus Cæsares orbis dominos (uix credas) uulgata sit, seu quod omnibus maius est, quod aduersus uitia: Vt ne glorient qui



Motus latitudines			
♄	Retrog.	M A	1. 4
♃	Medioc.	S A	1. 31
♂	Medioc.	S A	0. 31
☉	velox		
☉	velox	M A	1. 50
☿	velocis.	M A	2. 0
☾	velox	S D	4. 22

laxatis habenis liberioris uitæ, suum dogma latius breui diffuderunt: Sic enim Maumethes, sic reliqui. Facile enim est homines iam magno nixu naturæ procacis in uitia delabentes, etiam uncino adiecto secum trahere. At aduersus naturæ inclinationem, humanamq; leuitatem & auiditatem pugnare, hoc solum diuinum est atq; Dei munus. Itaque ut ad genesim reuertar, in illius ascendente quinque sunt maxima rarissima atq; præcipua: primum est coniunctio ipsa capitum Libræ octaui & noni orbis tam in sectione eclipticarum cũ æquinoctij circulo, quam etiam quod caput Arietis parui circuli octauæ sphæræ in una esset longitudine cum capite Arietis quod est centrum parui circuli ipsius nonæ præsens, non dico quę præfuerit: (nam Christi tempore ad unguem celebrata fuit) hęc autem ut demonstratum est primum illustrissima est concursu tot stellarum clarissimarum octaui orbis & effectum suum in annos triginta sex mille, ut superius docuimus, ad minus extendit. Secundum est Cometes ipsius fulgentissimi præsentia, quę conturbationem in toto orbe & nomen clarissimum declarabat. Tertium erat Iupiter qui suauitatem morum & probitatem & mansuetudinem cum eloquentia & sapientia maxima declarabat. Itaq; factum est cum in ascendente esset, ut anno duodecimo in templo disputauerit. Iupiter enim ibi ante tempus dat sapientiam. Iam, ne antea procedamus, Iupiter præstabat gratiam & eloquentiam & suauitatem morum: hanc Cometes per omnes populos uelut fulgur repente diuulgabat: Suprema uerò coniunctio in animis hominũ ita stabiliebat, ut neq; per turpissimam mortem quę cõtingit, neq; per edicta principum memoria eius qui illum cognouerãt posset euelli. Quartum fuit spica Virginis stella magnitudinis primę & naturę Veneris ac parum Martis, quę ante ascendens fuit partibus solum tribus, tum ob par. 2. Australis latitudinis, tum quia uerum æquinoctij punctum ascendebat, ideò eloquentiam & gratiam apud gentes præstabat, naturalemq; futurorũ cognitionem. Licet enim altius diuina resideret, attamen quod supra humanitatem sapientię

pientię

pientiæ est in humanis ex Veneris fulgentissimo sidere, stellisq; ex eius natura clarioribus habetur. Quintum erat punctus autumnalis æquinoctij nam ut dixi paulum uel momento temporis ante noctis medium natus est, quod etiam ex directione Lunæ ad occidentis angulum dignoscitur. Itaq; ob id necesse fuit tropicum æstiuum esse in cœli medio, atq; ob id Ptolemæo teste ad legem promulgandam aptissimum. Ibi etiam erat insignis stella Hercules uocata magnitudinis secundæ naturæ Martis, quæ tot nobiles morti fortissimè obijciendos declarabat: Tot martyres egregios, tot ordines militum Ioannis, Iacobi, Michaëlis, Petri, Pauliq;, Teutonicorum, Ensiferorum, aliorumq;. Ex occasu uerò unum, scilicet magna coniunctio quæ in Arietis tertia parte anno ante Seruatoris natiuitatem sexto celebrata est, cum primũ Saturnus ac Iupiter in trigono Cancri iungerentur: Eaq; iuxta Arietis capita utriusq; sphæræ quæ ad unguem ut dixi in angulo fuerant occidentis. Hoc igitur octauũ est insigne huius geneseos quo decernebatur, mors publica atq; famosa ob capitũ Arietum coniunctionem, Principumq; mandato & ob populi seditionem propter Saturni, Iouisq; coniunctionem. Significabat & à morte promulgandam legem quia capitum Arietum coniunctio erat in ipsa occidentis linea. Duo alia erant insignia ex cœli imò: Solis præsentia indicans mortem præclaram & à morte nomen clarissimum: Mercurius quoq; ibi presens & cum Sole & ascendens respiciens ingenium & dexteritatem maximam ac solertiam in rebus agendis declarauit. Adeò ut Euangelium referat turbas in responsis eius mirari solitas quæ constat non à diuina sapientia (quæ nullo tali indiget auxilio) sed humana profecta esse. Atq; hęc illa sunt decem singularia atq; rarissima huius genituræ, quorum cõcursu penè diuino, effigies quędam tam mirabilium operum quæ ab æterna serie constituta erant, præmonstrata est. Nunc uerò consentientia dicamus, Mercurius in apice parui circuli uelocissimus & cum Sole & in angulo & dominus ascendentis ex parte & in quadrato Iouis & Martis præstitit ingenium acerrimum & prudentiam maximam. Cum Iupiter esset in oppositio Martis & Mars in domo sua in occidente, contradictiones, æmulationes, insidias, grauissimaq; pericula decernebant. Sol in imò Cœli inimicus ascendenti cum Mercurio & in quadrato Martis Regiam potentiam infensam demonstrabat. Atq; id tam ab initio ut Herodes infantes occiderit existimans eum inter illos esse. Quia uerò Luna significatrix uitæ erat Sole & Sorte sub terra constitutis, & ipsa sub initio 34 anni ad occidentis lineam perueniebat in conuersa directione, isq; locus solus in hoc casu occidit, significauit eo tempore moriturum. Cumq; ibi essent Mars: Lunæ & ascendenti hostis, crudeliter & uiolenter periturum: Cumq; ibi essent radij Iouis oppositi mandato Iudicis, cumq; Solis quadrati etiam Regię potestatis cõsensu: Cumq; ibi coniunctio sphærarum, & magna seditione populorum & consensu gentis. Vnde illa uox plebis Crucifige Crucifige. Solem autem radijs suis mortem publicã decernere palam est. Saturni carpentum in ascendente quod altitudinem, trigonũ & finem ibi possideret effecit illum mœstum & taciturnum. Adeò ut Iosephus dicat uisum sæpius flere, ridere nunquam. Sed & ob id grandior ętate uidebat: spiritus enim tristis exiccat ossa. Vnde Iudæi existimabãt illum quadragesimũ annũ excessisse cum dixerint, nondum quinquaginta annos habes, & Abraham uidisti? Idem cum Venere faciebat maculosum in facie, ut Iosephus refert dicẽs, lentiginosus in facie. Quod si à Deo omnia fuissent profecta, quorsum erat lentiginosum creari? absoluta enim sunt omnia quæ à Deo proficiscuntur. Sed ut famescere, sitire, lassari, dolere propter plagas, mori ob resolutionẽ caloris naturalis, ita etiam ob Saturni & Veneris dominium maculosum nasci, & quæcunq; alia ut cæteri homines, perpeti naturaliter contigit: præter hoc unum, quod est ex uirgine, nasci. Incolumitas corporis & pulchritudo ob Saturni & Veneris dominorũ horoscopi trigonam radiationem ad ipsum horoscopum, Iouisq; præsentiam in illo contigit. Cumq; sors esset sub terra in finibus Saturni desolata significauit paupertatem. Vnde de seipso dixit filius hominis non habet ubi reclinet caput suum. Luna & Mars in occidentis angulo in signo terrestri perpetuas quasi peregrinationes & per terram ostendunt. Infans delatus in Aegyptum

ptum & reuersus totam penè prædicationẽ in itinere peregit. Luna propinqua Pleiadibus tumultus & turbas populorum significabat: & non absque contradictione & periculo, cum stellæ illæ ex natura etiam Martis sint, & ob Iouis, Martis ac Solis hostiles uicissim radios. Vnde illud Simeonis in Euangelio: Hic est positus in signum cui contradicetur. Cumq; Saturnus esset in nono loco, atq; retrogradus, significauit studium euertendæ legis in qua natus erat: Nemo autem legem euertit, nisi qui nouam condere uult. Cum uerò illud diuinitus faceret, naturaliter tamen hoc studiũ Saturni stella declarabat: Intentumq; perpetuò in opere faciebat. Cũ uerò coniunctiones capitum celebrarẽtur in ascendente & occidente, significauit & ab initio statim & in fine seculi obseruandam legem iustitiæ, quæ magis etiam circa finem ob Iouis & Saturni coniunctionem iuxta angulum occidentis celebratam. Hoc est quod dixit: cum uenerit filius hominis putas ne inuenturum fidem in terra? In medio uerò seculi peritissimè homines legem obseruabunt. Nam ibi maximum discrimẽ est inter ecliptícas: Suntq; ibi radij hostiles Solis, Iouis, Mercurij & Martis, quod indicat Regum metu ob Solem, sacerdotum improbitate ob Iouem, impiorum persuasione ob Mercurium, uiolentia & bellis ob Martem, euenturum. Itaq; uideant hi qui artem ueram esse negant an nos tempus mutauerimus: An astrorũ locum malè supputauerimus: An quicquam in decretorum recitatione à Ptolemæi sententia uariauerimus? Quid id igitur, reliquum est, nisi ut dicant Ptolemæum qui ne forsan unquam hanc genesim cognouit, ut arti fidem faceret, totum hunc librum ad eius exemplar cõfinxisse: Quo quid stultius dici aut absurdius excogitari possit, non intelligo.

Caput decimum.

TEXTVS LV.

De Nouilunio.

DEmonstrata iam ratione uniuersalis considerationis regionum ac urbiũ, sequitur quædam subtilior exquisitio, eorum inquam quæ singulis anni temporibus euentura sint, cuius tractatio quandam desiderat de Nouilunio ut uocatur anni disputationem.

Cum declarasset omnia illa quæ pertinebant ad res generales quæ sunt quasi præter naturam, in præsenti capite aggreditur secundam partem principalem, quæ est de proprijs qualitatibus uniuscuiusq; partis anni. Quam tractationẽ præcedente subtiliorem appellat, quoniam ut diximus mutatio temporum ex uentis contingit. Ventorum ratio, causæ, origo, accidentia, qualitates tam abstrusæ sunt, tam uariæ, mutabiles, incertæ, ut Aristoteles alio quin maximus naturæ indagator, nihil aliud proferre ausus sit quàm quod uentus sit exhalatio calida & sicca: Quod an planè omnino uerum sit, merito quisq; possit dubitare. Quod uerò sequitur ex hoc, arduum atq; difficillimum est, quod Gallaratæ pluit, atq; Cardani media uia serenum est, cum tamen uix mille passibus distent hæc duo oppida. Quæ nam igit̃ erit ars aut coniectura tam subtilis quæ discrimen hoc & causas illius in tam paruæ spacio quod uicẽ puncti gerit, seu ad cœli ambitum uisibilem, seu ad terræ superficiem cõferatur, assequi possit? Torsit me hoc diu argumentum, atque ut existimo, Ptolemæum etiam, propter quod coactus fuerit illa uerba addere (sequitur quędã subtilior exquisitio) nec ullũ maius argumentum Astrologo obijci posse, dubium non est. Sed si Medicina carcinomata curare non possit, non propter id ars contemnenda est. Nulla enim ars quantumcunq; egregia, omnia complecti potest atq; assequi: multa omittit Medicina, multa desunt in Geometria, plurima in Musica, neq; Grammatici, neq; Rhetores, neq; Dialectici artes suas perfectas habent. Quid dicam de Peripatetica Philosophia, quæ ne

unius

unius fermè problematis exquisitam rationem naturalem hucusq; docebat: Atq; ea de causa hæc pars in Astrologia manca est quæ de uentis agit atq; imbribus, quod in ipsa philosophia naturali causæ uentorum atq; ortus à quibus imbres proueniũt non solum omnino incertæ sint, sed ne unus peripateticus quidem uel tentare ausus sit, cum tamen ingentia uolumina nugis suis repleant, digladiantes inuicẽ, non ex ipsis rebus argumenta sumentes: Sed uerba Aristotelis tanquã Dei uenerantes: Et ut prophetæ ancipitia, uel ut inerudite Astrologi perplexa & plures habentia cõtrarios sensus quàm uerba, non secus ac ouillam pellem quantum uolunt distrahunt, atq; quo libet distorquent. Nec hæc mea est accusatio sed Galeni. Vtinam uerò uel ipse scripsisset, uel qui solus meritò probandus est inter peripateticos, Galenóq; atque nobis admirabilis uidetur quæ scripsit de uentis Theophrastus, inuenirentur. Præstabit igitur forsan (Neq; enim aliter pars hęc Astrologiæ intelligi potest ullo modo) quę nos in libris de Varietate rerum scripsimus de uentis, diligenter perlegere. Cum igiũ de nouilunio, id est, νεομηνία (Quid autem sit inferius declarabitur) quæstionem proposuisset, quæ differant audiamus dicentem. *Lib. 1. Cap. 1.*

TEXTVS LVI.

Quod igitur illud principiũ capi oporteat à reuersione Solis in omni ambitu illius, ac eum locum unde abierat ipsa res docet cum effectione ipsa tum etiam nomine. Quale autem principium in circulo cõstitui simpliciter possit, omnem etiam cogitationem fugere uidetur. In illo tamen circulo qui describitur per media signa, probabilia sola principia sumpserimus, eorum punctorum quæ æquinoctialis & coluri signant, hoc est, bina æquinoctialia & bina tropica. Sed rursum & hic dubitatio alicui forte oriatur, quo nam ex his quatuor ut principe recte utatur. Atque est de simplici quidem & circulari natura horũ nullum ut unius principij præcipuum. Scriptores tamen harum rerum uno quopiam usi sunt alio sanè alius cui quisque principium pro ratione & sensu naturæ suæ ascriberet. Etenim singula hæc membra eximium quoq; quiddam habent cur principium & nouum annum sibi iure uendicare uideantur. Nam æquinoctij uerni proprium, ut tum longiores dies noctibus fiant, humiditatisq;, hoc est, tempus. Humiditatis autem natura potissimum ut ante quoque diximus, in exordijs genituræ regnat. Solstitium longissimum diem ædit, & Ægyptijs inundationem Nili, ac ortum Caniculæ significat. In autumnali æquinoctio cadit tempus condendarum frugum, & quasi de nouo principio aliarum semina terræ mandantur. Bruma diem incipit diminutum producere. Sed conuenientius mihi ac naturalis uidetur, ad annuas inspectiones quatuor principia constituere, obseruatis & præcedentibus coniunctionibus Solis & Lunæ cum interlunij tum plenilunij, atque in primis defectiuis. Atque ita de Arietis principio iudicium facere de statu ueris. De æstate à Cancro. De autumno à Libra. De hyeme à Capricorno.

Laborat Ptolemæus ad declarandum quod oporteat quatuor principia pro quatuor anni temporibus obseruare: Illud intelligens quod cum uia Solis circulo cõstet non potest unus punctus habere uim supra totum annum: quia alia puncta & ipsa habent

bent uires cum sint saltem quatuor principalia: uocat autem (νεομηνίαν) non interlunium, ut iste exposuit, sed noui mensis initium, seu nouum mensem, quasi dicat nouum principiũ anni. Consulit igit̃ adductis rationibus pro singulis partibus, ut pro uere consideremus coniunctionem uel oppositionẽ quæ primo præit ingressum Solis in primum punctum Arietis, & pro æstate Cancri, & pro autumno Libræ, & pro hyeme Capricorni: Et maximè si coniunctio illa fuerit, cum eclipsi Solis, uel oppositio cum eclipsi Lunæ. Et ideò accipit coniunctionem uel oppositionem, quia utraque potest esse causa alicuius eclipsis. Et omne quod est potentia tale, est etiam principium agendi, & ideò reiecit quadratas radiationes in hoc quia nõ possunt esse causa alicuius deliquij. Iubet autem considerare coniunctionem uel oppositionem, quia possumus cum exquisitè sciant, erigere thema cœli, & cum hoc etiam cõsiderare ingressum ipsius Solis in punctum illum æquinoctium aut solstitiale. Sed quia tempus illud non habetur adeò exquisitè, ideò non possumus erigere thema cœli: Sed sufficiet disponere Planetas in locis suis & uidere aspectus illorum: Sicut fiant duæ figuræ pro Verno tempore, & duæ pro æstate, duæ pro Autumno, & duæ pro hyeme: Et sic erunt octo figuræ: quarum quatuor erũt perfectę cum situ Planetarum & erectione domorum. Et sunt illę coniunctionum uel oppositionum luminarium quæ proxime magis antecedunt ingressum Solis in punctum cardinale. Voco puncta cardinalia initium (ut dixi) Arietis, Cancri, Libræ & Capricorni. Et quatuor figuræ imperfectę in quibus solum est situs Planetarũ, & sunt sumptę ab ingressu Solis in illa quatuor dicta puncta cardinalia.

Sed si fuerit eclipsis Lunæ ante ingressum Solis in punctum cardinale, & inter eclipsim & ingressum Solis fuerit coniunctio luminarium sine eclipsi, uel si fuerit eclipsis Solis in hyeme, inter ipsam autem & ingressum Solis in primum punctũ Arietis, media sit alia coniunctio uel oppositio: quid dicendum erit? Respõdeo quod eclipsis primo erit considerandа, quia si potest super totum annum ut uisum est, multo magis super uer solum, aut ęstatem, aut autumnum, aut hyemem cui proximior erit. Figura igitur eclipsis primum locum obtinet statim sequentis temporis & in parte anni etiam in qua effectum suum ostensura est: In reliquis autem partibus anni obtinet ultimum locum nisi sit eclipsis ualida. Secundum locum obtinet figura ingressus Solis in punctum cardinale quo ad robur, sed non quo ad cognitionem. Tertium locum, quo ad robur, obtinet figura interlunij uel plenilunij proximioris ingressui Solis in punctum cardinale.

His uisis ponamus quod in uere sint signa multi humidi, significabit putredinem fructuum & paucitatem illorum & abundantiam herbarum inutilium. Et si fuerint signa caloris arbores cito emittent folia & florebunt cito & fructus uerni, ut fraga & cerasa erunt tempestiui: & si non colligantur ante maturitatem precipuè cerasa uermes parient: & apparebunt roſę ante tempus non multum odoratę & erunt omnia similia moribus temporum nostrorum, id est, composita ad speciem potius quàm ad ipsam rem: Erit igitur uer formosum & inutile. Quod si pręter id sint signa frigoris & siccitatis: in fine ueris cadet pruina iuxta plenilunium, & erũt paucissimi fructus eo anno, uini fermè nihil. Quod si uer futurum sit siccum pauci erunt fructus & boni & penuria frumenti. Quod si uer fuerit frigidum fructus erunt serotini. Aestas uerò si multis abundauerit pluuijs, fructus æstiui putrescent, & nõ erit copia frumenti, multíq; morbi erũt. Si uerò sit siccior, erit penuria frumenti, fructus æstiui erunt salubres, pisces morientur, morbi acutissimi. Si uerò calidior erunt & morbi multi, & multa copia fructuum æstiuorum. Si frigidior incolumis annus, fructus serotini.

Autumnus humidior, putrefacit uuas, uinaq; facit quæ uere peruertuntur. Si sit ultima parte humidior, sequenti anno erit penuria frumẽti. Si siccior in prima parte eo anno penuria erit milij. Si calidior, erit morbosus atque omnino malus. Si frigidior, autumnalium fructuum fiet iactura in quantitate, sapore, & gratia. Hyems frigida & sicca laudabilis est, frigidissima occidit arbores maximè quæ cœlo calido gaudent: Ideoq; in primis punicam malum, inde ficum & persicum, & super omnia ma-

lum

lum medicam cuiuscunq; generis: dico citria, arancia, limunia, & si magis sæuiat uitem & oliuam, cerasa & chrysomela. Calida uerò & humida hyems insalubris & segetibus inimica. Omnis præterea immoderata intẽperies mala & peruersio temporum etiam mala, & æqualitas illorum. Ventorũ quoq; multitudo noxia fructibus est, paucitas segetibus, tranquillitas totius anni de pestilẽtia suspecta est. Hæc igitur, cognitis primis qualitatibus, prædicere oportet Astrologum.

Quomodo autem primas qualitates cognoscere queat ex tribus illis figuris aut saltem duabus si deliquium nullum adsit regulam tradidit Ptolemęus dum de deliquijs loqueretur. Inspice igitur qui nam Planetę inspiciant Solem ingredientem locũ cardinalem, & ubi Luna sit: nam si propinqua sit Soli & infra terram, siccior erit constitutio: Et si remota & super terram, humidior: Et si commista Ioui, aër serenus erit, temperatus & clarus: Si Veneri, humidissimus, & pluuiosus. Venus enim pluuiarũ mater est. Eadem ratione uidebis & fixas quę Lunæ commiscentur. Postremo & dominos loci Lunę considerabis. Quod si cardinem sequentem ingressum potueris habere exquisitè non prætermittes. In interlunio autẽ uel plenilunio ipsum omnino considerabis etiam ut dictum est in deliquijs.

TEXTVS LVII.

Nam ipse quidem Sol uniuersales temporum constitutiones & modos facit, unde & penitus imperiti Mathematum futura prænoscunt. Sed & proprietates signorum ad significationem uentorum & generaliũ naturarum assumendæ.

Docet nos duo, primum quod Sol iuxta naturam stellarum quibus applicat generales facit constitutiones: utpote quod cum iungitur Caniculę cõmouet maria & maximos æstus parit & multos morbos, & hoc semper, & similiter cũ Vergilię oriuntur, flat Auster: oriuntur autem mense Maij: Cum uerò exoritur Orion flat Aquilo: oritur autem post Caniculam die sequenti mense Iulij: mense uerò Februarij cum Hidicula occidere incipit: Fauonius flat, confirmatur autem zona Orionis emergente, inde terra aperitur & pullulare incipit. Hæc igitur inquit Ptolemæus norunt cognoscere (etiam si Mathematica carent quod & superius in primo libro docuerat) nautæ atq; etiam prædicere. Similiter & agricolæ uentorum & statuum cœli habent cognitionem, quoniam à Sole pendet talis generalis mutatio. Cap. 23

Propterea consulo, ut quilibet qui uelit de futuris pronunciare statibus temporum anni, obseruet tribus uel quatuor annis exortus siderum & occasus singulis diebus, & præter id diligenter uentos & cœli status in sua regione: & in quibus concordant statusq; ipsi consistunt, adnotet, tabulamq; faciat toti anno inseruientem exemplo deducto à Ptolemæo qui talem obseruationem non omisit, quę ad nos peruenit diligentia Nicolai Leonici qui illam in Latinum uertit sermonem, impressaq; habetur cum P. Ouidij Fastis à Colinæo Lutetiæ, opus sanè per quam elegans: Sed cum tam publicum esset frustra hic adijciendum duxi. Ptolemæus autem ad situm urbis Alexandrinæ illum construxit. Quamobrem cum nulli alij urbi inseruiret, sola methodo utilis ille liber est, ut sibi quisq; talem fabricare possit. Nam ut facilius quisque ex illo Ptolemæi ad suæ urbis uerticem & consuetudinem traducere possit, obseruet primum præter æquinoctia & solstitia quæ nostro tempore ita disponunt æquinoctium uernum die decima Martij, solstitium æstiuum undecima Iunij, æquinoctium autumnale tertiadecima Septembris, bruma undecima Decembris, congressus Solis ad stellas, ut dixi fit fermè quinq; diebus post eam diem quam scripsit Ptolemæus. Exemplũ zona Orionis emergit nonis Februarij, id est, quinta die, ut Ptolemęus ponit, eo in libello adijciens turbidus est aër Fauonij flatu. Primũ igitur accepta sphæra in qua stellæ descriptæ sint locis suis diligentissimè, animaduertes quando cingulus Orionis orietur. Id uerò erit circa decimam Februarij ut dixi, id est, quinq; diebus post obseruationem Ptolemæi (Nam regula non tenet ad unguem in omnibus propter di-

ATENEO VENETO VENEZIA

uersitatem altitudinis poli) Obseruabis etiã quisnam uentus spiret: qui profectò nobis est Hauonius etiam: Nam in astrorum ortu & occasu semper concordabunt obseruationes nostræ cum obseruationibus Ptolemæi, paruo discrimine temporis excepto: de uentis autem & cœli statibus etiã plerunq; Scripserat de hoc Franciscus Sirigatus, sed non satis experiri potui an exortus illi ueri essent, atq; occasus iuxta finitoris nostri rationem secundum quam conscripsit librum, sed omnino partem obseruationis temporum non attigit. Quamobrem si ea uera esset tanto minus deesset. Fuerat consilium mihi hanc ad librum istum traducere quæ Ptolemæi erat emendatam atq; perfectam, sed cum considerarem soli posse conuenire uni regioni, atq; neque illi perpetuò nec diu, sed solum quantum ad usum uitæ unius hominis sufficiat, æquum non duxi tam inutili labore chartas implere. Nam quod ad exemplum attinet atq; inuentionẽ, sufficit libellus ille Ptolemæi iam omnibus uulgatus, magna certe utilitate humani generis. Consulo igitur ut quisq; sibi qui uelit mutationes temporum cognoscere pro sua ætate atq; regione libellum similem sibi fabricet.

Secundum est quod non solum tixas obseruare oportet quibus Sol congrediẽ, sed etiam signorum ipsorum naturas, ueluti quod Aries sit humidus, calidus q; parũper, & mobilis æquinoctij signũ Verni, atq; talia eiusmodi quæ ad signa noni orbis pertinent. Dixit autem uentorum & generalium naturarum, quoniam nõ solum propter stellas uenti mouentur, sed propter naturam etiam locorum signiferi.

TEXTVS LVIII.

Temporalium autem mutationum incrementa & diminutiones indicabunt uniuersaliter quidem uicinæ prædictis punctis coniunctiones, et ergà has stellarum errantium cõfigurationes, particulariter uerò in unoquoq; signo interlunia & plenilunia, itemq; stellarũ transitus, quam meni struam inspectionem nominare liceat.

Intendit duo, primum quæ possint constitutionem ingressus Solis generaliter augere uel minuere, puta calorem qui decernitur à Sole quando ingreditur primũ punctum Cancri, & dicit quod erunt coniunctiones (supple precedentes talia puncta) & errantium stellarum configurationes, & per coniunctionem intelligit etiam oppositionem. Dixit autem hoc propter duo: Primũ ut intelligeremus quod oportet etiam in coniunctionibus ipsis uel oppositionibus Solis & Lunæ præcedẽtibus ingressum Solis in puncta cardinalia etiam considerare configurationem reliquorum Planetarum, quod dicere prius omiserat. Secundum, ut intelligeremus differentiam coniunctionum uel oppositionum præcedentium ingressum à coniunctionibus & oppositionibus luminarium sequentibus ingressum, & est duplex: Vna quia in precedentibus oportet unam tantum considerare coniunctionem uel oppositionem, in sequentibus omnes coniunctiones uel oppositiones. Secunda est quia coniunctio precedens uel oppositio (proximiorem autem ut dictum est semper intelligo) supra totam quartam anni significat, quæ uerò sequuntur coniunctiones & oppositiones (& hoc est, secundum principale) singulorum mensium significationem habent. Ex quibus colligo quod coniunctio uel oppositio quæ precedit ingressum Solis in punctũ cardinalem, duo genera effectus habet, propriũ & generalem: proprius est usq; ad tempus ingressus Solis in punctum cardinalem: generalis ab ingressu Solis in eundem punctum. Exemplum: sit coniunctio Solis cum Luna secunda die Martij: æquinoctium Vernum decima die: solstitium æstiuum, ut dixi undecima die Iunij: tunc proprius effectus illius coniunctionis extenditur à secunda die Martij ad decimam eiusdem: generalis autem à decima Martij ad undecimam Iunij. Quod uerò dixit (stellarum transitus) explicabit inferius, ibi uidebis à nobis expositum. Cæterum quod dixerat prius oportere Solis congressum cum stellis fixis seu signis octaui orbis ac signis zodiaci obseruare, hoc in sequenti capite qualiter fieri debeat docet. Cap. 12.

CAPVT

Caput undecimum.

TEXTVS LIX.

De particulari natura signorum in tempestatibus.

AD hæc teneri debent particulariter proprietates naturales signorum ad annuas constitutiones, nec non singularum stellarum, quas nos supra exposuimus, accommodatis errãtibus & similis modi inerrantibus ad aëris & uentorum, tum temporum anni familiaritates. Restat nunc particulares signorum naturas exponere.

Tria proponit de proprietate temporis dignoscenda: Primum est cognitio stellarum erraticarum quo ad naturam propriam quam descripsit supra: Secundum est natura ipsarum inerrantium quam in primo libro descripsit: horum utrunque dicit esse explicatum, si modo illa quæ dicta sunt ad aeris, uentorum & partium anni naturam accommodentur. Gratia exempli, Saturnus dominatur in uere: Ver est humidũ ualde, calidum parum, plurimum uentosum: significabit igitur Saturnus cum sit ualde frigidus, parum siccus, minimè flatuosus: Ver quidem egregiè frigidum, non tamen siccum, sed parum humidum, parũq; flatuosum, non tamen omnino absque flatibus. Quòd si dominetur in æstate, non iam frigidam æstatem, sed temperatam faciet, siccam immoderatè, penitusq; tranquillam. Similiter nosse oportet qualitatem regionis: nam in Scotia minuet uentos Saturnus, frigiditatem uerò aeris faciet: In Aethiopia frigidum non faciet aërem, faciet tamen tranquillum. Per familiaritatem aëris igitur intelligit regionum diuersitatem, & etiam qualem quisque aërem progignat, nebulosum, pluuiosum, frigidum, siccum, humidum, calidum, turbulentum, clarum, crassum, tenuem, molestum, salubrem, grauem: qualesq; uentos Saturnus orientales, Mars Occidentales, Iupiter Boreales, Venus Australes. Idem dicit declaratum fuisse de fixis: utpote stella de natura Saturni opera, Saturni faciet: quæ uerò de natura Saturni est & Martis exiccabit quidem uehementissimè, cæterorum citra molestiam calefaciet aut refrigerabit. Tertium uerò quod declarandum supererat est ut signorum naturæ, seu signa sumãtur pro spaciis zodiaci in nono orbe, seu pro figuris quę in octauo orbe constitutæ sunt per stellas, quas palam est multum à signis zodiaci recessisse: adeò ut totus fermè Aries octaui orbis sit in Tauro noni orbis: & Tauri magna pars in Geminis. Cap. 8. Cap. 8.

TEXTVS LX.

Arietis igitur signum generaliter est propter significationem æquinoctialem tonitruosum, & grandinosum. Particulariter uerò hæc & intenduntur & remittuntur de proprietate inerrantium stellarum quæ in illo nunc inueniuntur. Priores illius partes imbres & uẽtos cient, mediæ temperatæ, extremæ æstuosæ & pestilentes sunt. Septẽtrionale spaciũ æstuãs corrumpensq;, australe glacioſum & frigidius culum.

Tauri signum præ se fert generaliter utrunque modum & est subcalidum, sed particulariter priora ubiq; Vergiliæ uisuntur, turbulenta, uentosa, & nebulosa habet. Media humectantia & frigida. Sequentia ubiq; succulæ conspiciuntur, ignea fulminum ac fulgurum efficientia. Septentrionalia temperata, australia instabilia ac incerta.

Signum Gemini, uniuersaliter est temperationis efficiens, particulari-

ter uerò primoribus in partibus humidum ac corrumpens. Mediis temperatum. Posterioribus mistum ac incertum. Septentrionalibus uentos ciet & terras concutit. Australibus aridum & æstuosum.

Signum Cancri generaliter serenitatis & æstatis effectionem sortitum est, sed particulariter in principio sui & iuxta præsepe suffocat & terras quatit, caliginemq; offundit. Medium temperatū, in fine uentosum. Tam Septentrionali quàm Australi in spacio igneum corrumpens, æstuosum.

Leonis signum, in uniuersum æstuat ac suffocat, particulariter uerò habet principium suffocans ac pestilens. Medium temperatum. Finem siccum & corrumpens. A septentrione instabile est & igneum, ab austro humidum.

Virginis signum in uniuersum humidum est ac tonitruosum sed particulariter incipiens calidiusculum ac corrumpens. In medio temperatum, desinens aquosum. Septentrionale uentosum, Australe tēperatum.

Chelæ signum sunt generaliter uarium ac mutabile uerum particulariter primis in partibus ac mediis temperatum, ultimis aquosum. Septentrionem uersus uentosum. Ad austrum siccum ac pestilens.

Signum Scorpionis uniuersaliter est tonitruosum ac igneum, sed particulariter priores partes ningunt. Medię temperatè sunt, posteriores turbulentæ, septentrionales æstuant australes humectant.

Signum Sagittarij in genere uentosum, particulariter in principio sui humidum, medio temperatum calet igneum est. Ad septentrionem uergens uentosum, ad austrum humidum & uariabile.

Signum Capricorni generaliter humidum est in prioribus partibus æstuans & corrumpens, mediis temperatum, posterioribus pluuiosum, tam septentrionalibus quàm australibus humidum ac corrumpens.

Aquarij signum in genere est frigidum & aquosum, sed particulariter prima habet humida, media temperata, extrema uentosa, septentrionalia æstuantia, australia niuosa.

Signum Piscis uniuersaliter frigidum est & uentosum, partes autem priores quidem temperatas, medias uerò humidas, posteriores æstuantes. Septentrionalis situs uentosus, australis aquosus est.

Tres diuisiones Ptolemæus insinuat: Prima est signi, ut simpliciter sumitur in nono orbe & ab omnibus separatum stellis: Secunda, ut ipsum signum noni orbis diuidit in tres partes, principiū, medium & finem: Tertia, ut diuiditur in partem Borealem & Australem signum unumquodq;. Oportet autem ostendere quod in principio uniuscuiusq; signi intelligat de signis noni orbis, quia dicit de Ariete quod est tonitruosum & grandinosum: & similiter illa uerba (Tauri signum præ se fert generaliter utrunq; modum) per ea uerba (utrunq; modum) intelligit tonitruosum & grandinosum, quæ non essent necessaria ubi per Arietem intelligeret signum octaui orbis, seu figuram illam quæ describitur à stellis. Item quia dicit se uelle loqui de signis in principio capituli, & cum dicit signa, simpliciter intelligit de signis noni orbis. Sed quod in alijs diuisionibus intelligat de figuris octaui orbis uidetur: quia stellæ quæ

sunt in

sunt in filo septentrionali Piscis,ut dixit in primo libro sunt de natura Iouis & Saturni,& illę iam erāt tempore Ptolemæi in principio Arietis nonæ sphærę,igitur prima pars Arietis nonæ sphæræ debuerat dici pluuiosa uel temperata & non quod imbres & uentos pariat,quod propriè conuenit stellis solum Mercurij & Veneris & non Saturni & Iouis.Rursus stellæ quę erant tempore Ptolemæi,usq; ad medium Libræ erāt ex figura Virginis iuxta quadrilaterum de natura Martis nonnullæ,& tamen ponit hic eas temperatas: Igitur si partes illę Libræ sunt temperatæ, non possunt referri ad stellas Virginis, sed ipsius Libræ in iugo quas dicit esse de natura Iouis & Mercurij. Præterea non fuisset doctrina hæc perpetua,sed mutabilis secundum tempora:quoniam constat quod Ptolemæus nouit optimè stellas fixas moueri. Sed utcunque sit certum est quod cum parum differrent tempore Ptolemæi signa octauæ sphæræ à signis nonę,& ipse has facultates tribuat his signis propter stellas, quòd melius est intelligere, proprietates partium initij medij & finis Borealium & Australium,de figuris noni quam octaui orbis à stellis descriptis. Vt sit sensus exēpli gratia in signo Arietis hoc modo: Cap.8.

Arietis signum noni orbis quod triginta gradibus continet, cum sit signum æquinoctium tonitruosum est & grandinosum totū: Verum quod ad partes attinet, qualitates hę augentur ac minuuntur iuxta stellas quę in eo sunt. Quoniam priores partes propter stellas quę ibi nunc inueniuntur imbres & uentos faciunt. Stellę enim quæ ibi sunt naturam signi imitantur, eiq; effectum per se faciunt: Mediæ uerò temperatæ,quoniam ibi sunt stellę de natura Veneris:Extremæ æstuosę atq; pestilentes,quoniam ibi stellę Martię sunt.Septentrionale autem spacium æstuans est & morbosum, quoniam stellæ quę ibi sunt ex figura Arietis,sunt de natura Martis,quę uerò sunt in spacio australi de natura Saturni sunt.Ideò spaciū illud glacioſum est & frigidiusculum. Verum dubitabit aliquis quomodo dixerit glacioſum & frigidiusculum, cum glacies à maximo frigore fiat? Intelligit igitur frigidiusculum altero duorum modorum,uel ratione quantitatis temporis,quia parū durat tale frigus, & licet congeletur glacies tamen fit solum tempore noctis.Vel quia glacies illa nō tam à frigore congelatur ob eius magnitudinem, quàm quod sit frigus siccum & propter uicissitudinem frigoris & caloris facilius cōgeletur: sicut & aqua calida ob eandem causam facilius frigida congelatur.

Caput duodecimum.

TEXTVS LXI.

De particulari tempestatum consideratione.

His igitur expositis sequitur percursio particularium significationū, quæ talis sit. Vna est ratio generalis respectu quadrantum significeri, qua,ut diximus,obseruanda sunt, proximè antecedentia æquinoctiales ac tropicas significationes, interlunia ac plenilunia,horumq; utrorumlibet in unoquoq; proposito climate cardines tanquam genituræ tempore cōstituendi,tum cognoscendæ dominatrices stellæ cum interluniorum tum pleniluniorum loci,& sequentium hunc cardinum sicut supra in deliquiorum doctrina exposuimus, atque ita uniuersalia de proprietate quadrantum exquirere, sed intentiones ac remissiones de dominantium stellarum natura, cuiusque modi ac constitutionis effectionem ille habeant,perdiscere oportet.

Cum declarasset signorum nonæ sphærę uirtutes & simpliciter & prout in eis stellæ fixæ

Ię fixę constituebantur Ptolemæi tempore, itemq; totius signi cuiusq;, & partiũ, principij, medij & finis: non quod per principium exquisitè intelligat decem primos gradus, & per medium decem sequentes gradus, & per finẽ decem ultimos gradus: Nam si ita fuisset Ptolemęus declarasset, cum uno uerbo magnam potuisset afferre lucem: Sed neq; uerum erat cum in quibusdam stellæ principij signi ad medium usq; perueniant fermè, in alijs medij usque ad uigesimam quintam partem, atque ita de fine qui quandoque plus quandoq; minus extenditur: Sed & necessarium erat ut ob inanitatem partes aliquę, uel principij, uel medij, uel finis, nõ ipsius partis qualitates, sed potius totius cum nullæ ibi essent stellæ, retinerent: In alijs uerò stellæ adeò sunt confusæ atq; inuicem propinquę, ut octauus gradus gratia exempli & septimus naturę magis sit medij signi quàm principij, ob id per principium intelligere oportet primam signi partem: Inde illi partes propinquas usque ad aliquot: & per medium quintã decimam & sextamdecimam partem, & illi propinquas usq; ad aliquot ultra citraq; per finem uerò ultimam partem signi & aliquot præcedentes proximiores utpote modo quatuor aut quinque, modo octo uel nouem, modo duodecim uel tredecim. Accedebat quod & si Ptolemæi tempore signa potuissent in denas, ac denas, & denas partes ęqualiter diuidi, cum Ptolemęus intelligeret fixas ac perpetuo moueri, non poterat hanc regulam distributionis signorum in tres æquales partes ullo modo imitandam nobis proponere: Poterit autem nostris temporibus sic imitari, si inspiciamus in cuiuscũq; signi prima parte quintadecima & trigesima quę nã stellæ & cuius naturæ sint ibi uel proximiores, & secundum illarum naturam pronunciare de principio medio atq; fine: quod si altrinsecus diuersarum stellarum sint naturæ, etiam mistio quędam ex illis pronuncianda erit: quonam pacto autem id faciendum sit (alioquin difficile opus) facile intelliges: si accepto libro Magnæ compositionis Ptolemæi uideris stellas quæ tunc erant in principio Arietis medio & fine, atque ita de alijs signis, quomodo ex natura Planetarum ad naturas temporum ipse traducat: considerat autem maiores & illustriores semper & ex his iudicium facit: quibus bene intellectis, illarum locum nostro tempore considera, & cui maximè propinquæ fuerint ex principio medio uel fine alicuius signi tale illud pronuncia, scilicet principiũ uel medium uel finem: Hoc autem eo commodius quia Ptolemæus quæ de partibus pronunciat signorum non simpliciter sed comparatiuè profert. Veluti cum dicit Leonis signum in uniuersum æstuat ac suffocat: propriè uerò principium habet magis suffocans ac pestilens, nãq; ibi stellę sunt naturæ Saturni & Martis, Saturniq; & Mercurij, & Martis splendida, medium uerò temperatius, quod stellæ ibi sint naturæ Saturni & Veneris, tum uerò Veneris simpliciter & parum Mercurij, finis autem siccior atque exitialis propter stellas quæ sunt in capite Virginis & in ala boreali quæ sunt de natura Mercurij & parum Martis, & quę est in uola posteriore Leonis naturę est Saturni & Veneris: unde constat tẽperies illius quo ad stellas ex natura Saturni, Mercurij, Martis & Veneris. Manifestum est autem quod talis natura in qua Mercurius primo dominatur, inde Mars, inde Saturnus & Venus exitialis est. Si ergo pronunciandum erat de Leone tempore Ptolemæi, ita dicendum fuisset: Leonis initium æstuat ac maximè suffocat, atque pestilens est: Medium uerò & ipsum calidum est sed non adeò æstuat, nonnihil etiam suffocat: Verum finis incendio & siccitate adeò suffocat, ut exitialis sit: sed si ita dixisset miscendo naturam signi cũ natura stellarum nõ potuisset doctrina Ptolemęi nostris temporibus inseruire, atq; alijs futuris intermedijsq;. Ob id igitur comparatiuè illa dicta sunt: Veluti cum dicit (temperatũ mediũ in Leone) intelligit quod æstuat ac suffocat, non tamen plus iusto quàm natura totius signi ferat. Quod si uoluisset simpliciter significare eam partem esse temperatam, oportuisset, ut dixisset medium frigidius est atq; humidius, ut quantum natura signi excedebat in æstu & suffocatione, tantum natura stellarum loci infrigidando & humectando æquaret intemperiem. At dices cũ temperatũ dixit, nihil ergo minuit ex ęstu & suffocatione? Respondeo, quod exiguũ, nõ tamen multũ, sicut si tepidam aquam feruenti immiscueris æquisportionibus, non fiet temperata nec temperatę proxima.

Verum

Veruntamen non nihil minuet de feruore: ita in alijs mistiones has diligenter oportet considerare, atque quasi ad trutinam metiri atq; expendere. Eadem ratione de partibus latitudinis quod comparatiuè protulerit, patet in Tauro cum dixit totum esse subcalidum, & postmodū dicit septentrionalia esse temperata, & clarius in signo Scorpionis quod dicit esse igneum & australia humectare: Comparatiuè igitur intelligendum est, sic quod stellæ quæ erant tempore Ptolemæi in signo Virginis in latitudine australi humectabant. Sed dices, est magna dubitatio quia ponit signū Geminorum temperatum, & Tauri subcalidum ratione signi & non stellarum & tamen Taurus est remotior ab æstate & ab æstiuo solstitio quàm sit Geminí. Nota quod hic est pulchra sentētia quoniam Taurus est signum fixum, & inter temperata: Gemini est cōmune, & inter tēperata: plus uult quod faciat quoquomodo natura fixa quàm propinquitas puncti æstiui tropici: & hoc est quia signis fixis omnibus dat quandam naturæ proprietatem: ideò Tauro non poterat dare mitiorem quàm quod esset subcalidū, Leoni dat quod æstuet & suffocet, Scorpioni quod sit tonitruosum & igneū, Aquario quod sit frigidū & aquosum, nullis alijs signis dat adeò uehementes qualitates: Circa quod dignum est consideratione, quod has omnes qualitates de signis ac partibus eorum declarauit in comparatione ad Solem quando est in eis, uel quia Sol non habet latitudinem quando iungitur stellis, quæ sint illius latitudinis: Veluti Sol quando erit in Scorpione & iungetur stellæ australi signis Scorpionis (De his tamen dico quæ in signo Scorpionis erant tempore Ptolemæi) humectabitur aēr: Itaq; traducit has proprietates (uelut fecit in alijs) à Solis præsentia in illis inuentas ad reliquorum Planetarum presentiam in illis. Exemplum, fiat interlunium antecedēs ingressum Solis in Brumam, ascendente gratia exempli Aquario, atq; ibi Saturnus sit in primis partibus Aquarij cum latitudine australi, tūc ego componam sic iudicium: Hyems tota naturaliter est frigida & humida, & hoc est quod dicit in textu (uniuersalia de proprietate quadrantū exquirere) Sed hæc hyems inter alias cū Saturnus prædominetur sequenti angulo, sitq; in Aquario in prima parte & australis erit solito humidior atque niuosa. Hocuerò maximè erit quia scriptum est quod totum Aquarij signum in genere est frigidum & aquosum, & ideò partes illius hyemis quæ erūt minus frigidæ erunt adeò frigidæ, ut pars frigidissima communis hyemis: pars autē frigidissima huius hyemis erit longe frigidior alijs & intolerabilis. Inde quia dicit quod prima pars Aquarij est humida erit hæc hyems humidissima tripliciter cum ratione generali, quia hyems tum propter totum signum Aquarij quod est aquosum, tū propter primam partem ipsius Aquarij quæ est humida, & similiter quia est in parte australi Saturnus erit niuosa quadruplici causa, tribus iam dictis, & hac quarta propria: additur etiam quinta quia Saturnus est dominator & ipse est frigidissimus & significator niuium: & ita talis hyems erit adeò frigida & humida & niuosa ut non fuerit talis iam multis annis & præsertim si interlunium fuerit à decimanona parte Sagittarij usque ad uigesimam quintam, scilicet in finibus Saturni: & hic effectus etiam multo maior erit, quia Saturnus non solū est dominus sequentis anguli, sed est etiam in ipso, & in domo propria, ut nihil ad robur addi possit: & hoc exemplum intelligatur in tempore Ptolemæi & non in isto: quia tam natura partium signi in longitudine quàm etiam in latitudine uariata est, quia stellæ quæ erant in Aquario tempore Ptolemæi à medio usq; in finem ingressæ sunt Pisces: & quæ erant à medio Capricorni ad finem eius ingressæ sunt Aquarium: & ita necesse est facere hanc aliam secundam tabulam cuius titulus sit de qualitate tempestatum ex natura signorum, partiumq; illorum tam in longitudine quàm in latitudine: Circa quod notandū est quod non solum oportet considerare stellas quæ sunt in signis zodiaci Ariete, Tauro, Geminis &c. Sed etiā quæ sunt in alijs signis quæ sunt extra zodiacū: Puta in ursa maiori minoriq;, in Cæpheo, in Boote, in Perseo, in Orione, in Cane, in Hydra, in Fera, Corona australi, Argo, et omnibus alijs: has omnes stellas descripsit Ptolemæus & naturas earū & loca in signis & latitudines & magnitudines & reliqua necessaria, ut pote nebulosas, nam hæ faciunt tempus nebulosum. Constituere igitur oportet tabulā cum

illo titulo quæ erit pro ætate noſtra, & ſi rectè fiat durabit fermè uſque ad trecentos annos, paucis in ſingulis ſęculis mutatis. Nunc tractat de propria cõſideratione temporum, & dicit quòd idem faciendum eſt, quòd in deliquijs te docuit, referendo plenilunia deliquijs Lunæ, & interlunia deliquijs Solis. Et ſcias quod ſi hæc fiãt ſub terra, ſequentem ſub terra angulum accipere oportet.

TEXTVS LXII.

Altera ratio eſt menſtrua, qua conſideranda ſunt in ſingulis ſimiliter ſignis interlunia & plenilunia hoc ſolo obſeruato, ſi interlunium fortè antecesſerit proximè punctum tropicum aut æquinoctiale, ut interlunijs illo toto quadrante utamur, ſin plenilunium, ut plenilunijs. Conſiderandi & cardines & utriuſque loci dominatrices ſtellæ, inq; primis applicationes, defluxionesq; errantium ſtellarũ, earundemq; proprietates, nec non & locorum, quoſque uentos, quæq; ſtella ac quæq; ſignorũ partes in quibus illæ fuerint, commoueat. Præterea in qua uentum latitudine ſua inclinet Lunæ in obliquitate eclipticæ, de quibus omnibus notatis potioribus, menſium generales ſtatus ac uentos pręcognoſcere poterimus.

Mirabile fuiſſe Ptolemęi ingenium uel ex capite de trigonis patet, uel ex hoc: propter quod hæc ultima pars libri ſolum deſcripta eſt, uelut & reliquum præcipuè propter caput de modis futurorum. Sed ea pars non adeò in unum cogitur ut poſtrema hæc: Nam in præſenti capite quinq; facit. Primum quidem declarauit propriam naturam cuiuſque partis anni generaliter, quæ ſumit̃ ex præcedente interlunio uel plenilunio, ipſum ingreſſum Solis in punctũ cardinale. In ſecunda quæ pręſens eſt qualitatem cuiuſq; menſis ex interlunij aut plenilunijs ſequentibus ingreſſum Solis in pũctum cardinale. In tertia docet cognoſcere naturam temporis quartæ partis cuiuſlibet menſis quæ communiter paulò poteſt excedere dies octo, neque tamen minor eſſe poteſt ſeptem diebus, ita ut inter ſeptimam & octauam diem fermè finiatur: & hoc non ſolum ex interlunijs & oppoſitionibus ſed etiam quadratis accipitur: huius partis initium eſt ibi (Tertia ratio) In quarta docet cognoſcere quocunq; die qualitatem aẽris ibi (Verum horum) ex illuſtrium ſtellarum ortu uel occaſu. In quinta docet illud idẽ cognoſcere per horas ſingulas ex luminariũ itinere per cardines ibi (Idem iudicandum) atq; ita elegantiſſimo modo uſus à generaliſſimis ad maximè propria peruenit. Animaduertendum igitur quod quædam ſunt generalia præcepta, quędam uerò propria unicuiq; parti. Propria quidem ſunt ſingulis partibus quæ determinãt quantitatem temporis tempeſtatis, qualia ſunt quę in ſingulis partibus declarat Ptolemæus, & nos iam ea in hoc comẽto, dum partes diſtingueremus textus, attigimus. Generalia autem hac ſolum in parte declarat, quæ quidem & huic parti & præcedenti, tribusq; ſequentibus fermè ex æquo inſeruiũt, talia autem ſunt duorum generum: quædam pertinent ad ſubiectum & quædam ad qualitatem. Quæ pertinent ad ſubiectum ſunt tria: Primum cõtinet duo, ſcilicet locum interlunij uel plenilunij pro menſe ſequentis ingreſſum Solis in punctum cardinale: uel ſi pro tota quarta anni interlunij uel plenilunij antecedentis, ut dictum eſt, uel ſi pro quarta menſis conſiderabitur locus luminaris, id eſt, Lunæ & etiam Solis tempore coniunctionis uel oppoſitionis uel quadratę radiationis illam quartam partem menſis inchoantis. Secundum eſt angulus ſequens locum luminaris tempore interlunij uel plenilunij uel quadratæ radiationis luminarium. Secundum pertinens ad ſubiectum, ſunt ſtellæ dominantes in utriſq; locis dictis, ſcilicet luminaris & cardinis ſequentis. Et per ſtellas dominantes intellige quę utrique loco ſimul dominantur. Quod ſi nulla talis haberi poſſit primum eligemus dominantem maximè in loco luminaris, deinde maximè in loco cardinis. Tertium ſunt ſtellę applicantes & defluentes ipſi luminari uel ab ipſo. Circa quali-

qualitatem uerò futurorum quinque obseruanda declarat, quæ cum maximè generalissima sint, tam in quarta anni quàm etiam in mensibus & quartis mẽsium & diebus, & partibus diei diligentissimè erunt considerandæ. Primum est natura loci cardinis & luminaris: utpote si sit mobile, fixum, commune, uernale uel æstiuum: & quale signum sit & qualis pars sit signi in longitudine uel latitudine. Hæc autẽ in præcedenti capite declarata sunt. Secundum est natura stellarum dominantium in cardine & loco luminaris uel applicantium, uel defluentium ab altero illorum locorum, nam loca illa tales stellæ afficiunt. Porro natura illarum stellarum superius iam declarata est. Tertium quos uentos stellæ commoueant, Saturnus orientales, Mars occidentales, Iupiter boreales, Venus meridionales, Mercurius omnes adiuuat. Quartum sunt signorum partes in quibus Planetæ illi fuerint: nam Aries, Leo & Sagittarius uẽtum mouent inter septentrionem & occidentem: Taurus, Virgo & Capricornus inter orientem & meridiem: Gemini, Libra & Aquarius inter orientem & septẽtrionem: Cancer, Scorpio & Pisces inter occidentem & meridiem. Vnde egregiè fallunt qui hos trigonos uel orientales, uel occidentales, uel septentrionales, uel meridionales appellare nituntur: cum nihil minus sint, sed medij inter has regiones: Similiter ex latitudine talium stellarum in signis boreali uel australi. Id coniectari licet quod ad uentos attinet: Veluti hoc anno præsenti die duodecima Augusti cum celebrata est coniunctio Iouis & Mercurij in decima octaua parte Leonis, uterque erat septentrionalis ascendens, ideò cum Iupiter moueat uentos boreales & Mercurius augeat omnes uentos, significabat uentos ualidos boreales: Sed quia erant in Leone poterat facere aliquam inclinationem ad occidentem, uerum quia uterque erat borealis fuit modica uel nulla inclinatio ad occidentem. Atque ita fuerunt ualidissimi uenti ex ea cœli regione, adeò ut uias transire non possemus. Quintum est Lunæ inclinatio ad boream uel ad austrum in latitudine. Hæc igitur sunt generalia quæ in hoc textu declarantur. Cæterum propria huic parti sunt quod mensis lunaris quilibet temporis naturam sequitur quæ ab ipso interlunio uel plenilunio illum inchoante decernitur. Et quod ex his duobus, scilicet interlunio uel plenilunio oportet illud eligere quod est est simile ei à quo totius quartæ naturam didicisti: Ita quod si interluniũ præcessit ingressum Solis in punctũ cardinale, omnes mẽses illius quartæ ab interlunio inchoandi erunt. Si autem ingressum Solis in punctum cardinale proximius præcedat plenilunium, omnes menses illius quartæ anni ab ipsis plenilunijs sequentibus inchoandi erunt, neglectis nouilunijs pro mensium ratione.

Cap. 8. huius seu textu 45.

Verum ut ad omnia hæc pateat intellectus figuram descripsi quæ uentos omnes scilicet triginta duos notiores, quicq; nautis deseruiunt soli, contineret. Et quanquam in aliquibus nomina uarient, attamen res ipsas potius quàm nomina considerare oportet. Ita ut dicamus quòd generaliter uentus Septentrionalis est frigidus & siccus serenitatis author: nec solum Septentrio, sed qui propè sunt ad Borrhapelioten & Borrholybicum usque. Contra notus calidus, humidus, grauis atque morbosus, pluuiosusque: nec solum ipse sed quicunque sunt interipsum & Notapeliotem & Notolybicum. Discrimen tamen est iuxta propinquitatem illorum ad principalem uentum. Principales autem sunt quatuor, Septentrio, Notus, Subsolanus, & Zephyrus, qui & Fauonius dicitur. Post hos robore sunt proximiores Boreæ & Noto, scilicet Vp aquilo & Mesocircius, Mesolibanotus & Mesophœnix. Verũ quia non tam subtiliter scriptores rimati sunt naturas & nomina singulorum uentorum, ideò notiores & proximos his qui tamen & ipsi robusti sunt pro illis subiecere, id est, Aquilonẽ, Circium, Phœnicem & Libanotum. Nobilitate tamẽ post primos quatuor ponent Ptolemaici uenti, id est, Notapeliotes, Notolybicus, Borrhapeliotes & Borrholybicus. Ventus autem orientalis & occidentalis non eandem seruant regulam quam Septentrio atq; Notus: Nam orientẽ uersus Subsolanus calidus est & siccus & serenus: Fauonius autem ex toto contrarius huic est. Regula enim est quod uenti calidi omnes refrigerant & exiccant & serenitatem pariunt, imbecilles calefaciunt & humectãt, pluuias quoque gignũt. Cum igitur nobis Septentrio sit propinquissimus & natura

& situ



& ſitu refrigerabit exiccabit & ſerenitatem maximã pariet. Eſt enim robuſtiſſimus omnium uentorum apud nos. Poſt hunc eſt Auſter in parando pluuias quod natura ſit calidus, & humidus, & pluuioſus, ſitu quoque multum diſtans, ob idq́ue maximè pluuias parit. Inde eſt uentus Zephyrus qui quamuis natura ſit frigidus & humidus & pluuioſus, quia tamen ualde proximus eſt Italiæ infrigidat quidem, ſed non humectat, uerum exiccat & ſerenitatem parit. Vnde Poëta Italicus inquit:

Zephyro ſpirante bel tempo rimena. Hoc Latinè ſonat:
Zephyrus aſpirat redeunt iam tempora clara.

At orientalis cum calidus ſit & ſiccus atque ſerenus in oriente apud nos calefacit quidem, uerum non exiccat ſed humectat, & pluuias facit, quoniã procul abeſt. Itaq; expedit non ſolum ſcire naturas uentorum generaliter, ſed ex obſeruationibus quid & quantum unuſquiſq; poſſit ea in regione in qua de temporis natura iudicium facere deliberas: Quamobrem omnium uentorum figurã appoſui Cumq; ſexdecim tantum qui nomen habebant aſcripſiſſem forte fortuna aderat Guglielmus Caſanatus Medicus uir egregius & mihi amiciſſimus, quem honoris cauſa nomino, qui tabellam conſcripſerat maxima diligentia, omnes quotquot erant, ſcilicet triginta duos uentos continentem, placuit itaq; & noſtrę addere ſexdecim illos intermedios ut uberior doctrina fieret. Nominibusq; additis ad uſum qui talis eſt eam paraui.

Deſcribe igit̃ figurã huic cõſimilẽ in ſublimi loco domus, et in medio illius colloca uolubile flabellũ: Ita uerò facias ut ſingulæ partes figuræ ſingulas cœli correſpõdentes reſpiciant. Deinde obſerua flabellum ſuper quam lineam cadat ſingulo die, naturamq; temporis & qualitatem quam uentus ille in regione tua producit in aduerſa linea flabelli colloca ſub proprio uento. Veluti ſi flabellum ſuper lineã Libanoti extendatur, fiatq; ſerenitas magna cum frigore deſcribes in aduerſa linea quæ eſt Aquilonis

lonis uenti serenitas magna cum frigore. Nec te fallere poterit si singulorum uento rũ ter uel quater effectus obseruaueris, quod facile in uno anno fiet. Sed caue ne mul torum uentorum effectus pro unius tantum ascribas. Sic enim fiet ut Boreã aliquan do pluuiosum esse existimes. Porrò qualitates temporum sunt decemocto, quas à la tere uides. Quod si tempora sint inconstantia (raro quidem ex uno uento, id contingit ex plu ribus) diligenter adnotandum seorsum: ut tan dem noueris non solum effectus uentorũ sim plices sed & compositos. De his autem in libris de Rerum uarietate dictum est. Quo uerò ad usum spectat Astrologi, in figuris ita facere decet: Sit gratia exempli Iupiter significator solus & in Geminis cum latitudine Boreali, & ascendens: tunc significabit uentum Septen trionem. Quòd si fuerit cum parua latitudine & orientalis, significabit Vpaquilonẽ. Quòd si cum hoc esset descendens, significaret Aqui lonem. Quod si esset iuxta ecliptícam descen dens cum radio Saturni significabit Mesaqui lonem. Quòd si sit Meridionalis descendens cum radio Saturni, uel sit in Geminis ubi cadit cum radio Saturni uel suas uires cum Saturno æquet in Libra, & Iupiter sit Borealis ascen dens, Saturnus uerò in primo statu oriẽtis, tũc facient Borrhapeliotem. Quòd si duæ sint do mini Saturnus puta cardinis sequentis Iupiter loci luminaris, uterq; autem ualidissi mus, tunc flabunt duo uenti Boreas & Subsolanus.

Serenum purum frigidum	
Serenum purum temperatum	
Serenum frigidum	
Serenum temperatum	
Serenum purum calidum	
Serenum calidum	*Lib. I. cap. 17*
Nebulosum frigidum	
Nebulosum temperatum	
Nebulosum calidum	
Pluuiosum frigidum	
Pluuiosum temperatum	
Pluuiosum calidum	
Imbres cum frigore	
Imbres cum temperamento	
Imbres cum calore	
Grando & tempestas cum frigore	
Grando & tempestas cum temperamento	
Grando & tempestas cum calore	

TEXTVS LXIII.

Tertia ratio est subtilioris cuiusdam obseruationis intensionum ac re missionum. In hanc cadunt configurationes Solis ac Lunæ particulares, non solum interlunij & plenilunij, sed etiam horum mediæ, id est, qua dratæ. Vbi animaduertendum ante tres ferè dies omnium tempestatum significationes existere solere, aut etiam post tres nonnunquam, exequati itineris Lunaris erga Solem cadunt: Et singulorum istorum status, neque istorum modo, sed etiam aliarum figurarum ut sexangulæ ac triquetræ, itemq; aspectus stellarum errantium, nam de harum natura consequen ter mutationis proprietas deprehendit, respondẽs aspicientiũ stellarum & signorum erga circundans nos cœlum ac uentos, familiaritati.

Declarat quonam pacto liceat quartarum mensis status intelligere: mensis enim Lunaris si à coniunctione incipiat, coniunctionem in principio habet, à qua status septem uel octo dierum proximè sequentium habetur, eodem modo quo totius men sis natura ab eius initio deprehenditur. Inde succedit quadrata radiatio quæ uocatur crescens, cuius ratione septem uel octo dies proximi gubernantur, non secus ac pri mi: nisi quod in his etiam figura coniunctionis quæ præcessit obseruanda est tãquam toti mensi generalis. Post sequitur oppositio quæ & ipsa septem uel octo sequentes dies gubernat. Eodem modo & ultima quarta quæ uocatur decrescens: septem uel octo dies habent singulæ: figuram & reliqua eodem modo consideranda ut in præ cedenti commento. Et hæc sunt clara. Deinde dicit (Ante tres ferè dies omniũ tem pestatum significationes existere solent, quandoq; etiam ultra tres exequati itineris

Lunaris

Lunaris erga Solem cadunt) Hic difficillimus est punctus qui sit in toto hoc uolumine: Sententia tamen esse uidetur, quod Luna latitat sub Sole, quia Sol quindecim partibus ante & quindecim post ex æquinoctialis circulo tegit & illuminat, ut sint gradus triginta, atq; ita abscondit Lunam. Verum propter obliquitatem zodiaci cũ Luna fuerit in signis breuiũ descẽsionũ, illis triginta gradibus ex æquinoctiali circulo correspondebunt circiter quadraginta: non enim tota ascensio consideranda est quæ correspondet triginta partibus æquinoctialis, nam sic etiã in climate Ptolemæi excederet quinquaginta partes. Cum igitur Luna uelox motu fuerit pertransibit istos quadraginta gradus ante tertiam diem, adeò ut si fuerit in signis longarum descensionum, quandoque neq; duobus diebus integris lateat: Quod si fuerit tarda motu & in summitate epicicli, & signis breuium descensionum, nõ uidebitur nisi quarta die. Hoc est igitur quod dixit (Lunam erga Solem habere tres dies, quandoq; plus, quandoque minus exequati itineris) Luna igitur uires retinet istorum trium dierũ in producendis tempestatibus. Atque hic unus est sensus, ut sic legatur litera: Luna quandoq; usque ad tres dies producit signa tempestatum & etiam ultra tres dies, ut (post) aduerbium, quod μετὰ Græcè scribitur (ultra) interpretemur. Alius sensus isto dilucidior est ut intelligamus sic: Luna in quacũq; quarta mẽsis, dicamus per exemplum quod duodecima Augusti huius anni MDLII, ineat quadratã radiationem cum Sole decrescentem, & tunc cũ nullo Planeta congrediat, sed die quartadecima quæ est tertia à die quadratæ radiationis cum Sole ineat coniunctionem Martis qui est in secunda parte Cancri, & manifestum est quod talis coniunctio si fieret dũ Luna est in quadrato Solis quod significaret pluuias & nebulas toto illo tempore, igitur etiam nũc significabit talem effectum. Veruntamen non adeò complebitur is ut si esset cõiunctio eadem hora. Neque apparebit adeò euidenter nisi postquam Luna Marti congressa fuerit, id est, post quartamdecimam diem. Similiter Luna die undecima fuerat in quadrato Iouis, qui est in Leone cum latitudine Boreali: Ideò significat uentos Boreales. Et hoc tamen intelligendum est quando Iupiter uel Mars hora quadratæ radiationis aliquã uim habuerint uel in loco Lunæ uel in cardine sequente. Et hæc uis Lunę contingit qa ipsa Luna, ut dictũ est manet tribus diebus abscõdita sub radijs Solis.

Deinde dicit (Et singulorum istorum status) Id est, status propriè qui fit quarta die ante congressum Lunæ cum Sole, siue per coniunctionem siue oppositionẽ, seu quadratum: & status qui fit quando congreditur quadrata radiatione uel oppositа uel corpore ipso: & status qui fit quarta die post congressum. Et hic sensus est uerus & genuinus duabus conditionibus seruatis. Prima, quod accipiat dies illa ad unguem quarta ante uel post & non aliqua intermedia. Secunda, quod semper accipiatur antecedens quarta, non tamen semper consequens. Quandoque tamen utraq; consequens accipitur & antecedens. Et quod iste sensus sit uerus ostendo primo authoritate Plinij, qui dicit ueteres obseruasse quartam Lunam à congressu Solis, atque secundum illam iudicasse. *Lib. 2. cap. 46.* Et ratio quia Luna post tres dies quadraginta quinque gradibus distat à Sole: Ergo intelligenda est figura octagona, quam non ausus est Ptolemæus appellare aspectum: quia etsi à congressu Solis obtineat partem cũ toto consentientem, attamen non in alijs locis, sicut fit de trigono, sextili & quadrato. Volo dicere si Luna decimanona die Augusti coniungat Soli in sexta parte Virginis præsenti anno die uigesima secunda, id est, quarta die post, distabit quadraginta quinque partibus à Sole, & quadraginta etiã: modo quadraginta est nona pars totius circuli, & quadraginta quinq; octaua pars totius circuli: Ergo à quadraginta partibus usq; ad quadraginta quinq; Luna erit in primis radijs Solis. Et quia dum erat coniuncta Soli non poterat ostendere aliquem effectum & nunc primum congreditur Soli, & nouum lumen habet: Igitur quarta Luna ostendit quid factura sit toto eo mense. Nam in quarta Luna exacti sunt tres dies integri, atq; ita distabit à quadraginta partibus usq; ad quadraginta quinq;. Hæc igitur est secunda ratio quæ ostendit hũc fuisse sensum Ptolemæi. Nam duo reliqui sensus artificio carent, ideoq; Ptolemæo indigni sunt. Quia tamen numerus, XL, bis repetitus, facit LXXX, qui non est pars integra to-

gra totius circuli: & similiter XLV, ter repetita, facit CXXXV, qui neque est pars totius circuli integra, ideò distãtia hæc non habet uires aspectus. Nam reliqui aspectus semper geminati uel triplicati faciũt aspectum uel coniunctionem: duplicatus enim quadratus facit oppositionem, triplicatus facit alium quadratum, quadruplicatus facit coniunctionem. Duplicatus sextilis facit trigonum, triplicatus oppositionẽ, quadruplicatus alium trigonum, quincuplicatus facit aliũ sextilem, & ita de alijs. Quia tamen illi radij seu portio illa circuli à XL partibus ad XLV, magnam habet uim circa coniunctionem propter regulam sæpius adductam de potentia: retinet etiã uim ante oppositionem & post: & similiter ante quadratas radiationes & post. Verũ Ptolemæus existimauit præcedentem distantiam frequentius uires habere: quia in futurum extenditur: quæ sequitur potius spectat ad sequentem congressum. Veluti, si ut dixi, duodecima die Augusti Luna quarto aspectu congrediatur Soli, nona dies habet rationem ad quartam mensis sequẽtis, quę est præcedentis coniunctionis, uel oppositionis Lunæ cum Sole ad quartam anni sequentem. Sequens uerò distantia, id est, quintadecima dies non poterit significare super præcedens tempus, sed potius significabit supra sequentem coniunctionem. Sed dices non ne poterit significare super tres dies sequentes usque ad coniunctionem Solis? Respondeo quod non: quia mens Ptolemæi est quod imperfectum habeat rationem potentiæ & non possit deduci ad effectum nisi à perfecto, id est à sequente radiatione. Sed dices quare ergo dicit quod conuenit aliquando etiam obseruare sequentem distantiam seu quartam diem? Respondeo quod ubi in illa quarta die contingat aliqua potens cõiunctio quę uim det illi potentiæ, ut deducatur ad actum, tunc erit considerandum non quidẽ pro tempore præcedente, sed pro illis tribus uel quatuor diebus succedentibus usque ad coniunctionem, oppositionem uel quadratum. Verum, ut dixi, quarta dies succedens post coniunctionem Solis cum Luna uim habet magnam duplici peculiari ratione: tum quia primum apparet: non quod antea non apparuerit: tertia enim die semper quando tardius uideri solet, quandoque etiam celerius: sed quod iam tum nouo lumine lucet. Secũda ratio quę ualidior est, quoniam ea die, scilicet quarta, bis distat in decem horis aut paulo plus à Sole parte integra totius circuli, scilicet XL gradibus deinde XLV.

His uisis iubet ergo Ptolemæus nos quinq; considerare pro quarta mensis cognoscenda: Primum congressum Solis cum Luna qui fit in initio illius quartæ, & qui illi dat initium: Secundum diem quartã ante: & in hoc oportet intelligere duo illa puncta, scilicet quando Luna ad unguem distat partibus quadraginta & partibus quadragintaquinq;, & tunc uidere situm ipsius ad reliquos Planetas & locum & latitudinem, eximo etiam ascendens: Tertium, ut cõsideretur aspectus trigonus Solis cum Luna uel sextilis qui cadit in illa quarta: nam in omni quarta mensis, necesse est, ut cadat unus trigonus, uel unus sextilis in ea: & non possunt cadere unquã duo ex his in una sola quarta. Ille ergo trigonus seu sextilis, si fuerit debilis & solus, non significabit nisi super reliquos dies, qui sunt usq; ad initium succedentis quartæ. Sed si Luna fuerit in cardine supra terram, uel orientis saltem, aut fuerit cum radijs uel corpore alterius Planetæ, maximè qui loco dominetur, uim retinebit si sit trigonus decem diebus sequentibus, si sextilis tantum quinque: Quartum est, ut quandoque consideretur quarta dies sequẽs: & hoc in duobus casibus: uel cum coniunctio fuerit initium quartæ mensis, uel cum talis quarta dies habuerit aliquam coniunctionem uel oppositionem ualidam quæ adiuuet uim ipsius Lunæ: Quintum, ut considerẽtur aspectus & coniunctiones reliquorum Planetarum inter se qui contingunt in ea quarta mensis: Et etiam cum Luna: Et in his omnibus considerare naturam stellarum illarũ quos uentos & quàm temporum naturam in illo cœlo seu regione afferre soleant: Similiter illud idem à signorum natura perquirere oportet. Nam ut diximus primum iuxta naturam trigonorum, deinde etiam iuxta latitudinis partem, & similiter quo ad qualitatem aëris iuxta naturam signorum & partium eorum superius declaratam.

Circa hæc notanda sunt quædam, singula ex singulis: Primum quod præter uen-

tos adductos sunt alia genera uentorum singularia, alia quidem generaliter & sunt quinque. Typhon, id est, uibratus qui torrentium modo descendit, agitatq; circumuoluens & paleas & stragula. Est & Ecnephias qui impulsu deorsum frangit & pondere aggrauat, locum ex loco mutans, rapida uertigine naues mergens: Idem illisu ipso repercussus correpta secum in cœlum refert, sorbetq; in excelsum. Est qui cum fragore erũpit cuncta prosternẽs, uocatq; Turbo. Est & qui cuncta amburit igneam habens uim, uocaturq; Prester. Quintus est Aura, quæ leniter flat. Proprij uerò ut Athenien sibus Sciron: Narbonensi prouinciæ Circius: In Ponto Cæcias nubes trahit, atque ita de alijs. Sunt & uenti proprij quibusdam temporibus aut locis, ueluti Etesiæ & Ornithiæ ab Aquilone uel Septentrione & Fauonij. Præstat igit scire quod Etesiæ Aquilones sunt quę quadraginta diebus perflant, incipiuntq; octo diebus ante exortũ Caniculę. Post hos Austri frequentes usq; ad exortum Arcturi. Postquem Corus flat. Fauonius autem uer aperit, Plinij tempore nona die Februarij inchoabat, circiter nouem diebus perseuerat.

Secundum est quod in omnibus congressibus Lunæ cum Sole obseruare oportet locũ Lunæ, accidentia & qualitates principaliter, deinde Solis, præter quàm in coniunctione in qua Solis conditio primum spectanda est, deinde Lunæ. Obseruato etiã quis robustior fuerit, scilicet in cardine & supra terrã, nã illũ magis cõsiderabis.

Tertium est circa congressus Planetarum, recentiores obseruarũt quod & nos dicimus Saturnum cum Ioue iunctum secundum qualitatem stellarum & signorum multis diebus aẽrem afficere, serenitate uel pluuia uel uentis, ut minimũ luminarium aspectus consenserint. Quodq; dico de coniunctione idem de oppositione statue, sed minus: post de quadrato, inde trigono, ultimo de sextili, atque idem de sequentibus. Saturni & Martis coniunctio tribus diebus agit ante & post secundum qualitatem signorũ: propriũ est grandines facere si reliqua iuuent. Saturni cũ Sole coniunctio, oppositio uel quadrata radiatio paucis diebus frigidũ aẽrẽ facit & persępe grandines. Saturni & Veneris coniunctio facit imbres & frigora propriè. Semper tamen intellige iuxta qualitatem signorum. Saturni & Mercurij coniunctio secundum qualitatem signorum. Iouis & Martis coniunctio secundum qualitatẽ signorum & stellarum: propriè uerò cum pluuias significat tonitrua addit & fulmina & fulgetra. Iouis & Solis cõiunctio flatus uentorũ parit, pulchramq; serenitatem. Iouis & Veneris coniunctio serenitatem parit in aqueis leues & mites pluuias. Iouis & Lunæ coniunctio, secundum qualitatem signorum facit, per se tamen serena est, uentosq; parit. Mars cum Sole coniunctus secundum signorum qualitatem facit: Sed cum uehemẽtia: ita quod in aqueis facit imbres, tonitrua & fulgura. Martis & Mercurij coniunctio secundum qualitatem signorum facit: propriè tamen uentos cũ impetu. Vterq; enim illorum Planetarum impetuosus est. Martis & Lunæ coniunctio, iuxta qualitatem signorum facit, & stellam cui postmodum applicat. Commune enim est hoc Lunæ semper, per se tamẽ facit nubes rubras. Solis & Veneris coniunctio propriè humidum tempus significat, reliqua secundum naturæ signorũ qualitatem. Solis & Mercurij coniunctio, generaliter ut reliqua, propriè tamen uentos parit. Solis & Lunæ, ut dictum est congressus diligenter considerandi sunt: neque enim unum significant. Veneris et Mercurij coniunctio, ut reliqua, propriè tamen faciunt imbres. Veneris & Lunæ coniunctio facit prppriè imbres cum frigore.

Mercurij cum Luna coniunctio secundum qualitatem signorum. Notandũ præterea quod magnæ mutationes aẽris non fiunt nisi adsit unus superiorum saltem in coniunctione uel aspectu. Sed si Sol cum inferioribus uel ipsi inferiores inter se conueniant sine fixis magnis, aut parum, aut nõ diu qualitatem aẽris mutant, nisi in congressibus Solis & Lunæ, ut dictum est, ista contingant.


Sunt præter eas coniunctiones illæ quæ uocantur portarũ aperitones, & sunt tres: Saturni & Solis coniunctio: Secunda est Iouis & Mercurij: Tertia Martis & Veneris. Dicit autem apertio portarum quia maximus & euidentissimus fit effectus: Saturni quidem & Solis in aẽre turbido & frigido: Iouis & Mercurij in uentis: Martis & Vene-

& Veneris in imbribus & fulgure. Vnaquæque autem fit tribus modis, uel quia iunguntur inuicem hi Planetæ, opponuntur, uel sunt in quadrata radiatione, & hæc est minor & mista & habet tres gradus, oppositionem quæ ualidissima est, inde coniunctionem, post quadratū. Secundus modus est cum Luna applicatur superiori separata ab inferiore coniunctione, oppositione uel quadrato, & tunc tempus naturam mutat maximè, & secundum naturā superioris & maximè si superior & inferior se aspiciant. Exemplum Sol aspiciat Saturnum de quadrato applicādo illi, utpote quod Sol sit in uigesima septima parte Scorpionis & Saturnus in uigesima nona Aquarij, & Luna sit in uigesima septima parte Leonis, tunc fiet apertio portarum maxima ex Sole in Saturnum, & fiet tempus nebulosum & frigidum in locis ubi Luna erit in cardine. Et si fieret in signis aqueis adduceret magnos imbres, & præsertim si Saturnus dominaretur cardini hora quadratę radiationi. Quod si Luna deflueret à Saturno ad Solem, minor esset illa mutatio aēris, & breuior, & post turbulentiam sequeret claritas, & ita de alijs. Quartū est quod ex prima expositione textus Ptolemęi dignoscitur, quod Plinius dicebat (Lunam quandoque die interlunij uideri & hoc contingere solum quando ipsa fuerit in Ariete) Quia Aries longissimas habet descensiones: si igitur Luna sit uelox motu poterit attingere quindecim gradus in suo cursu fermè in una die: quare quatuordecim partibus distabit à Sole: Quod si cum hoc habeat maximam latitudinem quæ est quinque graduum, distabit à Sole quindecim gradibus, & in æquinoctiali aliquanto plus propter rectam descensionem, quare uesperi uideri poterit. Videtur enim quandoque post quartumdecimum gradum distantiæ à Sole, quod minimum est spacium in quo uideri possit. Idem Plinius docuit sua ætate Vespasiano & Tito tertio consulibus uisum bis deliquium in duodecim diebus, quod uix omnino fieri potest, sed errorem esse existimo in dierum numero: nam constat quod tantum spacij Luna peragrare non potuerit, quantū est ab oppositione ad coniunctionem seu à coniunctione ad oppositionem in duodecim diebus: nisi hoc modo intelligatur, quod gratia exempli, ex oriente Sole decimaseptima Septembris facta fuerit eclipsis Solis (Diem enim Romani ab exortu Solis inchoabāt) & quod uigesimanona ante diluculum trigesimæ diei uisa sit eclipsis Lunæ: Nam sic erunt tredecim dies re, nomine autem duodecim. Imò plusquàm tredecim dies propter noctis elongationem Circa secundū sensum est, ratio Galeni sumpta de diebus criticis in tertio dierū criticorum. Verum quia talis ratio reiecta fuit à nobis, illam dimittimus. Illud quod maiori consideratione dignum est quod Luna cum latitet tribus diebus, etiam per tres differt opus suum aut accelerat, quo in casu multi qui quarta die ante nouilunium ægrotant persæpe moriuntur, aut diuturno morbo laborant.

Sextum est quod ex tertio sensu uerborum Ptolemæi elicitur: & est ratio dierū criticorū salutis aut mortis, longitudinis aut breuitatis morbi, prauitatis aut facilitatis eius: & hæc talis est. Prima hora & momento qua quis ægrotat statue figuram octo laterum, ut uides in exemplo, & cuilibet domui dabis quadraginta quinq; partes, & uidebis locos & aspectus Planetarum ad initia domorum: inde cum Luna peruenerit ad initium secundæ domus, statues ascendens, ut prius, & ita uidebis res mirabiles comparando secundam & tertiam & quartam figuram usque ad octo ipsi primæ figurę. Velut in tribus exemplis quę subijciam, quorum primum est unius qui ęgrotauit & sanatus est, alter ægrotauit & obijt, tertius uulneratus est uulnere quod mortale non uidebatur ab initio, & tamen obijt.

Igitur Ioannes Antonius de Campionibus, ætatis annorum circiter triginta ex itinere ægrotauit, primum quidem, ut uisus est, leuiter usque ad quartam diem quod Luna esset in sextili Veneris & Venus illam reciperet. Nā Venus erat in suis dignitatibus. Quòd enim recipiat Planeta Planetā non sufficit ut alter in alterius sit dignitatibus, nam sic in omni figura multi reciperent Planetæ, sed quòd præter id dominus loci illum bene dispositus aspiciat uel mutuo sint in dignitatibus, secq; aspiciant, uel quod benigno aspectu se aspiciant, licet eorum alter sit male affectus. Et quia Luna erat cursu ualde tarda, morbus non est uisus accipere incrementum, remorante

etiam ut dix Venere. Quamobrem Lunæ motum singulis diebus adijcere oportet,




Motus Planetarum diurn.		
♄	0.	4
♃	0.	5
♂	0.	29
☉	0.	58
♀	0.	59
☿	1.	44
	1.	40
	1.	35
	1.	30
	1.	17
	1.	5
	0.	51

Lunæ motus ad dies								
	10	11	12	13	14	15	16	17
	12.8	12.3	12.0	11.52	11.43	11.41	11.42	12.0
	18	19	20	21	22	23	24	
	12.30	12.52	13.5	13.17	13.29	14.0	14.18	
	25	26	27	28	29	30		
	14.29	14.33	14.42	14.50	14.56	14.46		

ut sciamus quo loco sit unaquaq; die, & qualis etiam singulis diebus sit eius motus. In Mercurio autem adijcere oportet motum in prima die & quarta, & septima, & undecima, decimaquarta, decimaseptima & uigesima, quoniam & ipse multum quandoque paucis in diebus cursum suum uariat. Etsi oporteat ultra uigesimã extendere facias per dies criticos qui sunt uigesimus quartus, uigesimus septimus, trigesimus primus, trigesimus quartus, trigesimus septimus & quadragesimus. Similiter & reliquorum quinque Planetarum motum adijciens præsentẽ: Sufficiet enim ob paruam uarietatem quæ in tam paucis diebus contingit. Atq; hæc omnia nos perfecimus, ut uides non solum in exemplo hoc sed & duobus sequentibus. Igitur ut ad rem reuertar, Luna attigit partem uigesimamquintã Geminorũ in diebus tribus horis decem octo fermè ob motus tarditatẽ, unde protracta est quarta dies, tunc uerò occurrit Iouis & Martis sextili in Leone & cum stellis humidis, ideò factum est incendium magnum & turbulentia in urina quæ ob protensam quartam diem uisa sunt habere initium in quinta. In septima uerò cum nondum peruenisset ad nonagesimum gradum distantiæ ob motus tarditatem, sed ad Leonis initium tantũ deterrimè se habuit quoniam nulli beneficæ occurrit: Similiter in octaua & nona morbus augebatur quia tũc Ioui & Marti iunctis iungebatur, & quia erant inter humidas stellas sudauit. Calor enim cum humido sudorem creat, & urinam multam quam reddidit. In undecima sudauit, fuit tamen cũ magno labore, nam Luna oppositũ Saturni superauit sed ei successit sextilis Veneris. Duodecima egrè se habere uisus est quia multum delirauit. Sed tamen ob Veneris sextilem urinæ cõcoctæ apparuêre. Decimatertia ob Mercurij quadratum nihilo deterius se habuit quia erat motus iam ad salutem, sed nec melius ob

lius ob Mercuriũ, decimaquarta sudauit iterũ melius se habuit. In ea non potuit solui morbus quia Luna non peragrauerat nisi partes 174 minuta 22. Et oportuit extendi morbum ad decimam septimã usq; In decimaquarta tamen occurrit Luna sextili Iouis & Martis & quadrato Veneris ideò sudauit decima septima liber euasit cum iam Luna oppositum loci superasset, & trino Veneris applicuisset.

Hic alter uerò Lunam ab initio habuit in quadrato Veneris ex intemperie cibi &




Motus Planetarum diur.			
☽	0.	13	
☿	0.	7	
☉	0.	31	
♀	0.	58	
♂	0.	53	
♃	1.	20	
♄	1.	5	
	0.	51	
	0.	27	
	0.	5	
	0.	18	Retr.
	0.	38	Retr.

Lunæ motus ad dies				
	23	24	25	26
	14.49	14.46	14.44	14.40
	27	28	29	30
	14.35	14.26	14.4	13.57
	1	2	3	4
	13.16	13.5	12.44	12.16
	5	6	7	8
	11.55	11.41	11.40	11.47

potus ægrotauit. Celeriter grauatus est ob motum Lunæ uelocem. In septima deterius ualde se habuit, nam Luna erat cum cauda & uacua à Iouis aspectu ibat ad oppositum Veneris, & tũc Sol Saturni quadrato affligebat. Octaua leuari uisus est fluente è naribus sanguine, sed tamen uirtus cecidit ob Veneris oppositum. Nona aliquater respirare uisus est ob trinũ Solis. Decima fuit loco undecimæ cum ad angulum, id est, Piscis initiũ peruenisset ad oppositum Iouis & Martis. In undecima par erat illum mori cum ad Saturni coniunctionem hora decima ad Solis quadratum hora decimaoctaua post meridiem peruenisset. Mortuus est quinta Iunij hora tertia ante meridiem. Et fuit initium decimequartæ. Et Luna peruenerat ad oppositum loci sui ad unguem.

Hic alter affinis meus erat & uir sexagenarius cum uulneratus est, Luna à Marte

separabatur & Mars cum Capite erat & Luna cum Cauda & applicabat Saturno &



Motus diur.		
♄	0.	5
☿	0.	2 Retr.
♂	0.	7 Retr.
☉	1.	1
♀	1.	15
☽	1.	47
	1.	49
	1.	50
	1.	50
	1.	50

Lunæ motus dij dies					
	19	20	21	22	23
	13.42	13.22	13.9	12.57	12.45
	24	25	26	27	28
	12.12	11.45	11.38	11.37	11.53
	29	30	31	1	2
	11.55	12.2	12.7	12.15	12.24

Iouis infelicis oppoſito, non tamen ſtatim grauatus eſt, quia Luna ibat ad ſextilem Mercurij & uulnus erat brachij transfoſſio. Quarta grauatus eſt propter Solis quadratum caruit tamen febre, quia nulla malefica oppugnabat, ob id uſque ad decimam adeò leuatus eſt, ut ſurgeret. In undecima grauatus eſt hora noctis tertia cum Luna ad oppoſitum Solis tenderet. Hic autem erat anæreta dominus ſi quidem oppoſiti loci Lunæ: Et poſt Luna ad Mercurij oppoſitum ibat. Febre igitur & ſanguinis profluuio correptus eſt XIIII die, quæ fuit ſecunda Ianuarij hora diei, tertia cum Luna corpore Martiiũgebat̃ expirauit. In omnibus his ſi bene animaduertis exitus fuit iuxta conditionẽ Lunæ ab initio morbi bonã aut malam. Quod ſi rationẽ hanc criticorum dierũ ad diuiſionẽ circuli totius in triquetras & nonangulas figuras deducas, uidebis rationẽ quartæ diei, quę eſt cũ Luna peragrauerit partes XL tunc peruenit ad radium nonangulum, hoc autem fit in diebus tribus perfectis, ſed ſi Luna uelox curſu fuerit intra tres dies. Septima autem cum ad XC partes, uel cum ad LXXX. has autem in ſex diebus perfectis peragrat cum uelox fuerit curſu & ob id criſis in ſexta ſemper mala eſt, quia fit ex Lunæ curſu ueloci cum peruenit ad LXXX partẽ à loco in quo erat, ſed pars LXXX non aduerſatur loco primo, igitur criſis tunc erit mala. In ſeptima autẽ poteſt eſſe bona & mala quia poteſt fieri ex tardo motu Lunæ ad octogeſimam partem & tunc erit mala, uel ad XC quod plerũque contingit & tunc erit bona. In decimaquarta fit cum Luna uadit ad oppoſitũ loci in quo erat in initio morbi, ideò per ſe bona. Non enim poteſt fieri ob nonangulam figuram, quia CLX partes & CC nimis diſtant à peregrinatione Lunæ in XIIII diebus, ſeu Luna fuerit tarda, ſeu uelox: Cum

lox: Cum uerò decimaquarta dies fiat in diebus 13. horis 16. dies 20. dupliciter potest cõsurgere uel additis semicirculo ☌ partibus & Luna sit uelox motu & tunc crisis erit bona, uel additis LXXX, & Luna sit uelox seu tarda, incidit in uigesimam diem, & tunc crisis erit mala. Solum uerò additis ☌ partibus & Luna tarda cadit crisis in uigesimamprimam, ideò crisis in XX est longè frequentior crisi in uigesimaprima, sed crisis in uigesimaprima est securior. In XIIII enim uel uigesimaprima nisi incidat malus aspectus ualde seruantur ęgri, quoniam locus ille aduersatur loco initij morbi. In pestilentibus autem cum raro natura recte operatur raro fit crisis in uigesima. Crisis igitur in sexta ualida & semper mala: in septima ualida & anceps: in uigesima ualida & frequens, sed plerunq; mala: in uigesimaprima rara sed bona: in decimaquarta frequens ualida & bona. In decimatertia mala.

TEXTVS LXIIII.

Verum horum ipsorum particularium modorum, diurnæ intensiones remissionesúe, existunt potissimum ubi inerrantium stellarũ eæ quæ maximè illustres sunt, matutinis aut uespertinis, ortusq; aut occasus sui fulgoribus erga Solem conspicuæ fuerint, nam conuertunt particularem statum illæ plerunq; ad modum naturarum suarum.

Docet in hac quarta parte dignoscere qualitates dierum singulorũ obseruando stellas fixas maximè illustres cœlo, quas quidem tum ex libro Magnæ cõpositionis tum ex libello Ptolemæi de Ortu siderũ de quo superius diximus (testaturq; ignotus expositor Ptolemæum talem scripsisse librum ut iam non dubium sit illum esse Ptolemęi) Eas excipies: Exemplum in Aprili mense tertio nonas Aprilis, id est, tertia Vergiliæ occidunt uespertino: tempore autem Ptolemæi Sol erat circa duodecimam partem Arietis, Vergiliæ uerò circa quintam Tauri, quare occidente Sole illico post crepusculum quod durat donec descendant sexdecim aut decemocto partes cœli Vergiliæ occidunt uespertino, id est, illæ quæ iam prius uidebantur occidente Sole post occasum eius, nunc primum Sole appropinquante incipiunt latere, ideoq; immutant statum aëris, cum aër priuetur tali lumine iam solito illarum stellarum, uocaturq; hic occasus uespertinus, scilicet quando in occidente, quę prius solebant uideri Solis lumine adumbratæ, desinunt apparere: Tunc igitur flat Africus sequenti die. Hoc exemplum dedi de Vergiliis ut intelligeres nõ solum de una stella magna sensum esse Ptolemæi interpretandum, uerum etiam de pluribus quæ ualde sint propinquę inuicem, ut sunt Vergiliæ, Succulæ, Cingulus Orionis, Asini. Aliud exemplum: inquit quod nonis Mai exoriebantur Vergiliæ ortu matutino, id est, quod Vergiliæ incipiũt appetere ante Solis exortum propter Solem recedentem: Nam nonis Mai, id est, septima Mai, Sol erat circa quintamdecimam partem Tauri, Vergiliæ, ut dictum est, circa quintam partem Tauri, ideò illa quæ plus habet latitudinis incipit apparere. Circa quod notandum est, quod quãdo sunt plures stellæ, exortus intelligitur cum una earum primo incipit uideri; occasus autem cum prima illarum qualiscunque sit abscondi incœperit: ita quod ortus intelligitur de prima quæ apparet, & occasus de prima quæ absconditur. Ex quo patet quod plus distant stellæ à Sole quãdo abscondun tur si sint plures, quàm quando oriuntur. In occasu enim Vergiliæ distabant à Sole partibus uiginti tribus uel paulo minus, in ortu distabant decem partibus à Sole. Et causa tota est, ut dixi, quia exortus & occasus capiuntur à diuersis stellis: exortus à prima quæ apparet, occasus à prima quæ occultatur. Et quia pars finitoris occidua contraria est orientali, ideò his duabus causis contingit uarietas. Secundum considerandum est, quod talis ortus & talis occasus in pluribus stellis durat per plures dies, scilicet à prima quæ oritur ad ultimam earum durat ortus: & similiter occasus à prima quæ occidit ad ultimam: & perseuerat talis effectus plerunq; non solum toto tempore intermedio, sed in ortu etiam per aliquot dies, postquam omnes apparere cœperint. Sed in occasu est alia ratio, quia non durat effectus nisi ab occasu primæ ad oc-

casum ultimæ: Vbi autem omnes occiderint sequenti die cessat effectus. Si uerò sit una stella tantum illustris puta Arcturus uel Canicula, tunc ortus fit in una die, sed effectus durat pluribus diebus: adeò ut Caniculæ ortus duret triginta diebus, & secundum aliquos quadraginta, Arcturi uerò octo uel decem. Occasus uerò contingit in una die, & effectus etiam finitur eadem die, & hoc est tertium. Quartum est, quod ortus & occasus unius & eiusdē stellæ non fiunt in æquali distantia à Sole, sed est magna uarietas, tum propter obliquitatem uel rectitudinem signorum, tum propter latitudinem australem uel borealem: nam latitudo borealis facit ut oriantur matutino celerius & uespertino ortu: Australis autem facit ad occasum tam uespertinum quàm etiam matutinum: Ergo boreales stellæ utpote Arcturus oritur utroq; ortu in minore distantia à Sole quàm occidat: Canicula cōtrario modo. Quintum considerandum est quod licet ortus stellarum insignium per plures dies duret & effectus earum, mutatio tamen de qua loquitur hic Ptolemæus non fit nisi in prima die ortus, sicut etiam in occasu fit mutatio status aēris die illa solum. Sextum notandum est quòd ortus & occasus earundem stellarum non fiunt apud omnes gentes eisdem temporibus propter diuersam poli altitudinem & uarium finitorem, propter quàm causam & etiam propter motum stellarum fixarum ostensum est superius necessariū esse facere unam tabulam totius anni ortus & occasus siderum tam uespertini quàm matutini pro sua regione & ætate: Circa quam etiam animaduertendum ne bis sextus annus errorem unius diei, faciat: hoc enim prætermissum fuit, nec admonueramus dum de tabula facienda loqueremur. Septimum est, quod ortus & occasus eorundem siderum non solum in diuersis regionibus diuersa operantur propter naturam uentorum & qualitatum aēris & situm, sed etiam diuersis temporibus ualde distantibus, utpote tempore Ptolemæi & nostro propter uarietatem situs stellarum: Et etiam diuersis temporibus propinquis, puta anno præterito & præsenti propter diuersam naturam aēris: quia idem uenti præcedente aēre sicco faciunt serenitatem, & præcedente humido faciūt pluuias. Et etiam quia quidam uenti parum spirantes serenitatem pariunt, multū, pluuias: ut Cæcias & Corus: quidam contrario modo parum spirantes adducunt nubes & pluuiam, diu spirantes depellunt eas & serenitatem faciunt. Octauum notandum est quod exortus maiorem faciunt mutationem quàm occasus: & matutini comparati uespertinis sunt ualidiores: ita ut sint quatuor ordines, ortus matutinus qui est ualidissimus, ortus uespertinus secundo loco, occasus matutinus tertio, occasus uespertinus quarto: Et ideò nil mirum est si Ptolemæus in libello illo quādo scripsit tertio nonas Aprilis Vergiliæ occidunt, uespertino nihil ascripsit, sed sequenti diei flat Africus: quia effectus ille cum sit debilissimus, quia fiat ab occasu uespertino, differtur in sequētem diem. Sed nonis Maij cum scripsit Vergiliæ oriuntur matutino, quia ortus matutinus erat ualidissimus, adscripsit eadem die: & spirat Fauonius. Nonum notandum quod isti quatuor modi eo ordine sibi succedunt, ut si ponatur primus occasus uespertinus, inde sequitur post ortus matutinus, deinde hunc sequitur occasus matutinus, & post hūc ortus uespertinus, inde res redit ad occasum uespertinum. Decimum, est quod stellæ fixæ exoriuntur in parua distantia à Sole plusquam Luna propter tres causas, uel propter luminis claritatem & uigorē sicut Mercurius qui appareret in distantia septem partium à Sole cum sit ualde paruus tamen, propter claritatem luminis: Luna uerò nisi post quatuordecim partes, causa etiam est quia ut demonstratum est in naturalibus à nobis, omnes stellæ tam erraticæ quàm inerrantes lucent lumine proprio: Sed Luna lucet lumine Solis, & quamuis luceat etiam proprio lumine, illud tamen lumen est ualde hebes, & ideò Luna occultatur à Sole in maiore distantia quàm ullum aliud astrum: quia cum luceat lumine Solis maximè & propinqua Soli, cum sit illo inferior excipit lumen à superiori parte, & ita nō potest uideri à nobis. Secunda causa quare stellæ fixæ maximæ uideantur in magna propinquitate Solis, est altitudo ipsarum stellarum magna, qua fit ut lumen earum minus præpediatur à Sole. Tertia est latitudo magna quarūdam earum ut Arcturi & Caniculæ, quę quāuis non tantum faciat quantum longitudo, quia circulus latitudinis multum conuenit

cum

cũ finitore, adeò ut aliqua stella possit distare uigintiquinq; partibus & plus ab ipso Sole, & tamen simul exorietur cum Sole, & sic obscurabitur à Sole, quod fieri non potest de uigintiquinq; partibus distantiæ à Sole in lõgitudine: nihilominus magna distantia in latitudine facit ut plerunq; stella ualde propinqua Soli secundum longitudinem appareat ante ortum Solis: & hoc contingit nobis, ut dixi in latitudine Boreali tam in ortu matutino quàm uespertino. Hæc tam diffusè uolui explicare quia erant ualde necessaria non solum pro intellectu qualitatis aëris, sed etiam pro genituris ipsis: multum enim refert quod quis nascat ipsa die exortus matutini uel uespertini, ipsa stella quæ exoritur cardinem orientis uel occidentis aut meridiei possidente. Nunc ad exempla reuertor. Matutinus occasus intelligitur cum Sole exoriente stella occidit, ueluti Pridie Idus Octobris, id est, die duodecima eiusdem, Vergiliæ occidunt matutino, id est, Sole exoriente ipsæ occidunt. Erat enim eo tempore æquinoctiũ autumnale undecimo calendas Octobris, id est, die uigesimaprima Septembris. Sol igitur erat in Libræ parte uigesima prima, dum igitur Sol descenderet uigesima prima pars Arietis ascendebat. Cum uerò Vergiliæ essent in quinta parte Tauri ipsæ erãt supra horizontem, seu finitorem, atq; statim occidebant, itaq; uocabatur occasus matutinus Vergiliarum. Sed notãdum quod duplex est occasus quo ad hunc sensum, scilicet Chronicus & Heliacus, ut superius dictum est, ex quorum malo intellectu tanta confusio orta est, ut ne Oedipus se possit explicare, si quis uelit uerbis Plinij, qui purus fuit grammaticus, adhærere. Nam mos est grammaticorum audacissimè de rebus non intellectis penitus scribere: Bene dicta ab alijs, errata & cõfusa simul, ut ita dicam, consarcinare: Vnde fit tãta conturbatio, ut si quis illorum uerbis attendere uelit nunquam se explicet. Ideò Plinio utamur pro historia Romanarum rerum, explicandisq; rebus Latino sermone, quibus in usibus non parum præstitisse uidetur, plusq; præstitisset si uel diligentior fuisset in scribendo, uel uetustas sinceriores illius libros ad nos transmisisset. Ergo ut ad rem redeam, exoriri dicit astrum Heliacè quando matutino exoritur ante Solem, & hic modus nobilissimus est. Secundo Chronicè quando Sole occidente in oriente emergit, ut Vergiliæ tertio Idus, id est, nona die Nouembris: nam tunc cum Sol esset circa decimam nonam Scorpij partẽ ipso occidente emergunt ex aduersa parte in oriente Vergiliæ quæ sunt in quinta parte Tauri, seu potius erant Ptolemæi tempore, ut dictum est. Tertius modus est occasus Chronicus, cum Sol accedit ad astrum occidens & occultans ipsum. Occasus uerò Heliacus est cum ante Solem exorientem ex aduersa parte astrum occidit. Exempla igitur horum habẽtur, uespertini occasus Vergiliarum Chronici tertia die Aprilis: ortus matutini Heliaci Vergiliarum septima die Maij: exortus uespertini earundem Chronicidie undecima die Nouembris: occasus autem Heliaci, seu matutini duodecima die Octobris.

TEXTVS LXV.

Idem iudicandum usu uenire, ubi lumina iter per cardines fecerint. Talem enim ad habitum illorum horariæ remissiones ac intensiones tempestatum sese conuertunt sicut secundum Lunæ æstus maris ac redundationes, itemq; mutationes uentorum præcipuè per tales cardinationes fulgorum tales consueuere esse, ad quales ipsa se Luna latitudine sua inclinauerit.

Hic docet cognoscere partes ipsius diei ex itinere Solis uel Lunæ, quando Sol uel Luna sunt in cardine: Sed magis de Luna quia mutat & auget dispositionem temporis argumẽto sumpto ab æstu maris, qui increscit ex oriente Luna, dumq; illa in medio cœli est maximè augetur. Eodem modo dicit uẽtos à Luna augeri ea ex parte ad quam Luna ipsa inclinauerit. Quamuis enim Sol & ipse uentos mutet attamen ad eam partem mutare solet ad quam Luna ipsa inclinat: dico ad uentos meridionales si Luna fuerit in parte meridionali latitudinis suæ, & boreales sic fuerit in parte boreali:

reali. Et nota quod uentos meridionales & septentrionales intelligere oportet, non Notum aut Septentrionẽ, sed per meridionales omnes illos uentos qui cõtinentur à Subsolano ad Zephyrum in parte superiore figuræ ubi uẽti describuntur: Et per boreales eos omnes qui in medietate inferiore figuræ continentur, ita ut figura ipsa in duas partes diuidatur, superiorem & inferiorem, superiores uenti meridionales dicantur, inferiores boreales. Itaque cum dicimus Lunam mouere uentos boreales, intelligimus aliquem ex inferioribus: Si uerò meridionales, aliquem ex superioribus. Nam constat quod Sol ex se uiceuersa mouet uentos orientales in oriente, & occidentales in occidente: Similiter intelligendo per uentos orientales eos qui sunt in parte sinistra, per occidentales uerò eos qui sunt in parte dextra ipsius figuræ. Itaq; per has duas conbinationes uenti singuli ad horaria tempora & distribuuntur & augentur ac minuuntur. Quod uerò dicat fulgorũ cardinationes, nihil te moueat, cum Græcè scribatur φάσεων κεντρώσεις. Centra enim luminarium obseruari iubet, non solum ipsa luminaria, insinuans nobis horarias mutationes quæ uel momento finiuntur, exquisita indigere scientia.

Sciendum est Iouem esse parentem serenitatis: Venerem pluuiarũ: atq; ideò si coniungantur, tempora sequi iuxta naturam illius qui ex eis superior fuerit. Superiorem intelligo in coniunctionibus sex modis: Primum qui plus potestatis habuerit in loco coniunctionis, magisq; conuenerit cum stellis quæ iuxta positæ sunt: Secundum qui maiorẽ habuerint potestatẽ in cardine sequenti: Tertiũ qui uelocior motu fuerit: Quartum qui fuerit proximior absidi sui eccentrici: Quintũ qui latitudinẽ habuerit magis borealem: Sextũ qui maiorẽ habuerit potestatẽ in loco luminaris uel luminarium quæ supra terram extiterint. Solem uerò & Saturnũ qualitatũ aeris calidi & frigidi dominos esse constat: Solem scilicet caliditatis, Saturnũ uerò frigiditatis. Iouem quoq; & Mercurium esse dominos uentorum, Martem esse dominum imbrium, quę cum tonitru eueniunt tempestatũ, fulgurum, grandinum & corruscationum. Lunam omnia hæc ad inferiora deferre.

TEXTVS LXVI.

Vbiq; autem hoc tenendum est, priorem ac posteriorem, generalem & primariæ subiectionis causam, sequi uerò eam quæ sit particulariũ accidentium, sed tum efficaciam firmam in primis ac ualidam esse, cum generalis naturæ dominatrices stellæ illis quarum fuerit particularis curatio, aspectu ac configuratione sese coniunxerint.

Sensus huius partis textus est quod semper debemus obseruare primum generalissima, quę maximas habent uires, ut deliquia & crinitas: inde minus uniuersalia quę sunt significata quartæ anni: inde propria mensis: inde quartæ mensis: inde diei: inde horarum: Et quod quanto generaliora tanto efficaciora. Sed dices, igitur semper effectius consequentur secundum generaliores significationes: & minus generales solum augebunt aut minuent? Respondeo quod generaliores semper sunt ualidiores minus generalibus, duabus seruatis conditionibus. Prima quod generalis sit adeò perfecta in suo genere & magna sicut propria, uelut magna eclipsis comparata coniunctioni Solis & Lunæ potenti, aut parua eclipsis coniunctioni Solis & Lunæ debili, & ita de aliis: Secunda ut sit sola propria significatio: nam duæ minus generales conuenientes simul plus possunt quàm una generalior. Dicit deinde, quod ubi plures significationes conuenerint, tunc certissimum erit iudicium & maximè si significatores ijdem fuerint.

CAPVT

Caput decimumtertium.

TEXTVS LXVII.

De obseruandis Meteoris, id est, facie cœli.

PRofuerit & imparticularium significationum præuisionibus notasse iuxta Solem, Lunam, ac stellas apparentia uisa. Ac Solem quidem intuebimur orientem in iudicio tempestatis diurnæ, nocturnæ uerò occidentem. Sed diuturnioris configurationem cum Lunæ illius, nam singulæ figuræ tempestatem qualis usque ad proximam futura sit declarare consueuerũt. Si igitur pura luce & expers caliginis, uarietatis, nubium, Sol orietur aut occidet serenam tempestatem pollicetur, in uarietate autem orbis, cumq; hic flammeus, rubentesue eiaculari radios uidebit, siue illi directi, seu refracti appareant, itẽq; cum illas Solares nubes quæ parelia dicuntur unà à parte informarit, nubiumq; figuras subrubras, radios in longum tendẽtes circum sese habuerit, uehementes tum flatus significantur, pro ijs angulis quos respexerint uisa illa. Niger aut luridus, in ortu occasuue, si nubibus quoque inuoluetur, aut area una à parte cingetur, aut Solares illę nubes utrinque aderũt necnon radij subpallidi aut nigri, minatur hyemes atq; imbres.

Diuiditur hoc caput in octo partes: Primum ponit signa à Sole, deinde à Luna, deinde à stellis, quarto à crinitis, quinto ab ignibus, sexto à nubibus, septimo ab his quę solum uidentur & non sunt, ut irides, areæ, pareliæ, octauo cõcludit. Addidit autem hoc Ptolemæus capitulum, ut intelligeremus in singulis diebus ac noctibus quid futurũ sit, & honos qui adimit Astrologo iniustè propter artis difficultatẽ, non autem inconstantiã, aut uitiũ ullũ aliud, hac ex parte sartiat. Deinde etiã quod diuinatio hæc per astra quoquomodo est & per superiora: de qua si cui libeat copiosius legere legat apud Plinium. Sensus igitur huius est si uelis pro die tantum scire naturam aëris, inspice Solem exorientem: Si uerò pro nocte tantum, inspice Solem occidentem: Si uerò statum longioris temporis, inspice statum in hora in qua Sol Lunæ per radios aut per corpus iungitur. Nam usq; ad sequentem cum Luna configurationem significatio illa iuuuat. Igitur si Sol oriatur uel occidat quatuor considerandæ sunt, color, puritas, nubes, & radij. Puritas & in colore & in nubibus & in obscuritate significat serenitatem. Radij uerò & nubes subrubræ & refractiones quales sunt areæ, & uirgæ significant uentos ex ea parte in qua talia apparent. Subpallida nigra & obscura, imbres & hyemes. Lib. 18. ca. 35.

TEXTVS LXVIII.

Lunam obseruabimus in itinere suo dierum trium ante uel post interlunia ac plenilunia, & medium tempus quo erga Solem quadrat. Nam tenui, puraq; luce nitens, sicq; nihil illam circundet, serenitatem spondet: sin tenui rubeat luce, sicq; totus perspicuus sit orbis illius etiam qua parte non illustratur, & tremere uideat, uentos maximè declinationis suę ciet: nigra, pallida, spissa, hyemes ac imbres minatur. Non negliget animaduersio quoq; arearum, quæ Lunam interdum cingunt. Nam si una fuerit pura, paulatimq; euanescat serenitatem, sin duæ aut tres hyemes significant;

ficant, atque has cum uentorum turbulentia ſubrubræ, quaſiq; perruptę: Cum niuibus ſi caliginoſæ ac ſpiſſæ: Si luridæ ac nigræ & laceræ, tã cum his quam cum illis, eoq; etiam uehementiores ſignificant illas, quo ipſe maiores fuerint.

Quod propoſuerat in præcedenti capitulo de obſeruatione Lunæ, hic declarat, ſcilicet, ut obſeruentur tres dies ante interlunium & poſt interlunium. Et ſimiliter in oppoſitione & in quadrato aſpectu, ita ut obſeruentur ſex dies pro quacunque configuratione cum Sole. Et ſi tenui luce & clara fuerit, & nihil eam circundet, puram ſerenitatem, id eſt, ſine uentis, nebulis & pluuia ſignificat. Si uerò adfuerit uarietas uel tenui rubeat luce, uel totus orbis illius, id eſt, limbus luceat etiam ea parte qua non illuſtratur, tremereq; uideatur, uentos ſignificat. Et ita nigra, pallida & obſcura imbres ac hyemes: adeò ut ſit eadem ratio Solis ac Lunæ. Circa areas uerò ſi una fuerit & paulatim euaneſcat, ſignificat ſerenitatẽ. Si uerò duæ ſint aut tres ſignificant hyemes: quod ſi cũ hoc rufę fuerint ac quaſi laceratæ hyemes & magnos uentos. Caliginoſæ ac ſpiſſæ, hyemes & niues, laceræ uerò nigræ aut luridæ utrunque ſignificant.

Dubitatur quia ſi aſſumas ſeptem dies pro quacunq; configuratione Solis ac Lunæ cum ſint quatuor in uno menſe aſſumemus uiginti & octo dies pro dijudicandis triginta quod erit abſurdum in tanta Lunę uarietate. Propterea dicendũ eſt quod Ptolemæus fuit inuẽtor participationis & in Muſica & in alijs, & maximus obſeruator ſicut & nos, naturæ ſubtilis & humidi pinguis: quædam enim ſunt generaliſſima & non adeò omnibus cognita, quæ ſi obſeruentur magnam afferunt utilitatem. Igitur, ut dixi participatio ipſa una eſt ex his. Vocatur autem participatio, quia ſi gratia exempli fiat coniunctio Lunæ cum Sole in die uigeſima Auguſti, iubet obſeruari à decima ſeptima uſq; ad uigeſimam tertiã. Sit igitur quadrata radiatio eorũdem die uigeſima ſeptima: iubet ergo per tempus quod eſt à die decima ſeptima uſq; ad uigeſimam tertiam cognoſci tempus à uigeſima die ad uigeſimam ſeptimã & ita nõ ijdem dies obſeruãtur qui etiã cognoſcunt, ſed benè participant. Vtpote à uigeſima die ad uigeſimam tertiam. Decurſus enim ille prior in Luna ſignum eſt decurſus tempeſtatis ſequentis, quia cauſa prior eſt effectu.

TEXTVS LXIX.

Errantibus ac inerrantium ſplendidis circunfuſæ Areę de proprietate coloris ſui portendunt ea quæ naturæ ferunt ſtellarum. Inerrantium etiã quaſi turbulas aſpiciemus quo ille colore quaq; magnitudine uideantur. Nam ſi ſplendidiores, grandioresq; ſolito appareant, quacunque in plaga cœli luxerint, ab illa uentos concitabunt. Quin etiam nebuloſi giri qui dicuntur, ut in præſepi & alibi propriè ſi ſereno cœlo aut exiles ſint, uiſumq; fugiant, aut perdenſę eſſe uideantur, nimbos, puri uerò ac uibrati turbulentiã uentorum portendunt. Iam ſi ſtellarum earum quæ utrinque ad præſepe cernuntur aſinorum appellatione, una quæ ſeptentrionalis ſit non appareat, flabit Aquilo, ſi uerò altera auſtralis non appareat, flabit Auſter.


Hæc eſt tertia pars in qua primum præſupponit quod quandoq; contingit, ſcilicet areas ſtellis circunduci: Harum igitur color & natura ſtellę ſignificant quod uentu-
Tex. 45. et 52. rum eſt. De natura ſtellæ & coloribus ſuperius doctrinam habuiſti, ſed tamen eam non ſimpliciter ſed quo ad tempeſtates attinet conſiderabis: nam nigra & liuida Saturnia ſunt, tempeſtatesq; & uentos ſignificant orientales: Rutila & Martia turbulenta, tempora cum tonitru & fulguribus ſignificant. Quod ſi compoſita ſit natura, utpote circa ſtellam de natura Iouis, area de natura Martis uideatur: iuxta naturam

coniuncti

coniunctionis Iouis & Martis significabis. Porrò de coniunctionibus Planetarum superius dictum est. Sunt etiã circuli singulis stellis, id est. Limbi Græca lectio habet κατὰ τι πλῆθος ἐγγὸς ὄντων παρατηρητέον, id est, quæ sunt secũdum ambitũ intus contentę spissitatis. De nebulosis giris, ut Pleiades & Hyades, relíqua textus declarat. In hoc enim toto opere constanter obseruatũ est, ut si conuersionem textus corruptam uiderem (Quod plerisq; in locis contigit) sola emendatione contentus fuerim: Si obscurus fuerit textus, ne uel unũ (Et) inexpositum permittere uolui. Si textus ipse per unum multa significare uoluerit, quæ defecerant omnia adieci. Verum ubi textus ipse perfectus fuit atque clarus, ne uel unum uerbũ addere uolui, nisi forsan ad causæ expositionem: unde admonitũ Lectorem pium uelim, ut omnino id semper obseruet, quod textum ipsius Ptolemæi cum ipso commentario coniungat legẽdo, & ex his quasi unum corpus efficiat. Igitur ut ad rem reuertar, causam exponamus quare gratia exempli borealis Asinus qui in tertia parte Leonis est nostro tempore, latitudinem uerò habet borealem trium partium detracta tertia unius partis, si non uideatur uentos efficiat boreales: Id uerò contingit quoniam ut in primo de Rerum uarietate libro scripsimus: Ventus fit elíso uapore à regione frigida uersus nos: Cum uerò stella illa non uideatur indicio est uaporem ibi adesse congregatum, qui elisus uentos ex ea patte significabit. Sed dices cum borealis Asinus non solum nostri comparatione, uerum etiam Aegyptiorũ australis sit quo ad declinationem, cum ab ea parte elídetur uentus semper australis erit, non autem borealis? Ad hoc respondemus uaporem illum adeò esse humilem, ut borealis significet partẽ eam quæ nostro oculo obducitur extendi ad boream, atque ita ab ea parte excitari uentos. Nam si extenderetur etiam ad austrum australem Asinum occuparet: modo cum non occupet, signum est exhalationem ad boream extendi: quoniã stellæ illæ cum paruæ sint & obscuræ & pauci luminis, à quacunq; minima exhalatione absconduntur. Eadem ratione igitur ubi stellas aliquas non uideris ex paruis, alias uerò paruas eis proximas uideris, à contraria parte illius paruæ quam uides uentum expectabis. Gratia exempli sint duæ stellulæ quarum una sit posita inter septentrionem & orientem, nec uideatur, alia uerò orientalior & in eodem situ quo ad Septentrionem quæ uideatur, tũc habebimus Corũ uentum. Quia enim occidentalior ex his non uidetur, occidentalis est uentus: Quia uerò in æquali situ ad boream posita uidetur, borealis regio pura erit. Ventus igitur planè occidentalis erit, & ad boream declinabit: quia regio borealis tamet si pura sit non tamen exquisitissimè. Nam iam suppossuimus stellam illam quæ absconditur esse borealem. Ventus igitur occidentalis est declinans ad boream paululum: Talis uerò, ut dictum est Corus. Vt uerò res tam utilis dignoscatur & quæ dicta sunt de stellis, quarum altera uidet altera non, cũ tamen ambę propinquę sint, atq; paruæ, figuram subieci. Manifestum est autem quod ubi remotior sola non uideatur aut neutra illarum, uentum oportet expectare ex ea parte in qua stella obscurata sita est: Sicut etiam si splendidior solito atq; grandior appareret.

Comment. 63.

Cap. 1.



TEXTVS LXX.

Præterea quæ certis temporibus in cœlo se ostendũt & ostenta dicuntur, eorum crinita sydera semper squalorem, uentosq; prænunciant, eo quidem uehementiores, quo pluribus in partibus & ipsorum corpora grandiora fuerint. Diuisiones & iaculationes stellarum si ab uno angulo prorumpant, inde quoque uentum emittunt. Sin occurrent inter se,

uentorumq; prælia suscitant: Sin uerò de quatuor plagis ruant hyemes tùa rias ferunt, atque etiam fulmina, tonitrua, & quæ alia huiusmodi sunt.

Per squalores intelligit siccitates prauas, quibus herbæ & arborum folia, aut siccantur, aut flacescunt. Cæterum quia hæc quarta & quinta pars textus per se clara est, quædam quæ ab Hermete dicta sunt Ptolemæi placitis consentanea, subiungere, quãuis loco aliena uideantur, ut quæ non de his quæ in sublimi apparent repentè sed de perpetuis sideribus scripta sint, libet: Ea autem ut Haly recitat talia sunt:

Cum malefica, seu in genitura alicuius, seu erectione regni, seu in principio ciuitatis, seu in distributione prouinciarum, per signa transierit per altitudinem Planetæ significatoris & maximè si retrograda fuerit, & eo magis si ibi steterit, atque eo magis etiã si illi signo fuerit inimica, ut Saturnus Arieti, Mars Libræ & Tauro, & uterq; illorum Cancro, & Mercurius Piscibus, & Sol Libræ, tunc quicunq; subiacient illi signo patientur quippiam: Et eo magis cum Planeta super gradum proprium exaltationis alterius transierit. Et si fuerit regnum aut Rex tunc ministri illius graues erunt subditis & iniusti. Rursus cum gubernator seu præses Planeta uitæ uel honoris, uel diuitiarum mutatur de signo in signum, hora qua mutatur erige figuram & uide quis Planeta illum aspiciat: Et si sit gubernator decimæ domus, inspice quis Planeta sit in ea uel aspiciat eam: Et si sit gubernator loci Solis uel Lunæ, uel ascendentis, uel partis fortunæ, inspice quis Planetà sit in illo loco uel aspiciat eum: Et secundum illud iudica de Rege per principiũ Regni, & de ciuitate, & de prouincia, & de priuato homine. Exemplum si cum gubernator medij cœli mutatur de signo in signum in figura regni, & hora qua mutatur ipse gubernator, sit in septimo loco & Saturnus in medio cœli aspiciens eum de quadrato, tunc Rex ille propter auaritiam & secordiam negligetur à suis subditis & odio habebitur. Et si debilis fuerit erectio Regni, & processus testimonium præbuerit, fieri poterit ut insidiæ illi parentur: Si non, non erunt nisi uerba. Ex quo patet quod ex moribus cuiusque Regis, gentis, & priuati, facilè poteris dignoscere Planetam qui gubernat: Si fuerint mores perpetui: Si uerò fuerint mores unius anni uel aliquot mensium uel dierum, cognosces naturam Planetæ qui gubernatori miscetur. Nam si fuerit auaritia cum socordia & malignitate, erit Saturnus. Et si fuerit auaritia cũ audacia et crudelitate, erit Mars. Et si fuerit iustitia cum liberalitate & pietate, erit Iupiter. Et si fuerit liberalitas cũ bonis uerbis, iocis & conuiuijs, erit Venus. Et sic fuerit uarietas morum & subdola uerba & delectatio picturarum & artium, erit procul dubiò Mercurius. Et si fuerit auaritia occulta cum splendore & magnificentia magna & ambitione summa cum iustitia, erit Sol: & hoc contingit raro. Et si fuerit ille quasi mercator & humilis cũ plebe, totus q; negocioſus & uarius, fungaturq; quasi officio suorum magistratuũ, uel si fuerit priuatus suorũ seruorum, erit Luna: & hoc etiam contingit raro. Ex hoc etiam sequitur quod qui habẽt gubernatores tardi motus fortunam habent æqualem, seu bonam, seu malam: Qui uerò ueloces motus uariam & inconstantẽ, quia sæpius mutãtur de signo in signum. Et Planetæ inferiores & ueloces in motu, & orientales à Sole, & iuxta orientem, & in principijs signorum, festinare faciunt euentus & successus rerum, & contrarij retardant. Similiter etiam septentrionales nobis iuuãt ad celeritatem, meridionales ad tarditatem: contrarium contingit in hoc habitantibus ultra æquinoctialem. In his tamen certus ordo habendus est: Primum igitur est quod Planeta sit orientalis à Sole: Secundum quod sit auctus motu: Tertium quod sit ab ascendente ad medium cœli: Quartum quod sit Planeta uelocis motus natura, id est, inferior Sole: Quintũ quod sit in initio signi: Sextum quod sit borealis, & hoc pro festinatione: contrario ordine pro tarditate. Nota etiã quod Planetæ inferiores sunt boni pro negocijs paruis et sæpe recurrentibus, ut mercibus, conuersatione hominum, exercitatione artiũ quę quotidie mutant aliquid, utpote pro Medicis: mali autem pro rebus magnis ac stabilibus, ut regno, consilio, iuris administratione, bellica arte, pictura, sculptura, plastica. Vnde quibus Planetæ inferiores solum dominantur, si iustitiæ sint administratores, eam

tes, eam pro commodo proprio metiuntur: Dico autem pro amicitia, muneribus, expectatione mutuæ gratiæ, urbanitate & iocis, & potentia partium. Superiores autem Planetæ inepti uicissitudinibus & paruis negocijs, magnis autem & stabilibus utiles & conuenientes. Inspice etiam in unoquoque negocio in initio eius & decursu statum Planetæ secundum naturam dominantis: Veluti si duo Reges pugnēt quorum nec̄ genituram habeas neque principia regni: quia bellum pertinet ad Martem, inspice si sit orientalis, uincet Rex cuius regnum est magis uersus in orientem: Et si occidentalis fuerit Mars, toto tempore decursus belli erit contrarium. Et similiter si fuerit septentrionalis, uincet Rex cuius regnum erit magis uersus septentrionē. Et si regio una fuerit magis uersus orientem, & meridiem altera, & mars fuerit orientalis & borealis, erit in eodem tempore fortuna uaria. Et si Mars permutet sitū in contrarium permutabitur & fortuna illorum regum. Idem de alijs significatoribus. Et quando gubernatores trigoni alicuius uel loci uitæ uel medij cœli, id est, honoris uel partis fortunę seu regni, seu regis, seu priuati, seu gentis, seu ciuitatis, robusti fuerint, & maximè in comparatione loci, tunc talis res erit ualida. Et si fuerint debiles & infelices & maximè maleficæ, tunc in illa re euenient multa inconuenientia. Et rursus scias quod ex deterioribus dispositionibus quæ contingant in significatoribus, est quod Saturnus sit oppositus Marti retrogrado, & alter eorum fuerit significator: uel si ambo fuerint iuncti & retrogradi aspicientes significatorem ex opposito & maximè si significator fuerit occidentalis à Sole, uel sub illius radijs, uel si iungantur significatori sic dispositi uel illū de quadrato respiciāt. Et scias quod natura signorum etiam ostendit mala, nam si significator gentis damnetur in trigono Cancri, erunt inundationes aut genera lepræ: Et si in trigono Geminorum, erunt latrones & bella & forsitan pestis. Mars autem & Mercurius propriè significant latrones in humanis signis quando simul participant radio uel dominio: Et causa est quia uterque eorum est infidus, promptus, crudelis, uigilans, infelix, & tales sunt latrones. Et si fuerit in trigono Tauri, erunt terræmotus uel iactura in armentis. Et si fuerit in trigono Arietis, erit iactura in frugibus & arboribus propter siccitatem, uel febres acutæ, uel etiam iactura in animalibus & rabies canum & luporum. Præter has sunt sex regulæ notatu dignæ quæ nostræ sunt: & sunt ex sententia Ptolemæi quarum una est regula generalis effectuum.

Regula generalis effectuum.

Effectus omnes significatorum generaliter reducuntur ad tres dispositiones, naturam significatoris bonam uel malam aut mediam, ad debilitatem uel robur, ad qualitatem quod sit felix uel infelix: Ita ut optimi effectus fiant cum benefica fuerit robustissima felicissima: pessimi cum malefica fuerit robustissima infelicissima. Media cognosces ex his.

Regula de succeßibus.

In geniturís priuatis, & initijs ciuitatum, & erectionibus regnorum, & qualitatibus temporum, sunt duo genera dominationis, successio & participatio. Participatio est cum duo Planetæ dominātur in eodem loco & neuter eorum est debilissimus, & tunc contingit, idem quod duobus in eodem magistratu administrantibus, quia uterq; participat in actionibus: ueluti in genitura nostra, Venus est domina domus & finis, & secunda domina trigoni: Luna uerò domina altitudinis & prima domina trigoni & aspicit ascendens: Ideò qualitas erit composita perfectè & benè mista ex natura Veneris & Lunæ. Sed successiones fiunt quoties solum unus potest præesse illi effectiui: Vel etiam si duo possint præesse unus propter debilitatem redditur inhabilis. Tunc contingit sicut in duobus qui pugnent de aliquo magistratu, tunc quicunque succumbit ex illis nihil penitus retinet dignitatis etiam si in mille suffragijs caderet uno solo ab altero, & præter id uictor conatur omnia facere cōtrario modo ei qui uictus est. Exemplum primi modi in nostra genitura, Luna succedit Soli in uita post ascendens, quia Sol est nimis debilis & ideò Sol nihil penitus significat in uita quia extoto excidit à dominio. Et si Sol perueniret ad centum pessimas directiones, nihil

penitus offenderet in uita. Et quando Luna peruenit ad oppositum radiorum Solis, radij Solis quasi interfecerunt ex pestilenti febre & bubone, alijsq; dispositionibus succedentibus prauis. Exemplum aliud: sit significator Iupiter honoris & dominus decimi loci & in reuolutione sit sub radijs Solis: & ita amittit significationem & non redit ad secundum significatorem sed ad signum decimæ. Dico igitur quod eo anno experietur mirabiles mutationes in honore iuxta Planetas ambulantes in illo signo. Exemplum secundi: in tertia genitura dominus loci Lunæ erat Mercurius inde Luna, Mercurius est debilissimus sub Sole, ideò res redit ad Lunam, & quæ significantur per Lunam, erunt de natura Lunæ in totum absq; ulla significatione Mercurij. Et similiter in eadem Mercurius erat primus significator loci Iouis & Martis, & Saturnus secundus: Cum uerò Mercurius sit debilissimus, tota res redit ad Saturnum & tãtum abest ut fiat aliquid cũ participatione Mercurij, quod Saturnus omnia administrabit absq; ulla participatione Mercurij, & ut ita quasi dicã in contemptum.

Regula de Planetis combustis.

Cum Planeta fuerit sub Sole, Sol ipse disponit loco illius Planetæ seruata qualitate eius. Exemplũ: in tertia genitura, Sol significat pro Mercurio eadem quæ Mercurius: puta si uolueris cognoscere ingenium eius considera dispositionẽ Solis qui est in Ariete: Et ideò potens ac felix: & significat amorẽ ad disciplinas, eruditionem, splendorem in negocijs.

Regula de initijs regnorum,

Aberrant Astrologi qui initia regnorum sumunt ab electione solenni quę fit cum pompa, & est uoluntaria, ideò nunquam diuinant. Nam cum ille iam habeat potestatem regiã & electio illa non addit nisi pompam, re uerò est inanis, oportet quod cum constitutio astrorum sit similis rei à qua sumitur, quod talis constitutio electionis regni nihil significet: cum quia merè uoluntaria, tum quia est sumpta à tempore in quo nullam acquirit potestatem ueram sed solum speciem quãdam potestatis. Ob id igitur si regnum sit per successionem, capies in ipsa hora accessionis, id est, mortis Regis præcedentis: Si uerò sit per electionem ab ipsa hora in qua primum consenserũt, & non ab ipsa pompa uel cæremonijs, quia pompa & cęremonię postquam iam electus est suffragijs, sunt in arbitrio Regis, ipsa uerò electio per suffragia est in arbitrio Dei & cœli eius ministri. Et ab eo tempore sumenda est constitutio cœli pro regno, & ita in Pontificibus Maximis eligendis. Si uerò regnum acquiratur cũ contentione, ut contingit inter fratres, uel sit regnum nouum bello aquisitũ, sicut dixi in eclipsibus quod debet sumi constitutio cœli à medio ipsius eclipsis: Ita hic ab initio uictoriæ, quando omnes iam incipiunt fugere. Et si fuerint plures uictoriæ sumatur illa postquã uires inimici nunquam amplius refectæ sunt. Et si fuerint ciuitates quæ se tueantur aduersus illum, ab hora expugnationis illius, uel deditionis uoluntariæ, postquam nulla repugnauit pro libertate neque certauit extremo conatu, sed solum ut bonas conditiones acciperet. Plerũq; autẽ contingit ut hoc eueniat in Metropoli, non tamen semper. Et quando Metropolis uno tempore acquiritur & aliæ ciuitates alio tempore: tunc oportet diuersas facere figuras & quælibet seruit suæ ciuitati. Et similiter si ciuitas principalis capta fuerit uno tẽpore, & arx eius ualida alio tempore: tunc regnum illud erit erit quasi diuisum & oportebit facere plures figuras, & unaquæq; seruiet suo loco. Et hoc est secretum magnum.

Regula de transmutationibus.

Dico etiam quod Caput & Cauda Draconis cum iunguntur Planetis magnas habent uires: Vtpote si Saturnus coniungatur Capiti, quia iam locus ille ecliptice magnã uim recipit à Luna, quę ueniens ad nos bonũ affert: Ideò Saturnus benè afficitur à Capite, & malè Cauda: Verũ quia Saturnus ipse inficit locũ sua frigiditate & siccitate, & Luna ueniens ad nos transit per illũ: Ideò Luna malè afficit quando Saturnus fuerit iunctus Capiti Draconis & deterius quãdo Caudæ: Ita coniũctio Capitis Draconis cũ Saturno iuuat decreta Saturni, sed malè afficit Lunam: coniunctio uerò Saturni cũ cauda inutilis est utriq;, id est, Saturno & Lunę. Sic coniunctio Iouis cum

Cauda

Cauda inutilis est Iouí, utilis uerò Lunæ: coniunctio uerò Iouis cum Capite utilis est utrique, scilicet Iouí & Lunæ.

Regula de statu temporum.

In æstate interlunio tẽpus est calidius, quia Luna nobis proxima est: plenilunio frigidius, quia cũ Sol sit nobis proximus: in æstate in plenilunio Luna illí opposita erit remota à nobis. In hyeme autem plenilunia faciunt tepidiores noctes, quia Luna nobis proxima est, ut nouilunia frigidissimas quia Luna abest à nobis. Eadem ergo regula erit de omnibus Planetis calidis, Marte, Venere, Ioue: Contraria de frigidis, Saturno atque Mercurio: quando Mercurius naturæ Saturni assimilabitur. Stationes autem Planetarum maximè ostendunt eorum uires, ut rectè obseruauit Ioannes Vernerus Noricus uir ueridicus. Saturnus enim frigiditatem facit, Mars calorẽ, Iupiter temperamentũ & serenitatem, Venus pluuias. Cumq; Luna ad ascendens nouilunij aut plenilunij peruenerit plerũq; mutatur aër iuxta decretum nouilunij uel plenilunij. Similiter cum ascendens directione peruenerit ad Planetam loci nouilunij uel plenilunij dominum dando partes 13, minuta 11. pro unoquoq; die. Ingressus etiam Planetarum in signa sui casus tempora mutant. Coitus quoque plurium & maximè cum fixis similis aut contrariæ naturæ tempora mutat. Et maximè cum Luna ad illos peruenerit corpore uel aspectu. Cumq; tales coitus in pleniluniа aut nouiluniа incidunt erunt ualidiores. Minus firmum est quod tamen sæpius obseruatum, uerum inuenit, Venerem & Martem, & Solem cum partem cardinis occidentalis hora æquinoctij ingrediunt, maximas aëris mutationes afferre pro suę naturę qualitate. Lunam quoq; idem facere quoties Planetæ occurrit occiduũ æquinoctij cardinem peragrãti.

TEXTVS LXXI.

Nubes in quibuscunq; finibus conspectæ assimiles floccis lanæ, nonnunquam hyemes afferunt.

Intendit per hyemes non tempus hyemis sed pluuias cum frigore: causa est, ut Haly benè dicit, uapor humidus ualdè crassus & copiosus: nam flocci illi crassitiem ac spissitatem ostendunt. Et hæc sufficiunt pro sexta parte textus declaranda: Nunc sequitur septima.

TEXTVS LXXII.

Sed arcus quocunque tempore extiterit, si serenum sit, hyems, sin hyemet, serenitas expectanda.

Causa huius est, ut bene Haly inquit, quia arcus cœlestis fit à nube rorida sparsa: Si igitur succedat serenitati, signum est quod aër humectatur & crasceſſit. Ideò significat hyemes, id est imbres magnos. Si uerò succedat imbribus: Cũ hi fiant à densis nubibus & denso aëre cœlestis arcus significat utrunq; iam rarescere. Obid Moses scripsit Deum posuisse Iridem in signum fœderis ipsius cum humano genere: nam cum Iris fiat, ut diximus, à nube rorida atque disgregata, nec inundationes, nec squalores succedere possunt.

TEXTVS LXXIII.

Vt autem hæc concludantur, sciendum generalia uisa aëris certis temporibus eadem portendere quæ sunt in superioribus de suis quæq; accidentibus explicata. Atque hactenus placuit de generali inspectione uniuersalium atq; particulariũ signorũ breuiter disserere. Quod superest, Genitales præcognitiones, sicut & ordo postulat, nũc deinceps exequemur.

Concludit in hoc quod significata horũ quæ in cœlo uidentur super tempora singularia scilicet propria & paucorũ dierum sunt similia in natura & dispositione, significatis eorundem superius explicatis dum de coloribus deliquiorum loqueremur. *Comment. 53.*

FINIS SECVNDI LIBRI.

IN COMMENTARIA tertii libri Ptolemæi de Iudiciis, Hieronymi Cardani Mediolanensis Medici ad Reuerendissimum D. Ioannem Hamulthonum Sancti Andreæ Archiepiscopum, Legatum &c.

PRÆFATIO.

HActenus de generalibus iudicijs tractatum est: Nunc uerò de genituris, quod principale, ut diximus, fuerat intentum, tractandum est. Quærit Haly quod superfluũ est, cur Ptolemæus, scilicet, non tractet de electionibus & interrogationibus. Cum interrogationes omnino sint sortilegæ atq; indignæ, non solum uiro Christiano, sed uiro bono. Similiter electiones plus inuentæ sunt causa auaritiæ Astrologorum, quàm quod quicquam conferant in utilitatem eligentis. Et si quippiam modo continẽt ueritatis, illud adeò est tam exiguum atque abstrusum, ut dignum arte non uideatur. Ars enim est de euidentibus & quæ cõmodè parari possunt. Horum cum neutrum sit in his, non est ars de illis. Velut nec de imaginibus faciendis in nubibus tanquam in speculo, quę cum fieri possint, ad artem tamen nullam spectant, cum sint maximæ difficultatis, & nullius propemodum utilitatis. Sed has & interrogationes uanas commenta est auaritia Astrologorum, uelut & Sacerdotum auaritia multas superstitiones quæ cum religionem non possint facere deteriorem, tamen indigna sint uiris probis: Ita hęc superstitiosa sunt & indigna homine Christiano, nec tamen artẽ ipsam superstitiosam reddere possunt. Propterea Ptolemæus ab his in genuinis libris, tanquam superstitionibus abstinuit, nec omnino ullum uerbũ fecit. Vnde facilè est intelligere, tum ob hæc, tum ob diuersas de eisdem rebus sententias quæ à Ptolemæo in his libris referũtur, & ab authore Centiloquij, non esse authorem Centiloquij ipsum Ptolemæum. Verum quod maius est argumentũ in oppositũ est procœmium Centiloquij, in quo de Syro meminit & de his libris: Sed huius rationem reddit Galenus dicens: Olim Reges ut instruerent bibliothecas magno pretio emendo illustrium uirorum scripta, causam dedisse ut suâ ueteribus attribuerent. Quod uerò obijcitur ab aliquibus, constitutiones generales facere ut singularium geniturarum superfluæ uideantur, tum quia

constitutiones generales propriam uniuscuiusq; uincũt, tum etiam quod eodem modo liceat de singularibus iudicare (atq; id probat Ptolemæus trifariam in procemio sequenti ubi dicit (Quæ operando & quæ cõtemplando) id est, quod modus operandi astrorum & contemplatio est eadem tam in uniuersalibus quàm in singularibus, idq; trifariam ratione causæ, id est, quia omnia contingunt per Solis ac Lunæ ac cæterorum siderum motus ac constitutiones lumenq;, tum etiam traiectiones in aëre: nam istę eędem sunt causæ ad unguẽ effectuũ in prouincijs & ciuitatibus & in genituris singulariũ hominum: Secũdo mediũ est idem, scilicet cõtinens ipsum: Tertiũ est idem genus effectuũ, puta calor, frigus, detrimentum ab aquis, detrimentũ ab hominibus, detrimentũ à feris, serpentibus, alijs) Respõdet ergo Ptolemęus quod differũt in ratiõe principij, quia in uniuersalibus accipimus duplex principiũ, unũ à cœlo utpote eclipsim, aliud ab inferioribus, uelut quod hęc prouincia huic signo subiecta sit uel hæc ciuitas talem originem habuerit: Sed in singularibus solum principium ab inferioribus sumimus, id est, ab illius proprio ortu. Ex quo colligitur regula quam dixi superius, quod eclipsis superueniens alicui genituræ ubicũq; cadat nihil penitus nocet nisi in quantũ nocet illi regioni & ciuitati: aliter sequeretur quod etiam singularia haberent duo principia, scilicet superius & inferius. Per superius intelligit defectus luminariũ & uehementes stellarum occursationes, id est, superiorum magnas coniunctiones & luminarium cum fixis. Quibus manifestum fit responsum ad primam dubitationem, scilicet quod generales constitutiones deberent sufficere ad prædicendum de singularibus hominibus: non enim sufficiunt propter duas causas: prima quia generales constitutiones non semper significant supra singularia, quia non semper conueniunt cum loco in quo habitat ille homo. Deinde etiam quod conueniant non sunt quandoque adeò uehementes, ut possint ex toto euertere singulare illius principium genethliacum, ac omnino disponere illum secundum naturam dispositionis generalis. Veluti si aliqua dispositio generalis significet studiosos, non tamen ille fiet studiosus cui à natura odio sunt bonæ literæ & quasi exosæ.

CLAVDII PTOLEmæi Mathematici, de Iudiciis, Liber tertius, Caput primum, quod est Proœmium.

TEXTVS I.

EXplicata à nobis in prioribus communium euentuum consideratione nimirum quæ & natura præcedit, & plurimum ualet in peculiarium, prout uniuscuiusq; conditio requirit, casuũ decretis, quã quidem præscientiæ partem Genethlialogicã dicimus, existimare cõuenit utriusque generis unam, eandemq; uim esse, qua operando qua contemplando. Enimuerò tam generatim multis quàm singulis peculiater accidentium effectrix est errantium stellarum, Solisq; ac Lunę motio, mutationis autem subiectarum hisce rerũ præcognitio, erudita est secundum conformes cœlestium corporum per circunfusum nobis cœlũ traiectiones accepta obseruatio, nisi quatenus generalis illa cœlestiũ efficientia latius patet ac seipsa contenta est: partibus uerò non ita. Nec uerò initia utrarumq;, unde sumentes cœlestium cõstitutionem quæ per eas figurarum commixtiones significantur, præuidere nitimur, eadem esse putabimus, sed generalium effectionum complura (neq; enim unũ habemus uniuersorum) eaq; non ab inferioribus semper accipienda, sed à superioribus etiam, causasq; euentuum inferentibus. Fere enim in ijs omnibus ex defectibus luminum euidentioribus & uehementibus stellarum occursationibus considerationem instituimus. Singulis uerò hominibus peculiariter contingentium & unum statuimus exordium & plura: Vnum uidelicet ipsius concretionis humanæ. Complura uerò ea quæ deinceps primo isti initio succrescunt. Sed hic antiquius habetur unum illud initium, cum reliqua tanquam subiecta sibi perficiat.

COMMENTARIVS.

DEclarat rationes dictas in præcedenti proœmio, sed concludit initium unum esse principale quod est à genitura: reliqua autem quę illi succrescunt, scilicet directiones, diuisiones ętatum per Planetas, progressiones de quibus in fine huius tractat.

TEXTVS II.

Quæ cum ita habent à primo initio accipiuntur quæ uniuersim nato conueniunt, à reliquis autem quæ labentibus temporibus euenient leuiora grauioraue iuxta temporum succedentium, quam dicemus distributionem.

Sensus

Sensus est initium illud, id est, Genethliaca constitutio significat quæ uniuersim conueniunt nato, utpote, si erit ingeniosus, honoratus, pulcher, gratus, diues: reliqua uerò tria quæ diximus, directio, diuisio & progressio significant incrementa & decrementa horum. Memineris tamen diuitias & honores (quoniam filij earum participes fiunt) natiuitate filiorum & morte immutari, item coniugijs. At in coniugijs (ut dictum est) non solennitas illa & pompa animaduertenda est, sed primus punctus consensus eorum qui possunt.

TEXTVS III.

Cum uerò sit humanæ genituræ temporale aliquod exordium, natura quidem ipsius fœtus, potentia uerò, & ut contingit cum fœtus enitendo in lucem æditur, si constet de sationis tempore, ita ut illud uel casu, uel obseruatione correptum sit, illud sanè sequi conuenit ad corporis, animiq; peculiares conditiones coniectandas, considerando cuiusmodi sit effectionum quæ tunc temporis sit astrorum constitutio. Semel enim in initio cum pro ratione circumfusi cœli suam qualitatem semen induit, licet succedentibus temporibus corporatura diuersa fiat, cum tamẽ propriam tantum materiam natura augescendo sibi conciliat, magis imitatur primum illum statum suum & peculiarem priusq; impressam cõformationem. Verum enimuerò, quando illud initium (ut ferè euenire solet) ignoratur, à partu necessario accipiendum est, quod & ipsum maximum est, & hoc solo à priori superatur, quod per illud etiam quæ ante partum contingunt præscire liceat: Ac profecto si quis illud initium quis appellauerit, hoc uerò quasi post principium magnitudinẽ huius tempore quidem inferiorem, æqualem uerò atque adeò perfectiorem potentia constituerit, ut propemodum non absre illa seminis humani, hæc uerò hominis appellari possit generatio. Si quidem multa etiam tunc infanti accrescunt quæ prius cum in utero materna esset illi non aderant, atque hæc peculiaria humanæ naturæ, corporisq; configuratio, licet ibi nihil uideatur nouæ qualitatis in partu accedere, hoc acquirit, ut iuxta cœli circumfusi constitutionem in lucem ædatur, quum natura post maturitatem fœtus ad conuenientem situm, similemq; illi quo primum informari cœpit partum urgeat, ut meritò & huius generis effectionum existimare cõueniat significationem esse, quæ in partu contingit astrorum constitutionem, non ut effectricem omnino sane, sed quæ necessario similimam efficiendi uim potentia complexa sit.

Duplex statuit initium humani corporis: primã generationem & natiuitatem, generationem præfert ipsi natiuitati. Et quia aliquis posset dicere generatio fœtus multis diebus durat imò mensibus? Respondet quod in illo momento sancitur quando ejicitur quicquid futurum est. Et ob id quicquid accedit simile redditur priori. Quod facilè exemplo demonstrari potest in seminibus quæ plantantur, quæ si calida sint quicquid accedit calidũ fit & simile in substantia & reliquis. Sed quia tale principium est ignotum, ideò suscipimus primum principium quod est natiuitas, quod dicit licet minus significet quo ad tempus quàm principium genituræ, quia natiuitas ipsa significat ab ortu usque ad mortem, genitura uerò significat à tempore generationis usq; ad mortem, & ita nouem menses plus, attamen natiuitas perfectior est generatione

quia

quia generatio est fœtus generãtia, & ortus seminis humani. Natiuitas uerò est ortus ipsius hominis: quanto igitur perfectior est homo semine & imperfecto fœtu, tanto natiuitas est perfectior generatione. Quod autem ita sit ostendit quia licet non fiat noua generatio post partum neq; accedat aliquid corporeum, in partu multa tamen accedunt quæ prius non habebat, quorum primum est respiratio cerebri per nares & palatum: secundum respiratio per pulmones & asperam arteriam & os: tertiũ est assumptio nutrimenti per os: quæ omnia dum infans est in utero fiunt per uenas & arterias umbilici: quartũ est eiectio urinę per uirgã, quę & ipsa fit dum infans est in utero per meatum medium inter uenas & arterias: quintum est excretio fecum quæ nulla fit dum infans est in utero, ita ut aliqui nati sint sine ano: sextum est uti sensibus exterioribus. Et hæc omnia contingunt statim ab ortu: Quędam etiam statim post ortum: quorum primum est, uigilare & dormire, quãquam hoc sit incertũ an fiat etiam dum fœtus est in utero: Secundum est ridere & plorare: tametsi aliqui crediti sint plorasse in utero matris pro ostento: pauciores ridere maiore etiam ostento. Quinimo etiam pro ostento habitum est Zoroastrum Magię inuentorem statim cum natus esset risisse: Tertium est usus sensuum interiorum: Quartum sunt motus membrorum perfecti ut ambulare: Quintum est iudicium sensuum exteriorum: Sextũ est sermo. Sunt etiam quædam symptomata, ut tussire, sternutare, singultire, titillationem sentire, quæ pro octauo possunt poni: Nonum est uariatio uocis, exaltatio, depressio: Decimum Veneris usus: Vndecimum ortus quarundam rerum, ut pilorum, capillorum, dentium: quanquam etiam aliqui nascantur cum capillis, ut ego & filij mei: Duodecimum est generare alium, quanquam muribus aliquibus id contingere affirment, ut etiam in utero matrum fœtus alios gignant in semetipsis: Et horum partem Haly in commentario assignat. Ex quo colligit quod Ptolemęus non credit natiuitates agere tanquam signa, sed solum tanquam causas, in qua re multi decepti sunt. Nam si existimaret natiuitatem posse significare super præcedentia, nihil magis conueniebat quàm ut super illos nouem menses generationis uim haberet, quod cum neget Ptolemæus, manifestum est natiuitatem non esse signum in aliquibus, sed causam tantum: Dicit enim Ptolemæus hoc in textu (Hoc solo differt genitura à natiuitate quod per genituram præscire non licet quæ ante partum contigerint) Hoc autem mente habe quia plurimum facit ad intellectum sequentium. Dicit deinde quia aliquis posset dubitare quomodo natiuitas possit significare super corpus, cũ nõ sit causa illius (quippe iam iam perfectũ est) quod natiuitas est similis generationi, quia natura emittit fœtum in ea constitutione cœli quæ similima est constitutioni generationis. Porro quæ similitudo sit hæc Ptolemæus non dixit. Haly dixit quod prima similitudo est quia Sol est in septimo signo, uel in nono, uel in decimo, uel in undecimo in tempore natiuitatis ab eo in quo erat tẽpore generationis. Veluti si in generatione fuit in Aquario Sol, nascetur necessario infans si uiuere debet postquã Sol fuerit in Leone, uel Libra, uel Scorpione, uel Sagittario. Et quia Leonẽ Aquarius respicit de opposito ideò natus septimestris cũ difficultate uiuere potest: uiuit tamen. Si uerò post Solem in Scorpione erit in quadrato sui loci prioris: Et ita natus decimo mense etiam poterit uiuere sed aliqua cum difficultate: Si uerò Sol sit post Sagittarium respiciet locum de sextili & nascetur undecimo mense, ideò poterit uiuere sed cum difficultate quia radius sextilis est debilis. Verum si nascatur Sole Libram inspirãte, nascetur ualidus quo ad rationem signorũ, & nascetur in nono mense, quia Libra respicit Aquarium trigono radio. Si uerò nascatur dum Sol est in Virgine, nascetur octauo mense: Cum igitur Virgo non respiciat Aquarium non poterit natus eo mense uiuere. Contingit tamen aliquos uiuere natos in octauo mense quãdo Sol fuerit à principio in Piscibus uel Virgine, uel Geminis, uel Sagittario hora generationis, deinde tempore natiuitatis sit in octauo signo quod respicit aut imperat uel obedit iuxta numerum graduum. Exemplum, aliquis nascitur cum Sol est in uigesima parte Libræ, dico quod oportuit, si generatus fuit dum Sol erat in Piscibus quod esset in undecima parte Piscium: quia undecima pars Piscium intuetur uigesimam Libræ: Breuiter igi

turcon-

tur concludendo in aspicientibus signis intelligitur, quod transierit Sol talem aspectum & durat per unum mensem post. Exemplum, si Sol sit in uigesima parte Capricorni, septimus mensis incipit dum Sol est in uigesima parte Cancri, & durat donec Sol peruenerit ad uigesimam partem Leonis, à uigesima parte Leonis usque ad uigesimam Virginis est octauus mensis, in quo non potest nasci quod uiuat, quia nullus est aspectus qui præcesserit per triginta gradus nisi contingat quod duo illi gradus se intueantur quemadmodum in exemplo iam dato. Cum uerò Sol fuerit in uigesima parte Virginis, incipiet nonus mensis quia iam peruenit ad trigonum suum, & durat usque quo Sol perueniat ad uigesimam partem Libræ: tunc uerò peruenit ad quadratum suum, & ita incipit decimus mensis: & eodem modo de undecimo qui finit cum Sol est in uigesima parte Sagittarij. Et quia uigesima pars Sagittarij non aspicit uigesimam Capricorni, non poterit nasci infans duodecimo mense, ut uiuat, nisi in una sola die, quando Sol esset in signo & gradu aspiciente. Veluti hora geniturę in undecimo gradu Capricorni, hora natiuitatis in uigesimo Sagittarij. Viuacissimi igitur secundum hanc rationem sunt nati nono mense, inde decimo, inde undecimo, inde septimo: minime nati octauo & etiam longè minus duodecimo. Quæ ratio Astronomica cum concordet experimento manifestum est quod est uera: Secunda concordia est à Luna & est Hermetis ut etiam recitat Haly hic in commento: Ex qua patet quod etiam iudicio Haly Centiloquium sit Hermetis & nõ Ptolemęi, & si postmodum, illud exponendo Haly mutauerit sentẽtiam. Dicit ergo Hermes, Luna tempore natiuitatis est in signo quod ascendebat tempore generationis: & ascendẽs tempore natiuitatis, est idem signum uel eius oppositum in quo Luna erat tempore generationis. Dixit Haly se hoc frequentius expertum esse, uerum licet nõ semper. Sed animaduerte quod Haly aliter interpretat uerba Hermetis, quia habuit falsam cõuersionem: Tertia cõcordia est nostra, & est quod sufficit post Solis concordiã, ut Luna uel aliquis alius Planeta dominus coniunctionis uel oppositionis præcedentis generationem perficiat circuitum, uel commutetur cum altero luminarium, uel per directionem perueniat ad locum luminaris, uel quod frequenter cõtingit quod Mars perueniat ad locum oppositũ, in quo erat in gentiura: quia Mars propriè significat partum, quia partus fit cum maximo dolore & acerbissimo & multa effusione sanguinis & periculo mortis matris, quæ omnia sunt opera Martis. Et tales partus plerũq; sunt laboriosi, sicut quãdo ego natus fui. Quòd si uel iam dies partus sit constituta, id est, quãdo fœtus conuertitur cũ capite inferius (illud enim est tẽpus propriè quod cum generationis tempore concordat & nõ natiuitas, unde multi Astrologi decepti sunt quęrentes nodum in scirpo, dum quærunt concordiam natiuitatis cum generatione) consurget quarta ratio quæ etiam tenet in partu uiolento: quando aliqua mulier parit propter lapsum corporis in terram, uel percussionem, uel timorem, uel nimiam defatigationem, uel ieiunium, uel medicamentum, uel si infans excisus fuerit, poterit uiuere seruatis tribus rationibus, numeri mensium per Solem, ut dictum est, & numeri dierum per Lunæ reditus applicationes & defluxiones, & numeri horarum diei per id quod ascendat talis numerus signi, uel sit in medio cœli, qualis est numerus signi in quo est Planeta qui dominatur loco coniunctionis aut oppositionis luminariũ natiuitatem præcedentis. Quòd si seruari non poterit, quia tam præceps sit ortus infantis propter casum & uiolentiam externã, aut excisio non in id tempus incidat, tũc uiuere non poterit: Ex quo patet quod etiam tales partus naturales sunt, & non uoluntarij. Et partus excisi, tempus durat ab hora in qua moritur mater usq; ad momentum in quo excinditur infans quando primum incipit trahere spiritum.

TEXTVS IIII.

Cum autem propositum nobis sit hanc etiam partem non omittere, ad eum quem initio huius operis exposuimus ratiocinando modum qua tenus talem præscientiam consequi liceat, ueterẽ quidem prædictionum consue-

consuetudinem, quę mistura cõstat astrorum omnium aut plurimorum, cum multiplex sit & propemodum infinita ratio, si quis accuratè eã exequi uelit, magisq; eorum quæ naturaliter contemplando singulatim inueniuntur, quam quæ præceptis comprehendi uniuersim possent, declinabimus quod ut minimum utilitatis ita difficultatis plurimũ adferat. Rationes uerò eas per quas singulorum generũ decreta præuidentur, & peculiares, adeoq; manifestiores citra unumquodq; efficiendi uires, quam poterimus consentaneæ, naturaliq; conuenienter inuestigationi exponemus. Præfigentes certa circunfusi cœli loca, ad quæ uniuersi humani casus, tanquam scopum quo collimare oportet, referendi ueniunt. Deinde his locis secundum corporum dominantium conciliationem effectrices uires quasi sagittas eo conijciendas accommodantes, temperãdi, miscendiq; illud quod ex diuersarum naturarum coniunctione decernitur, modum relinquemus, tanquam perito Sagittario perquirentiũ industriæ.

Proponit duos modos procedendi: Vnum qui est per compositionẽ, & erat Aegyptijs familiaris: & nunc Arabibus, ueluti dicendo, si Saturnus fuerit in Scorpione in sexta & Iupiter in Piscibus in undecima, uelut in secunda figura, significat prudẽtem animo & ægrum corpore: dicit Ptolemæus iste modus est infinitus, & ueriſſimè di-
Comment.34. cit, ut in primo libro ostensum est: si tamen posset describi esset longè facilior: Secundus modus constat ex simplicibus ex quibus fiunt compositi, & iste est facilis & utilis. Exemplum, si quis dicat, si Saturnus fuerit dispositor morum faciet tardum, maleuolum, inuidũ, grauem. Si uerò sit Mercurius, faciet celerem, acutum, uariũ. Ex his sequitur, quod si fuerit Saturnus cum Mercurio faciet dolosum, quia Mercurius prę stat uarietatem & instabilitatem, Saturnus inuidiam, auaritiam: Item talis erit medio cris inter tardum & uelocẽ, quia Mercurius significat uelocem & Saturnus tardum, & ita in alijs. Et quia, ut diximus in qualibet genitura sunt omnes stellæ Planetæ signa & denique totum cœlum, ideò quis meritò posset dubitare & dicere quomodo seligam ista singularia? Respondet ad hoc declinando Ptolemæus, & dicit quod oportet in unaquaq; genitura seligere quendam locũ in cœlo pro uita, pro diuitijs, pro honoribus, & ad illa loca comparare totum reliquum cœlum, & iuxta illam comparationẽ iudicare. Exemplum: In secunda genitura: Sol significat uitam, ideò uigesima quarta pars Aquarij in qua est Sol erit comparanda totí cœlo: Et quia Mars ibi respicit de quadrato & Saturnus ibi habet domum & trigonũ ideo significat debilem uitam: Et quia distat solũ tribus partibus à Martis quadrato, significat quod iuxta tertium annum natiuitatis habuit aliquam læsionem uel morbum: Et nisi esset quod Iupiter est dominus finis non potuisset uiuere usque nunc. Et similiter comparat Mercurio domino secundi trigono, & Lunæ, quia præcessit oppositio in uigesima prima parte Leonis & tunc Luna erat cum corde Leonis & Sol erat supra terram tempore oppositionis. Et ita considerabo trigesimam partem Sagittarij pro diuitijs, comparando ei totum cœlum.

TEXTVS V.

Primum uerò dicemus de ijs quæ solent in genere considerari in partus exordio, sicut ordo, consequutioq; monet, à quo exordia omnia quæ natura colligi possunt accipere licet. Nonnihil tamen conducentibus si quis curiosior esse uelit ad sola illa quæ circa concretionem peculiariter & ipsum status momentum occurrunt eadem considerandi ratione, acceptis conditionibus.

Propo-

Proponit ordinem dicendorum, initium sumens ab ijs quæ sunt circa partũ, ut parentibus, fratribus, sexu, geminis, monstris his qui non aluntur, & certo ascendente, id est, quid uerè ascendat: Et hoc est primum in consideratione. Omnia uerò considerata circa partum sunt septem, ut clarum est, & nos addemus octauum necessariũ sine quo nihil potest sciri & ponemus illud in digressione sequẽtis commenti. Et quia Ptolemęus proposuerat duo principia, scilicet genesim & natiuitatem, & prępositit principium natiuitatis nobilitate & consideratione, meritò quis posset dubitare & dicere, cum sint duo principia licet genitura non sit tanti momenti, quare non tractauit etiam de illa. Respondet ergo Ptolemæus quod si quis curiosior esse uelit, poterit considerare etiam momentum geniturę eisdem rationibus quibus & tradunt regulæ natiuitatis.

Caput secundum.

TEXTVS VI.

De parte Horoscopi.

QVandoquidem sæpenumero etiam id quod primum ac præcipuum est momentum, uidelicet horæ natalitiæ, in dubium uocatur, cum sola ferè Astrolaborum horoscopiorum inspectio prudenter obseruantibus partus momentum prodat, reliqua uerò quibus plurimi utuntur horologia, nõ raro à uero aberrare possent, solaria quidem ob situum ac gnomonum accidentem peruersionẽ, aquatica uerò tum ob laticum naturam diuersis de causis, tum fortuita cohibitione & inæqualitate facilè à ueritate declinant: necessarium fuerit tradere quemadmodum quis partẽ signiferi inueniat, quæ tum in ortu debeat constitui, iuxta naturæ consentaneam rationem, proposita illa quæ secundum datam proximè horam ex ascensionum doctrina inuenta est.

Accipiemus igitur eam quæ proximè partum antecessit coniugationem, siue illa interlunij fuerit, siue plelunij, & obseruãtes diligenter in interlunio quidem utriusq; luminaris, plenilunio uerò eius quod supra terram extiterit partem quæ nam stellæ partus tempore gubernent, quę quidem ratio in his quinque consistit, triangulo uidelicet & domicilio, altitudine, termino, & irradiatione seu cõfiguratione, hoc est, cum unum aut plura horum, aut etiam uniuersa quęsitus locus erga potituram dominatione stellam obtinet. Si igitur unũ his omnibus aut pluribus instructum reperiemus, quam ille partem occupat, eius signi in quo uersatur, tũ quando fœtus in lucem æditur quota sit animaduertemus: totam enim oriri iudicabimus eius signi quod ascensionum regula proximum huic deprehensum est. Quod si duo pluresúe ad principatum aspirant, cuius partilis locus partis tempore uicinior numero fuerit illi qui iuxta ascensiones in ortu existit, huius partium numero utemur. At si duo pluresúe in hac propinquitate pares sunt, is qui potiorem habet rationem tum angulorum, tum etiam conditionis prærogatiua, præferendus erit. Verum sanè ubi huius dominationis partium distantia maior inuenitur à posito

horoscopo, quàm à medij cœli cardine, tum eodem partium numero ad constituendum medij cœli angulum utentes, secundum eius ductum reliquos cardines figurabimus.

Sensus talis est, ut cognoscas ascendens tempore natiuitatis, accipe Planetam qui dominatur in loco coniunctionis luminarium præcedentis natiuitatem, uel si proximior fuerit oppositio eorum natiuitati, accipe Planetam qui dominatur loco luminaris quod tempore oppositionis est supra terram: Et si unum esset in orientis linea alterũ occidentis, accipe orientalem, & cõsidera in quo gradu sui sit signi, et considera mediũ cœli et ascẽdens, et cuius numerus fuerit proximior numero illi, statues illum angulum sub eo numero signi, reliquum uerò cum tota figura iuxta rationem duodecim domorum. Exemplum in secunda genitura datum mihi tempus fuit quod uides, & ascendit secunda pars Geminorum: Et quia tempus non erat sumptum per Astrolabium (nam ubi tempus habeatur per Astrolabium dicit Ptolemæus debes fabricare figuram iuxta illud, sicut est tempus natiuitatis filiorum meorum, & non debes quærere aliud) considero quod oppositio Solis & Lunæ præcessit genituram: Et quia Sol erat supra terram tempore oppositionis in uigesimaprima parte Aquarij: Vbi Saturnus habet carpentum, est enim dominus domus & trigoni, & Saturnus est in tertia parte Scorpionis: & hic numerus est proximior numero ascendentis qui est, 2. quàm medij cœli qui est 24. Ideò statuam ascendens Geminorum partes 2. m. 18. Et similiter in prima genitura coniunctio præcessit natiuitatem circa uigesimam partẽ Libræ, ubi Saturnus habet carpentum & solium, & quia decimus septimus gradus numero proximior est, 21. Tauri qui est medij cœli, quàm 1. Virginis qui est ascendentis, ponam decimamseptimam partem Tauri in medio cœli, et cadet uigesimanona pars Leonis in ascendente: & istud est ueriſſimum & longè melius etiã pro Maiestate sua quàm ponere primam partem Virginis in ascendẽte. Deinde dicit quod ubi sint duo domini uel plures qui paritate numerorum certent & propinquitate cũ angulis quod frequenter contingere potest, debemus accipere angulum secundum numerũ signi in quo est Planeta potentior. Velut in nona genesi coniunctio Solis & Lunæ fuit in decima parte Libræ, ubi Saturnus habet carpentũ, altitudinem & trigonum, & respicit locum, Venus etiam carpentum domum & fines, Mercurius trigonum primum, quod natiuitas nocturna sit: Saturnus igitur habet primam dignitatem, Venus secundam, Mercurius tertiam: Venus est ualde remota à similitudine numeri angulorum, accipiemus igitur Saturnum, qui est potentior & statuemus ascendens iuxta illud, licet Mercurius sit proximior ascendenti Saturno. Et quia Saturnus licet numero sit proximior ascendenti quàm medio cœli quo ad numerum, quo ad situm tamẽ est ualde proximior imò cœli quàm ascendenti, et numerus Mercurij numero ascendentis, statuemus in imò cœli Saturnũ cum partibus 15, m. 32, ♄. Ideò Ptolemæus admonet in hoc utendum iudicio magno, spectãdo dignitatem Planetę, propinquitatẽ numeri, & omnia conferendo, uerisimiliorem eligere.

Intelligit ergo propinquitatem quo ad numerum graduũ, non quo ad situm, id est, quod sit propinquior Planeta angulo ascendentis quàm medij cœli, ut manifeste apparet in exemplo primæ genituræ, ubi Saturnus est in prima domo & propinquus ascendenti. Et tamen non sumimus numerum signi ascendentis secundum illum, sed numerum signi medij cœli qui est proximior illi. Item nota quòd nõ uult Ptolemęus ponere regulam illam de duobus Planetis, uel pluribus in æquali propinquitate ad numerum angulorum, quia præsupponit exquisitissimam æqualitatem differentiæ, sed ut facias comparationem potentiæ Planetæ ad propinquitatem. Gratia exempli sit medium cœli 19 Capricorni, ascendens 7 Tauri, sicut in nostra genitura, dominus loci cõiunctionis præcedentis robustior Mercurius, inde Luna & Venus, inde Mars: ponamus igitur quod Mars esset in quinto gradu Geminorũ, & Mercurius in tertiadecima parte Libræ, tunc licet Mercurius longè plus possit quàm Mars, quia tamẽ numerus Martis est longè proximior numero ascendẽtis quàm numerus Mercurij

eurij numero medij cœli, ego statuam potius quintum gradum Tauri in ascendente quàm tertiumdecimum Capricorni in medio cœli. Rursus ponatur Mars in quinto Geminorum, & Mercurius in uigesimotertio gradu Librę, tunc ponam potius uigesimumtertium gradum Capricorni in medio cœli quàm quintam partem Tauri in ascendente, licet numerus Martis sit proximior numero ascendentis quàm numerus Mercurij numero medij cœli: quia potestas Mercurij comparata ad distantiam quatuor graduum, maiorem habet proportionem quam potestas Martis (intellige in loco coniunctionis luminarium) ad distãtiam duorum graduum. Memineris etiã quod ubi prppinquitas sit eiusdem rationis, tunc melius est accipere mediũ seu proximiorem in medio. Veluti in exemplo dato, si Mercurius esset in quarto gradu Libræ, & Mars in quinto Geminorum, tunc melius esset ponere quintã partem Tauri in ascendente quàm quartam. Sed ubi esset distantia contraria ut in exemplo priore, melius est potentiorem Planetam obseruare, quàm propinquitatem numerorum.

Ex hoc patet quod modi habendi uerũ ascẽdens sunt tres, primus est, ut per Astrolabium habeatur, & hic est firmissimus. Dicit Haly quod Astrolabium inuentũ fuit ab Abracham tempore Salomonis, uel ab Astor, unde Astrolabium quasi Astoris linea, Lab enim lineam significat Arabicè sed Astrolabium dicitur ab ἀστρολάβων quod est capiens astra. Secũdus modus est ex directionibus effectuũ qui consequuntur: hunc prætermisit Ptolemæus quia prę supponit natiuitatem proximam esse, imò nec quicquam scire Astrologum de nato an masculus, an fœmina, an uiuus, an mortuus, nedum ut sciat quæ illi contigerint. Nos uerò non curamus nisi ut quæ prædicantur uera sint. Vtraq; uia defendi potest: Sed Ptolemæus præsupponit quod quilibet debeat uti omnibus auxilijs quibus potest ad tuendum honorem suum, ueritatẽq; indagendam. Ob id si effectũ aliquem habeas, Ptolemæus uult pro principali illum obserues, dirigasq; & iuxtà illud genituram constituas. Verum non ad exactam graduum constitutionem hoc facit, quoniam plerunque, ut uidebitur propter processus tempus uariatur. Tertius modus est quem nuper descripsimus, ut ex domino coniunctionis uel oppositionis loci Solis & Lunæ proximè procedentis, inquiratur.

Iuxta hoc sequitur difficillima & longa & maximè necessaria dubitatio, quę duo habet capita, & est, cuius causa iam nihil usque ad hanc diem, nisi à paucis, illustre in hac scientia apparuit. Est autem talis, ut à primo capite initium ducam, scilicet, quomodo possit hæc ratio de numero signi Planetæ dominantis in loco luminarium esse uera: nam si est uera generaliter, non esset bonũ uti Astrolabio: si uerò non est uera generaliter, ut Ptolemæus fateri uidetur, scilicet ut uerũ ascendens sumptũ per obseruationem Astrolabij cõcordet cum ascendente inuento per hanc uiam numerorum, homo habebit duo ascendentia & duo decreta stellarũ. Gratia exempli: In prima genitura ponamus quod Rex illius pater iusserit obseruari ascendẽs per Astrolabium & quod sit primus gradus Virginis, dederitq; illam genituram alicui egregio Astrologo iudicandam iuxta uiam Ptolemæi, hanc uerò ministri ipsius Regis mihi qui ne sciens eam esse Astrolabio sumptam, reduxi per hanc regulam Ptolemæi ad metam XXIX partis Leonis ascendentis: Itaque secundum Ptolemæum fient duo iudicia distincta, genere, qualitate, magnitudine, & tempore futurorũ, omnino distincta de eodem, quod esse non potest, ut uera sint ambo. Secunda difficultas est quoniam homo non nascitur in uno momento, ut uidetur prę supponere Ptolemæus: sed primum, uertitur in utero utq; tunc nõ potest amplius reuerti nec manere in utero. Secundum frangit tunicam qua circũcingitur. Tertio prodit capite, si tamen secũdum naturam nascatur. Quarto prodit totus. Quinto & ultimo abscinditur umbilicus aut inter nascendum frangitur: quæ quinq; actiones nunquam minus claudunt temporis à primo ad ultimum tribus horis, plerunque autem plus una die, nonnunquam tribus diebus, ut quando nos nati sumus, & quandoq; etiam plus. Vel igitur omnia habebunt uim uel unum tantum: Si omnia quomodo poterimus habere aliquid certi? Si unum tantũ unde illud debemus sumere? Si enim sumamus à natiuitate quando exit caput, nondum totus ortus est? Si uerò cum totus ortus est? Istud uidetur uoluntariũ, cum sit

arbitrio obstétricum. Si uerò à spacio inter ortum capitis & totius, illud aliquando prolixum est, ut dixi: Propterea dico primo quod ortus infantis est secũdum certum tempus, in quo toto tempore acquirit uim ab astris. Et quod sit uerum, uidemus in omnibus operationibus & casibus qui contingunt homini, quod sic contingit: Si moritur primo ęgrotat, deinde fit mala crisis uel cadit uirtus, & post uiuet aliquando etiam duobus uel tribus diebus, post amittit sensum, & adhuc uiuit quandoque per tres uel quatuor horas, & plus, ultimo moritur. Et similiter quando aliquis occidit, primum fit coniuratio ab inimicis, inde aggrediuntur ipsum, deinde uulnerant, deinde ubi uulnus primum non sit mortale, uulnerant ipsum mortali uulnere, inde etiam poterit uiuere aliquot diebus, tandem moritur. Similiter de itinere, de lucro, de habendo magistratum, & de omnibus alijs. Statuendum est igitur in natiuitate tẽpus quoddam latudinem habens, id est, certam magnitudinem, cuius sunt tria momenta principalia: Primum quod est principium: & secundum quod est principale, quod nolo appellare medium, quia nolo, ut decipiaris credens, quod sit æqualiter distans ab extremis cum quandoq; sit ualde proximum principio uel fini: neque quod sit unũ tantum, cum quandoque sint plura principalia in eadem actione, sicut uidebis in exemplo capitali de itineribus: Tertium momẽtum principale est finis eiusdem temporis. His uisis dico quod totum tempus natiuitatis habet uires in singulis operationibus, ita quod principium significat de principio, medium de medio seu media de medijs, & finis de fine: & ita quælibet pars temporis habet suum proprium significatum in in omnibus actionibus. Sed principium significat de initio ipsius rei quando fit prima deliberatio de tali re: Est autem duplex, primum respectu agentium, secũdum recipientium. Exemplum, est aliquis qui deliberat ducere aliquam in uxorem, quando ille deliberat tunc est principium perfectum respectu deliberantis, & imperfectum respectu mulieris quam debet accipere: Cum uerò mulier ipsa assentitur, est principium perfectum respectu ipsius mulieris. Secundum uerò principale momentum est illud tempus in quo homo amplius non potest se retrahere nec recuperare si sit malum, nec amittere si sit bonum. Et si sint plura in eadem re quæ non possint mutari, utpote si quis habeat sententiam quæ transierit in iudicatum in possessorio, quãuis illa etiam pendeat à petitorio, attamen illa causa habet duo capita principalia. Et generaliter illud dicitur principale quod est perfectum & non potest amplius ex se mutari. Finis uerò est quando res actu perficitur. Exemplum in morituro, quando incipit ægrotare est principium, cum fit crisis mala tunc est principale, cum uerò moritur, tunc est finis. Et in itinere cũ deliberat ire, est principium, cum accedit ad locũ ipsum tunc est medium seu principale, cum reuertitur est finis. Et in lucro cum mouẽtur prima uerba est principium, cum numerata est pecunia, est principale seu medium, cum asportauit rem, est finis. Cum aliqui deliberant hominem occidere, est principium pro illo qui occiditur, cum letaliter uulneratur est principale. Principium in unaquaque re consistit plus in uoluntate quàm in effectu, medium in effectu superãte uoluntatem, finis in solo effectu & illius perfectione. Determinatis his dico quod principium natiuitatis & medium & finis debent sumi à principali operatione quã nascendo acquirit, hæc autem est respiratio. Principium igitur nascendi est cũ incipit respirare: punctus uerò principalis natiuitatis cum ita respirat ut iam posset per se uiuere: finis uerò cũ iam tantum attraxit aëris, ut sponte cessent respirare & moueri umbilici arteriæ. Et ita patet ratio secundi quæsiti. Patet etiam quod hoc totum tempus est breue & exiguum. Ex hoc patet solutio primi quęsiti & est quod tempus principale natiuitatis semper est illud quod debet obseruari per Astrolabium. Tempus uerò quod docet Ptolemæus inuenire ratione numerorũ, hic aliquando est idem cũ principali, & tunc pronostica Astrologi sunt uerissima: quandoque est idem cum principio & tunc significat principia rerum & uoluntatem, ad quæ plerunque sequitur effectus non tamen semper. Aliquando autem tempus hoc coincidit cum fine natiuitatis, & tunc significat qualitatem finis rei: Veluti in nostra genitura si ponatur undecima pars Tauri ascendens propter locũ Martis & Lunæ qui sunt in undecima parte

signo-

signorum & sunt domini loci coniunctionis luminarium, & etiam Mercurius principalis dominus erit propinquus numero medij cœli ualde: Tunc habebimus finem omnium negociorum nostrorum & casuum qualis futurus sit. Ex hoc sequunt duo: Primum quod illi quibus ascendit numerus consimilis numero inuento per uiã Ptolemæi, uel saltem ualdè proximus, tales habent principia media & fines, ualdè similia & conformia: quibus uerò ascendens uerum plurimũ distat ab ascendẽte quæsito per uiam numerorum, in his principia rerum & media & fines erunt ualde dissimilia & maximè si multum disteterint, ut in nostra genitura: Tales enim uidebuntur quãdoq; esse in cœlo & statim statim decidunt in eadẽ causa: rursus quandoq; uidentur esse demersi in profundo & destituti spe omni, & statim præter omniũ spem quasi cœlesti quodam auxilio emergunt. Causa est quia principia sunt dissimilia mediis & media finibus. Secundum est quia iuxta Ptolemæi sententiam oportet utrunq; principium considerare, scilicet uerum & naturale: Verum appello quod est inuentũ per Astrolabium. Et si dicas non potui habere per Astrolabium tale principiũ? Respondeo habeas illud per consensum plurium directionum quas ueras experimento inueneris, sicut ego in mea genitura feci. Quòd si dicas, quare appellas naturale ascendens quod est inuẽtum per rationem illam numerorum, cum rationem numerorum Ptolemæus in sequenti capite reprobet? Dico quod Ptolemæus intelligit cõsensum inter dominum loci luminarium & ascendens, uel medium cœli tempore genituræ: qui consensus fit per trigonum ut declaratum est, ut inter decimum gradum Arietis & decimum Leonis: uel si non potest, per exagonum qui est dimidius trigoni, ut ex decimo Arietis in decimum Geminorum: uel si non potest, per dimidium exagoni quod est spacium triginta graduum & per composita ex illis, ut inter decimum Arietis, & decimum Tauri, uel Cancri, uel Virginis, uel Libræ: Et generaliter intelligit figuram duodecim laterum æqualium in ecliptica, quæ ut manifestum est cadit semper in similes gradus signorum. Et si dicas cur ergo talem figuram non recepit in numero aspectuum? Respondeo quod talis figura non est sufficiens ad operationem aliquam sensibilem, sed bene ad hoc, ut habeat principium naturale nascendi, quia tale principium consistit in quadam sola potentia & in quadam permissione, seu consensu, cui sufficit figura duodecim laterum, quæ tamen non sufficit ad actiones. Rursus si dicas quare non ergo nascuntur omnes ascendentibus talibus gradibus naturalibus, seu correspondentibus numero medij cœli, uel ascendentis cum numero gradus Planetę dominantis in loco coniunctionis uel oppositionis luminariũ? Respondeo quod istud contingit uel propter fatum aliquid aliud intendente natura, uel propter natiuitatem patris & matris, directiones & progressiones & maximè matris: uel quia Planeta dominator est debilis, ut mihi Mercurius, qui parum aut nihil potest nec in Tauro, nec in Capricorno, nec etiam in signis oppositis & est retrogradus & in sexto loco, uel dicas quod naturale principium & uerum sunt semper distincta parum aut multum, & quod naturale semper sumitur à principio respirationis, & principale à perfecta respiratione quando iam fœtus nõ posset amplius uiuere in utero, & istud uerisimilius est. Cum igitur Ptolemæus non possit habere secundum principium & principale accipit imperfectum & primum: Et hoc quia sunt partes totius temporis natiuitatis, & secundũ hanc uiam ascendens nostrum esset uigesima quarta pars Arietis, dico de naturali, quia ascendens naturale semper præcedit uerum, & naturale & uerum ascendens est sexta pars Tauri, & decem minuta, & tertium ascendens quod uocatur finis, esset duodecima pars Tauri: & totum tempus natiuitatis est minutorum XXXIX, id est, duæ tertiæ fermè unius horæ. Et per hoc facies in omnibus alijs geniturís: sciẽdo quod tempus principale illud est uerè, quod comprehenditur inter ascendens naturale & finem.

Caput tertium.

TEXTVS VII.

Diuiſio præcipiendorum.

His ita definitis, ſi quis ordinis ſectandi gratia ea quę in genituris uniuerſim ſpectãda ſunt diuidat, inueniat ſanè inter ea quę natura comprehendi poſſunt, quædam ante genituram ſita eſſe, cuiuſmodi eſt de parentibus tractatio, quædam uerò & præcedere & ſequi, ut cũ de fratribus & ſororibus ſolliciti ſumus, quędã circa ipſam genituram uerſari, quæ uaria ſunt, neq; uno capite cõprehendi poſſunt. Poſtremo uerò quæ eam ſequuntur, & hæc multiplicem habent tractationem. Eſt uerò inter ea quæ circa genituã uerſantur de maſculino & fœminino partu, de geminis aut pluribus, de monſtris & de ijs qui antequam nutriantur extinguuntur. Inter ea quæ genituã ſequuntur eſt de uitæ ſpacio tractatio, haud quaquam illi cõnexa, quæ de his qui nutritionem non conſequuntur, inſtituitur: deinde, de forma, de morbis & uitijs corporis, poſt de animi ſtatu, deq; eius morbis, deinceps de poſſeſſionibus, de dignitatibus, poſt hęc uerò de opificij genere, mox de coniugio, deq; liberorum procreatione & de ſocietate, deq; mutua beneuolentia amicorum, hinc de peregrinatione, ac poſtremo de mortis genera: quę quidem tractatio, cũ natura & potentia conueniat cũ ea quæ uitæ de ſpacio agit, ordine tamen meritò his omnibus ſubijcitur. Ac de unoquoque horum generum in capita enarrationem inſtituemus, ipſam indagationis inſtitutionem cum nudis effectricibus uiribus, ut diximut exponentes.

Quatuor proponit tractanda unum de præcedentibus natiuitatem, & hoc habet unum caput, ſcilicet de parentibus quod tamen diuiditur in duo, ſcilicet in tractationem de patre & matre. Secundum de ijs quæ partim præcedunt natiuitatem & partim ſequuntur, & habet unum caput tantum, ſcilicet de fratribus & de ſororibus, poteſt autem diuidi in duo ſicut præcedens. Tertium quod eſt de ijs quæ contingunt circa natiuitatem, & continet quatuor capita, primum de ſexu, ſecundum de geminis, tertium de monſtris, quartum de ijs qui non nutriuntur. Quartum principale eſt de ijs quæ contingunt poſt natiuitatem & continet per ſe tredecim capita: primum de uita, ſecundum de forma, tertium de morbis & uitijs corporis, quartũ de qualitate animi, quintum de uitijs & morbis animi, ſextum de diuitijs, ſeptimum de honoribus & dignitatibus, octauum de exercitatione ſeu arte, nonum de coniugio, decimum de liberis, undecimum de amicis & inimicis, duodecimum de peregrinatione (nam ſerui inter ſpecies amicorum numerantur) tertiumdecimum de morte: hoc debuit ſequi caput primum de uita, ſed quia mors eſt finis omnium, ponitur ultimo loco. Adijcitur poſt hæc capitulum generale conueniens omnibus de triplici diuiſione temporum, ita ut ſint in uniuerſum capita uiginti, quæ conſideranda ſunt in qualibet genitura.

TEXTVS VIII.

Quæq; multi curioſè & petulanter nugati ſunt, neque ullam ueri ſimilitudinem præ ſe ferentia ad ea quæ naturæ non conuenienter dicta ſunt, relegabimus; quæ uerò natura deprehendi poſſunt, non per ſortes & numeros

meros quibus à natura rationes nullæ inditę sunt, sed ad ipsam figurationum cum familiaribus locis inspectionem collimantes deprehendemus.

Reprehendit sophisticam Astrologiam sui temporis, quæ etiam per Arabes multos perducta est ad nostra tempora, & illorum etiã nugas qui nunc mentiunt Astrologiam fictis figuris & numeris de quibus in proœmio huius libri diximus: Similiter & docet Astrologiam non procedere per signa, sed per causas cum à priori semper procedat: Vnde interrogationes uanæ sunt. Sub hoc etiam comprehendi debent artifices, qui difficillimã artem, parua scientia, minore iudicio, labore penè nullo tractando, uituperant: unde tam male audit.

TEXTVS IX.

Sane in uniuersum in omnibus, nec in singulis capitibus idẽ dicamus, primum quidem oportet inuestigare locum signiferi familiaritate coniunctum generi quæstionis, quemadmodum uerbi gratia: De opificij genere locum signiferi in cœli medio constitutum, aut de patre Solis. Deinde contemplari stellas, quæ dominium ius exercendi in hęc loca habeant, secundum eos quos prædiximus quinq; modos: & siquidem una omnibus modis præfuerit, in illam conferre omnem eius euentus decernendi iurisdictionem: sin duæ tresúe, in eas quæ suffragiorum numero præstant. Post hæc uerò ut quale tandem futurum sit quod decernitur conjectemus uidere & naturas ipsorum dominorum & signorum in quibus ipsi præcipuaq; loca reperiuntur: ad magnitudinem decretorum spectare utrum sint ualentes tam secundum mundi quàm genituræ statum, an contra. Validissimi quidem sunt pro mundi situ, cum in domesticis aut etiam in propriis sunt locis, & rursus cum orientales sunt, auctiq; numeris: Pro genituræ uerò situ cum in angulis aut succedentibus locis dispatiantur, maximè primis: dico autem ortus, mediq; cœli loca. Imbecillissimi uerò, iuxta mundi situm, quando in alienis locis, siue non domesticis & occidentales, aut retrogradi fuerint, sed pro genituræ statu cũ ab angulis cadunt. Ad tempus uerò decreti uniuersim cognoscendum, utrum matutini sint, an uespertini, tam ad Solem, quàm ad horoscopum comparati, quandoquidem antecedentes utrunq; horum quadrantes, iisq; oppositos matutinos dicimus, reliquos uerò sequentes, uespertinos. Et in angulis ne reperiantur an succedentibus: Nam matutini cum sunt aut in angulis constituti, suam citius uim exerunt: uespertini uerò aut in succedentibus, tardius.

Quinq; proponit quæ in quolibet quæsito sunt consideranda: Primum est ut inueniamus locũ qui quæsito præsit. Exemplum in textu habes. Secundũ dominos qui loco præsunt. Sunt autem quinq; trianguli, domicilij, altitudinis, finis & aspectus, seu configurationis, ut in præcedenti capite docet. De ordine tamen illorum non est habenda ratio iuxta ibi descripta, sed in his quę ad uitam spectant plus potest domus in dignitatibus, & magistratibus altitudo, in fortuna & amicis & populari quadã gloria trigonus, in rebus singularibus & propriis finis. Tertiũ est ut consideremus qualitatem futurorũ, utpote si erit felix an infelix, si in pecunia, uel agris. Quartum de magnitudine ipsius effectus & unde sumenda sit. Quintũ de tempore in quo illa contingere

ATENEO VENETO VENEZIA

tingere debent. Hæc autem cum quatuor illis conueniunt quæ superius descripta
A textu 22. ad 25. includēdo. sunt in secundo libro de uniuersalibus prædictionibus quantum ad tempus & qualitatem: Hic uerò adduntur quantitas locus cœli & dispositores, ibi utrūque sumitur, scilicet locus & dispositores à loco eclipsis & succedenti cardine, uel in fixis etiam antecedenti. Magnitudo autem effectus ibi coniungitur cum tempore. Sed locus affectus hic non desideratur cum debeat esse ubi erit natus: neque genus cū sit in ipso nato, & ita coincidunt.

Et si quidē una) Quomodo una stella potest uni loco omnibus modis præesse cum in sola Virgine Mercurius habeat altitudinem & domum: ibi uerò trigonum nō habeat: in reliquis signis altitudo à domo differt? Respondeo omnibus modis præesse intelligit, ut si Mars sit in initio Scorpionis ubi est eius domus trigonus, finis altitudinem ibi non habet, sed nec alius Planeta.

Post hæc uerò) Genus rei significate, utpote diuitię qualitatibus distinguuntur, pecunia, mercibus, agris, domibus, donis, redditibus, pręmijs, multę, paucę: hęc omnia à dominis, scilicet intelligēdo etiam qui aspiciunt locum & qui dominis commiscentur: & signis in quibus sunt significatores. Signorū nomine omnes figurę etiā octaectaui cœli ueniunt & noni etiam.

Ad magnitudinem decretorū) Robur Planetarū ex quatuor rebus sumit in comparatione ad mūdum, ad geniturā, ad Solem & per se. In comparatione ad mundum quod sint in hoc uel illo loco seu signo. In familiaribus & magis ubi potestatē habent ut Marti Virgo est familiaris, Ioui Libra. In Piscibus uerò Mars habet dignitatem: In Leone Iupiter & magis in Cancro. In comparatione ad genesim quod sint in angulis præcipuè nobilioribus: Ascendente & cœli culmine uel succedentibus. In comparatione ad Solem quod sint orientales. Per se: quòd sint numero aucti, id est, ueloces. Nam cum Planeta est uelox uocata Aequatio, medio motui additur, ideò tunc Planeta auctus numero dicitur. Diminutus cū auferē. Quòd si ablata æquatio etiam medio motu maior fuerit retrogradus dicitur Planeta. Ob id cū in Sole & Luna nunquam æquatio medium motum excedere possit, luminaria quidem motu tarda dici & esse possunt retrograda nunquam.

Celeritatem effectus ex tribus uenatur, ex situ significatorū quo ad cœli quadrantes ab horoscopo ad cœli medium & ab occasu ad cœli imum exitus præstant celeres, in alijs duobus quadrantibus tardos. Ex situ significatorum in partibus sui quadrantis in angulo enim celeres, in cadenti tardos, in succedendi medios significabūt. Ex situ quo ad Solem, nam à loco Solis ad XC partes ante, & ab eiusdem oppositio ad totidē partes ante dicunē matutini Planetæ, in alijs quartis uespertini. Velut mihi Sol est in partibus 10 minutis 37 Libræ, Planetæ à partibus 10 minutis 37 Cācri ad partes 10 minuta 37 Libræ & à partibus 10 minutis 37 Capricorni usque ad partes 10 minuta 37 Arietis dicuntur esse in quadrantibus matutinis à Sole: In reliquis autem uespertinis: Notandum quod orientale & occidentale aliud est in Planetis à matutino & uespertino: Orientale propriè est à cōiunctione Solis ad oppositionem occidentale ab oppositione Planetæ cum Sole ad cōiunctionem. Matutini, ut dixi in superioribus & Luna à coniunctione & ab oppositione ad radium quadratum cū Sole. Vespertini à quadrato cum Sole ad coniunctionem uel oppositionem. Aliquando à coniunctione uel oppositione ad stationes matutini dicuntur, à stationibus autem ad coniunctionem uel oppositionem uespertini. In inferioribus
Comment. 76 huius. autem aliter res se habet quia nunquam ad Solis oppositionem ueniunt. Hoc autem suo loco declarabitur.

CAPVT

Caput quartum.

TEXTVS X.

De parentibus.

QVæ igitur iam dicta est singulorum cõtemplandorum ratio, quam insequi in omnibus oportet, sic se habet. Accingamur nunc iuxta propositam seriem à prima quæ de parentibus habetur tractatione. Sol igitur & Saturnus patri natura familiares sunt, Luna, Venusq; matri. Pro quorũ statu tum inter se mutuo, tum erga alios de rebus parentum opinandum est. Fortunas enim & opes ex luminum satellitio deprehendere oportet. Circumdata nanque beneficis eiusdemq; conditionis sideribus, siue in ijsdem signis, siue in proximis, illustrem & luminosum parentibus statum decernunt, maximè quãdo Solem matutinæ cingunt stellæ, Lunam uespertinæ, eæq; bene affectæ.

Antequam ad textus expositionem accedam quædam necessaria scitu exponenda sunt, quæ omnia cum ex Ptolemæi litera diuersis in locis manifesta essent, atque à me præuisa, inueni etiam Haly eadẽ sensisse quæ & rationi naturali cõsentanea erãt: quorum primum est quod natiuitates filiorum significant super parentes suos & fratres & filios, eadem ratione quæ est quod cũ parentes habeant uirtutẽ generandi semper, non tamen semper generant, sed solum cũ tempus in quo conueniunt utriusq; genituræ fuerit simile. Similiter & de natiuitate non nascitur infans nisi cum natiuitas conuenerit parentum natiuitati. Igitur ex natiuitate filij cognoscuntur dispositiones parentum maximè. Et hoc est primum. Similiter ex natiuitatibus parentũ cognoscuntur qualitates filiorum conuersa ratione, & hoc est secundum. Et quia natiuitates filiorum sunt similes parentibus, ut dictum est. Igitur natiuitates fratrum inter se habebunt similitudinem. Sed tamen minorem quàm cum parentibus ipsis uel proprijs filijs: Et ita significabunt statum fratrum. Et hoc est tertium (Intelligo autem cum fratribus sorores) Rursus quia astra significant ut causæ & non ut signa, ut sæpius ostendi, significabitur status parentum non præcedens natiuitatem filij, sed solum subsequens. Idem dico de fratribus. Et hoc est quod Haly dixit in commento natiuitates filiorum significant statum parentum, qui succedet post natiuitatem illorum non autem qui præcessit. Et ita significabit de fratribus maioribus quid succedet illis post natiuitatem suam: De minoribus autem generaliter. Et hoc est quartum: Ex quo sequitur quintum, quod cum nascitur filius in una domo, mutatur status parentũ & fratrum & sororum in melius uel in deterius. Sextum ex his colligitur: Et est quod status parentum sequitur genituram propriam parentum, deinde post natiuitatem primogeniti, propriam natiuitatem & primogeniti: deinde post natiuitatem secundogeniti componet parentis ex propria natiuitate & primogeniti & secũdo geniti: Et ita status deinceps quotquot fuerint filij, uel filiæ. Septimũ ex hoc sequitur quod status filiorum componetur ex natiuitatibus proprijs parentum atque fratrum ac sororum. Octauũ quod est ordo in his, natiuitas parentum in infantia habet primum locum, deinde natiuitas propria, deinde natiuitates fratrum multo minus: post quartum uerò annum quibusdam post septimũ, alijs à quartodecimo, nonnullis à uigesimo natiuitas filij habet primum locum, inde parentum, post fratrũ. Nonum quod parẽtum natiuitates primum obtinent locum pro seipsis: deinde succedit natiuitas primogeniti: & succedentium sunt debiliores si sint pares inter se: quia quandoque contingit quod natiuitas ultimogeniti sit ualidior omnibus & clarior, ut Iosephi inter filios Iacob. Decimum quod natiuitates parentum etiam inter se significant mutuo tantum

quan-

quantum natiuitas primo geniti. Et hoc post coniunctionem illorum, de uita dico, & sanitate, & honoribus, quiete, moribus, opibus mariti, significat. Et cum dico significat, dico agit, & est causa, genitura uxoris & uiceuersa. Vndecimum quod mater significat magis supra infantiam filiorum & mores corporeos & corpus ipsum: sed pater super adultam ętatem et qualitates animi & fortunas eorum. Duodecimũ quod est maximi momenti, quod mors uniuscuiusq; uel separatio è domo facta secundum leges uelut emãcipatio & diuortium, extinguũt significata pertinentia illis qui cum eis coniuncti erant: Et illi reuertuntur ad proprias natiuitates & statum earum.

Principale aliud est quod Planetæ orientales à Sole sunt robustiores, quia Sol qui illos obumbrabat relinquit illos splendidos. Et absq; (utita dicã) suspitione reditus Solis ad eos. Similiter occidẽtales à Luna sunt in læto statu & pulchro, quia expectãt Lunam uenientem ad eos sicut quando aliquis expectat amicum ex longinquo uenientem, & apparat domum & exornat eam.

Principale tertium est quod Planeta dicitur obsessus quando est inter duos alios, & eo magis si sit in dignitatibus eorum. Exaltatus autem super alium quando fuerit occidentalior & ponderosus, utpote si Saturnus sit in uigesimo gradu Libræ & Sol in principio Libræ, & hoc fit quadrifariam: Deterius primum cum Saturnus fuerit in angulo & Sol extra angulum. Secundo cum Saturnus fuerit in dignitatibus proprijs & Sol in dignitate Saturni. Tertio cum fuerit Saturnus in quadrato aspectu Solis uel Saturnus fuerit in imperante & Sol in obediente: Veluti Saturnus in decima parte Arietis sit, & Sol in uigesima Piscium. Quarto si Saturnus ascendat ad absidem eccentrici sui & maximè Sole descendente à proprio absside. Dicitur autem Planeta superior quando est occidentalis eleuatus supra Solem uel Lunam, quia Sol uel Luna in tali statu semper uadunt ad illum Planetam & nũnquam superior Planeta uadit ad eos: & sicut homo qui expectat alios domi uidet in illa causa saltem nobilior his qui uadunt ad domum eius: Ita Planeta superior cum fuerit occidentalis dicitur eleuatus super alium & maximè si fuerit una illarum quatuor conditionũ uel plures ex eis.

Principale aliud quod Ptolemæus deinceps in omnibus decemnouem quæsitis intelligit tres status, optimum, pessimum & medium. Et similiter in magnitudine, robustissimum, debilissimum & medium. Et similiter in tempore (Sunt enim hæc tria quæ docuit in præcedenti capitulo esse in singulis quæsitis considerandà) celerrimè, ut in pueritia: tardissimè, ut in ultimo senio: mediocriter, ut in ætate consistentiæ. Ex quibus uult intelligi duo: Primum ut declarato uno quãdoque intelligamus, reliqua duo breuitatis causa: quandoque declarat duo & oportet subintelligere tertium: quandoque declarat omnia mẽbra: Vel ut magis instruat, ut in principijs fieri solet, sicut & in hoc capitulo: Vel quando res est magni momenti. Secundũ ut intelligamus media omnia quæ possunt cadere inter illa extrema quę sunt infinita: Velut in ętatibus, præter infantiam & ultimum senium quę sunt extremæ, & consistentiam quæ est uerè media: Sunt aliq; mediæ plures in genere: Velut ante consistentiam, pueritia, adolescentia, iuuentus: post autem primum senium & quælibet etiam istarum ætatũ in partes diuiditur multas. Vult ergo ut ex naturali coniectura non solum illas tres principales assequamur, sed omnes alias intermedias. Idem dico de magnitudine & qualitate, scilicet quod per duo extrema & medium docet nos coniectari omnia media quę sunt infinita.

Principale quintum est, quod unicuiq; parenti assignat duos significatores Solem & Saturnũ patri, & Lunam & Venerem matri. Ex quo fit magna confusio dum uult declarare statum amborum parentum simul, quia ingrediunt quatuor Planetæ. Ideò ego declarando solum dicam de patre, & quod dictum erit de patre, idem intelligatur de matre, accipiẽdo dicta de Sole in patre, ut sint dicta de Luna in matre: Etquę de Saturno in patre, sint dicta de Venere in matre, adhibitis solum duabus distinctionibus: Prima quod Sol in die & Luna in nocte gaudeat: & Saturnus in nocte, & Venus in die: Secunda, ut in Sole orientales præferantur: In Luna autem præferantur occidentales.

Prin-

Principale sextum est quod eligit duos Planetas unicuique parenti, quia cum parentes generant sunt in ætate uirili & ualida, ideò non decet ut habeant unum significatorem tantum, ne si ille malè afficiatur, parens malè habeat: maximè cum ipsi infanti quatuor aut quinq; significatores uitæ assignari soleant. Imò neq; Ptolemæus audet declarare de morte parentis etiam ambobus significatoribus male affectis.

Principale septimum in dignitate semper Ptolemæus considerat luminare, in uita autem robustiorem ex duobus significatoribus, in erigenda autem figura Planetam congruẽtem tempori utpote locum Solis de die, & Saturni de nocte. Et ita iuxta tres causas diuersas, facit tres ordines electionis: quod etiam obseruat in quæsitis propris nato: nam pro dignitate semper quærit Solem uel Lunam pro uita potentiorem ex significatoribus, pro qualitate corporis quod fortuito obijcitur, id est, horoscopum semper.

Principale octauũ est, quod considerat quatuor status in unoquoque parente, primus est concordia ipsorum significatorum inter se ut pote in patre Saturni & Solis & hic est optimus. Secundus est concordia unius significatoris cum beneficis. Tertius est status ipsius significatoris per se, ut in angulo in carpento suo uel saltem ubi habeat dignitatem. Quartus est si maleficæ super significatorem eleuentur.

Nonum principale est quod per concordiam intelligit trigonum & Textilem: coniunctio autem est in numero concordiæ cum fuerit cum beneficis, uel si fuerit etiã inter significatores ipsos, ut Solem & Saturnum. Caliditas enim unius temperat frigiditatem alterius, & frigiditas caliditatem. Et iudicium de coniunctione est etiam in intuẽtibus & imperãtibus: Discordia uerò est semper in opposito aspectu, inde quadrato: Cõiunctio uerò & intuentia & imperãtia cum fuerint cum maleficis quæ non fuerint significatores, & maximè si malefica fuerit domina loci oppositi significatoris: Sed si domina fuerit loci significatoris non erit tam infausta coniunctio uel intuitus uel obedientia.

Decimum principale sequitur ex præcedẽtibus, & est obseruatione dignissimum, & est quod quotiens cunq; in aliqua genitura infantis masculi, uel fœminæ Sol aspicit Lunam de quadrato uel opposito: uel Saturnus Venerem aut Lunam eodem modo: tunc parentes illius infantis odiosè habebunt. Et peius est inter Solem & Lunam, inde inter Saturnum & Venerem, ultimũ inter Saturnum & Lunam, & deterius erit si sint in angulis. Ex hoc sequit̃, quod expositio Ptolemæi per partes ut fieri solet, & facit Haly in quibusdam locis, non satisfacit, sed oportet totum simul distinguere capitulum sicut nos hic fecimus. Nunc ad ipsius textus expositionem deuenio.

Inspicere oportet in natiuitate patris si Solem antecedunt stellæ, tum erit optimum. Si uerò non antecedant sed sequantur erit & bonus status.

TEXTVS XI.

Si uerò Saturni quoque & Veneris stellam cõtingat orientalem esse in propria persona, aut in angulis felicitatem insignem intelligere oportet, iuxta peculiarem utriusque parentis rationem. Contra si luminaria cursu inania sint & satellitio destituta, humilem & obscuram parentum uitam significant & maxime quando Venus Saturnusue non satpulchrè uidentur siti. Si satellites quidem non desint sint tamen diuersæ sectæ, ut cum Mars ad Solem fertur, Saturnus ad Lunam, aut si non sint feliciter sitæ beneficæ etiam secundum sectæ cognationem, mediocris & inconstans parentum status ostenditur.

Declarauit duos status primos illustrem & magnificum: hic declarat tres postremos: Tertius qui est mediocris, est tamen insignis & ipse, cum solus Saturnus excesserit Solem in primo suo orientis statu. Ex quo & primo statu simul iunctis fit status illustrissimus, scilicet cũ Iupiter, Venus, Saturnus & Mercurius in primo statu orientis So-

tis Solem præcesserint. Quartus status est cum quæ præcedunt benefícæ Solem, malè afficiuntur, cadentes ab angulis aut combustæ, aut si Mars benè dispositus præcedat, tunc erit mediocris status & inconstans: quia erit mistus ex bono & malo, scilicet malefica natura sua nocebit, & ut bene disposita iuuabit: contrario modo benefica malè disposita. Quintus status est cum Solem nullæ circũdant stellæ: Et hic est pessimus & significat patrem omnino abiectæ & sordidæ fortunæ. Quod uerò bis adijcitur de Venere, referẽdum est ad matrem: Et ut sit occidentalis à Luna. Ita quod si Sol & Saturnus ambo fuerint in angulis erit bonum pro patre: & similiter si Venus orientalis à Sole fuerit in angulo cum Luna, erit ualde bonum pro matre.

TEXTVS XII.

Si sors fortunæ de qua post dicemus, conuenit in genitura cum Solis Lunæue satellitibus fortunatis per manus tradentur liberis, salua parentũ bona, sin minus, aut si repugnat, & luminariũ laterones, aut nulli sunt, aut malefici, inutiles erũt liberis parentum possessiones, atq; adeò noxiç.

Pars fortunæ seu sors diuitias significat apud Ptolemæum: si ipsa fuerit in quadrato, uel opposito maleficarum Solem circundantium, pater nõ relinquet hæreditatem filio: aut nihil habebit quod relinquat: aut erit cum magnis litibus. Et si pars fortunæ fuerit sub Sole, natus paruum gaudium habebit de paterna hæreditate. Non sic erit si pars fortunæ fuerit sub Luna: habebit enim hæreditatem maternam & illa gaudebit. Reliqua textus nota sunt.

TEXTVS XIII.

Longæuitas autem eorum aliunde deprehenditur. Patri nimirum, si Iupiter aut Venus quouis modo Soli configurantur aut Saturno: Siue & ipse Saturnus conuenienter Soli configuratur cõiunctione radijsúe sexangularibus aut triangularibus, siquidem illi potẽtes fuerint, longa uita decernitur: si imbecilles, non ita: neque tamen continuo breuis. Cum uerò illud usu non uenit, sed Martis sydus supra Solem aut Saturnum attollitur, ijsúe succedit, aut si ipse iterum Saturnus cum Sole non conuenit, sed uel ex opposito loco uel tetragono aspicit, decidentes ab angulis, ualetudinarios tantum patres efficiunt, breuis autem uitæ aut uitioso corpore cum angulares sunt, aut angulis succedunt, ac uitam sane breuem in primoribus duobus angulis, ascendente nimirum & cæli fastigio locisúe succedentibus, uitiosos uerò in reliquis occidente nimirum & cœli parte infima. Mars igitur Solem intuitus ad eum quem diximus modum subitò interimit, aut uitium oculis inijcit, Saturnum uerò feriens febrili rigore, uitijsúe per sectiones & ustiones inuoluit. Saturnus quoque malè affectus erga Solem, morti paternæ uiam per morbos sternit, turbationesq; ex humoris copia proficiscentes adducit. Quod ad matrem attinet, si Iupiter quocũq; modo cũ Luna et Venere cõmittitur, aut ipsa Veneris stella cum Luna cõcordat hexagonis radijs, aut trigonis, illiúe cõiuncta fortes cum sint, longæuã matrem significant. Si uerò Mars Lunam aut Venerem intuetur quadrangularibus aut oppositis radijs aut succedens, siue Saturnus hoc modo Lunam solam si minuti cursu fuerint occiderintúe, rursus aduersus tantum casibus morbisúe implicant, aucti cursu aut angulares

breuis


breuis uitæ & uitiosas decernunt matres. Breuis quidem uitæ in orientalibus angulis aut succedentibus, uitiosas uerò in occidentalibus. Enimuerò Mars Lunam ita intuitus orientalem mortes matribus repentinas, uitiaq; oculorum adducit, occidentalem uerò, mortes ex abortionibus aut similibus, uitiaq; per sectiones & ustiones. Venerem aspiciens, mortem per successiones maturat, abditisq; in locis nascentia uitia, obtenebrationes & repentinos humorum decursus. Saturnus uerò Lunam irradians, mortes, morbosq; affert, cum orientalis ea est per febriles rigores, cũ occidentalis per uteri affectiones & corrosines. Animaduertere quoq; unà oportet, ut uitiorum, morborum & mortis genera distinctius eliciamus, signorũ in quibus stellæ significatrices reperiuntur natiuas, peculiaresq; uires, de quibus oportunius in ijs quę circa genesim contingũt dicemus.

Hoc est secundum in quo docetur uitæ longitudo, si uel Soli, uel Saturno coniunctione, trigono, uel sextili, Iupiter uel Venus ualidi associentur. Secundus status est si associentur, sed non sint ualidi, erit enim anceps iudicium & plerunq; uita longa sed debilis. Tertius si non associentur omnino nec tamen necessario uita erit breuis. Sed si Mars supra Solem aut Saturnum eleuatur, aut si Saturnus Solem de quadrato aut opposito respiciat: tunc enim si malefica fuerit in decima, uel prima, uel undecima, uel secunda, significabit breuem uitam, si in quarta uel septima uel cadentibus ualetudinarios solum decernit. Et hoc declarat per tres modos, quando Mars exaltat supra Solem, & quando Mars exaltatur supra Saturnum, & quando Saturnus aduersatur Soli. Et hoc pro natura signorum quę declarabitur in fine quarti libri. In matre uerò loco Iouis & Veneris qui possunt conciliari Soli uel Saturno, ponit Iouem qui potest conciliari Veneri uel Lunæ, uel Venerem quæ Lunæ conciliatur. Est uerò aliud discrimen quia Saturnus uel Mars destitutam Lunam uel Venerem oppugnãtes breuem uitam significãt, cum fuerint in eisdem angulis, decima uel prima uel succedentibus. Sed ita tamen ut sint aucti cursu: Sed si fuerint diminuti cursu seu tardi, uel in alijs locis solum significant morbos: unde colligitur quod si fuerint tardi cursu & in cadentibus locis non ualetudinarias efficient, id est, quæ perpetuo ferme affligantur morbis, sed solum ad uices frequentius ægrotabunt. *Cap. penuli.*

TEXTVS XIIII.

Amplius obseruare conuenit die maximè Solem & Venerem, nocte Saturnum & Lunam. Quod reliquum est in singulariori euentuum exploratione conueniens sane ac proximum erit patris aut matris locum, qui se pro tempore obtulerit, tanquam orientem ponere, cæteraq; quasi proposita parentum genitura, iuxta eas quas deinceps trademus de prę cipuis generibus rerum & euentuum inductiones deprehendere. Meminisse autem & in his & in cæteris oportet constitutionis, contemplantes uniusue modi sint an diuersi, contrariarumue effectionum illi qui dominium locorum quæstionis obtinent, qui pluribus affluant ad unũquodq; negocium spectantium uirium suffragijs, utrei significandæ præsint, ut eorum naturæ conuenienter iudicemus. Aut æquilibria cum sunt suffragia, si unà fuerint imperantes, id quod ex diuersarum naturarum mistura conflatur, prudenter ratiocinabimur.

Sententia est quod oportet significatorem temporl congruentem ponere in ascendente, scilicet Solem de die, uel Saturnum de nocte, & collocare figuram & Planetas uelut uides in exemplo octauæ figuræ ex qua extraximus figuram patris, prout uides. Dicit ergo, oportet ut postmodū illam iudices uelut alias genituras ad unguem considerādo illos qui præsunt, quia sub uno quatuor generū. Aut enim sunt concordes in significando: Et tunc oportet iungere significata. Vel discordes & inæquales, & tunc oportebit statuere secundum naturam uincentis & excessum, super contrarium significatorē. Aut æqualiter possunt, & tūc nihil decernunt. Aut alternatim significant: de quo dicet in sequēti textu. Ex quo sequit quod Ptolemæus mira arte usus sit in hoc libro, qui tāta breuitate satisfacit omnibus quæsitis copiosè: nā si bene animaduertatis, factis duabus figuris altera pro patre, altera pro matre, bis utit toto libro ad dijudicādum illas. Ita de fratribus, filijsq;. Manifestum est igitur ex hoc primū cur filij patri similes extant plerunq;, scilicet cū Sol in centro horoscopi fuerit in diurna genitura aut Saturnus in nocturna. Eodem modo filia matri similis cum Luna in nocturna genitura, aut Venus in diurna in centro horoscopi fuerint, tunc enim erit utriusque genituræ figura eadem & fortuna & reliqua pene similia.



Fratres inter se similes erūt cum significatores fuerint in communibus signis seu bicorporeis, nam plures habebunt eundem significatorem & eandem figuram cœli. Vel etiam cum in natiuitate alterutrius parentum significatores filiorum fuerint in bicorporeis. Nam illo significatore in ascendente posito eadem figura pluribus filijs qui inter se fratres erunt seruiet.

Nepotes auis erunt similes quando significator patris iunctus fuerit significatori filij: Et similiter de auia & nepte. Sed in his idem continget si Venus de die aut Luna de nocte, filiarum fuerit significatrix. Posita enim alterutra in ascendente figura illa matri & filiæ nati seruiet: unde neptis auiæ similis erit.

Filij fratrum patruis aut filiæ amitis similes erunt cum genethliaca figura eius qui uni pater est, alteri frater, eundem habuerit fratris & filij significatorem. Aut non eundem, sed coniunctos licet diuersos. Et hæc semper à natiuitate illius intelligēda sunt.

Cæterum ut ad patris genesim reuertar, dubitabit aliquis quomodo possit fratris significator in ascendente poni cum non sit: Et cum aderit uel iam adfuit loci Planetarum saltem Lunæ sensibiliter sunt mutati? Sed illud contingit quod quemadmodum materia in materia posita est: ita & formæ & causæ nati & parentis sunt alteræ in alteris posita, absque temporis ulla successione. Manifestum est autem quod cum esset nocturna genitura Saturnus in ascendente poni debuit: quo constituto significatur pater à natiuitate nostra debilis, pauper ob Sortem pessimè collocatam, & im-

& implicitus. Direxi igitur Lunam quæ erat aphęta & peruenit in 23 annis ad Solis oppositum: Et ascendens ad quadratum eiusdem: & quia erat senex octuagenarius, mortuus est. Et nisi fuissent radij trigoni Veneris & Mercurij ad ascendens non tam diu distulisset mortem, quia figura est debilis. Et si comparaueris hanc figuram propriæ genituræ parentis inferius sub octaua genitura exponendæ parum uidebis uarietatis: Nisi quod in illa uidebis statum iuuentutis & senectutis, hic tantum senectutis, quia solum temporis quo superuixit post meam natiuitatē. Et ex hoc patet quod figuræ per talem extractionem commutantur in longè melius quandoq; aut deterius. Et ideò contingit quod filius clarissimus potest habere patrem ignobilem, & & egregius pater filium nebulonem. Et nota quod præceptum Ptolemæi quo in una genitura utitur uigesies toto suo libro ne cogatur repetere: ita ut una genitura si rite fiat sit longè maioris laboris, & maior duplo quàm totus liber Ptolemæi. Seruatū est etiam à me in explicando Ptolemæum, quia licet commentaria sint longè maiora libro Ptolemæi, ita quod totus hic liber cum textu Ptolemæi complet unum corpus absq; repetitione. Vt si quis uelit per eum facere genituram, necesse est, ut totum bene perlegerit, intellexerit & mente teneat, aliter millies errabit. Quia unusquisque textus & commentum seruit in centum locis: Velut doctrina hic de patre, præcepta, figura, modus extrahendi eam, indigent toto hoc libro: Et seruiunt matri, fratribus & filijs &c.

TEXTVS XV.

Si uerò destiterint seorsim unicuique peculiaria tempora gubernando rum decretorum tribuemus, priora orientalibus, occidentalibus posteriora. Verum enimuerò initio necesse est quæstionis loco conformeesse id quod efficere possit quidquam circa cum sydus. Alioqui fieri omnino non potest, ut aliquid præstet quod cum principio non conuenit.

Quia quæstio est de Planetis circundantibus Solem uel Lunam & possunt esse circundantes commixti, id est, propè: Et tunc id contingit tribus modis explicatis in superiore commento: Vel erunt separati & tunc unusquisq; faciet effectum suum completè, nec unus impediet alterum: etiā quod sint contrariæ naturę sed diuersis temporibus: orientales celeriter, occidentales tardè. Et quia dicit quod operabūtur suo tempore, adijcit si tamen habuerint quod debeant operari, id est, quod non præueniātur ab alijs ut exponit Haly: puta si orientales decernerent mortem, occidentales felicitatem, aut orientales exilium cum paupertate, & occidentales postmodum diuitias. Difficile enim est in senio miserum fieri diuitem.

TEXTVS XVI.

At sanè temporis quo decreta sese produnt, ratio non ex primaria dominatione pendet, sed ex ea quæ dominantis stellę reperitur ad Solem & cardines collocatione.

Docet tempus rerum succesſurarum parentibus non esse sumendum à Solis statu uel Saturni, sed à dominis loci Solis, uel Saturni in genitura patris gratia exēpli, cum fuerint matutini uel uespertini à Sole uel angulis, ut superius expositum est. Ex hoc exemplo superius posito habes quod genituręcertius aliquando habentur à genituris filiorum quàm à proprio tempore: quia ascendens sumitur à loco Planetæ qui tarde mouetur, non tamen possunt esse efficatiores, quamuis sint certiores.

Dico etiā quod hoc caput & tria sequentia capita, scilicet de fratribus, de masculinis, geminis & mōstris licet in Aegypto ubi erat Ptolemæus propter propinquitatē ad circulum zodiaci & locum erraticarū magnā habeant efficatiam: In regionibus tamen nostris & quę plurimū à tropico Cancri distāt in nostra medietate parū habent efficatiæ, & ueritatem quasi umbratilem: adeò ut si quis fidere uelit multum, magnos

sit commissurus errores. Quod animaduertens Ptolemeus in sequenti capite admonet de fratribus maximè, quia debilissima significatio est horum, ne artis metam excedamus. Ego uerò rursus admoneo, ut neq; in his, neq; parentibus, neque filijs, neque sexu, neque numero, neq; monstris simus in prædicendo animosi. Sed tamen si quid fieri securius potest licet de parentibus per natiuitates filiorum prædicere & maximè primogeniti & ultimi. Cæterum quod ad sexum, numerum et monstra, id magis ad generationis principium quàm ad natiuitatem prædicere pertinet. Atque, id est, de quo Ptolemæus in initio huius libri nos admonuit. Cap. 1.

Caput quintum.

TEXTVS XVII.

De fratribus & sororibus.

QVæ ad parentes igitur pertinere uidentur ex his quæ iam dicta sunt manifesta propè sunt. De fratribus uerò, si quis & hoc generatim inquirat, nec ultra quàm fieri possit, numerũ quoque accuratè & singulatim exploret, conuenientius sanè id acceperit de ijs solis qui eadem matre geniti sunt, ex eo qui cœli medium occupat signiferi loco & matris conditionario, qui nimirum interdiu Veneris est, noctu Lunæ, cum hic quæstioni de prolibus matris destinatus sit, futurus etiam index eorum quæ de fratribus opinari oportet. Cum igitur beneficæ cũ hoc loco configurantur, amplum fratrũ prouentum pronunciabimus, pro ipsarum stellarum multitudine, iudicium instituentes, & utrum in signis reperiantur uniformibus an duplicibus. At si maleficæ supra hęc loca attollantur aut ijs opponantur, paucitatem fratrum significant, maximè si & Solem complexæ fuerint. Quæ dissidentia si in angulos cadat maximè horoscopo, Saturnus quidem primogenitos, prinioúe educãdos curat. Mars uerò, reliquorum morte fratrum paucitatem adducit. Si largitores fratrum Planetæ sat pulchrè quantum ad mundi situm attinet collocati uidentur, splendidos, clarosq; promitti existimandum est, si contra humiles & obscuros. Si superant largitores aut ad eos feruntur malefici, breuis etiam uitæ: ac mares quidem ab his qui masculini sunt pro mũdi situ, fœminas à fœmininis. Rursus priores natu, qui orientales sunt, occidẽtales uerò posteriores. Ad hæc si fratrum authores conuenienter configurati sunt Planetæ dominanti signo fratrum, beneuolentiam mutuam, animosq; fraternos tribuũt, si parti quoque fortunæ, uitæ, fortunarumq; communicationem. Si in signis extiterint nulla necessitudine coniunctis aut contrarium dictis acciderit, contentiosos & inuidos, atque omnino sibi mutuo insidiantes. Quod reliquum est, si quis de singulis curiosam indagationem instituat, is tãquam horoscopum ponens largitoris Planetæ locum, reliqua non secus ac in genituris perquirat.

Quam

Quam altus sit sensus Ptolemæi qui non animaduertit non intelliget: mulier si filium debet parere nouem mensibus indiget: Vnde Poëta:

Matris longa decem tulerunt fastidia menses.

Propterea ualde exiguus est numerus uterinorũ si ad patrimos filios cõparentur. Vnde etiam uterini Luna uel Venere indigent, cum patrimi etiam à Sole & Saturno significentur, quoniam hi nullo labore sed uno ictu generantur: adeò ut plerique etiam patri ignoti sint. Itaq; cum innumeri sint & incerti de illis ars Astronomica esse non potest. Assumit igitur Planetam significatorem matris tempori congruentem tanquam causam quod prolem generet: matris autẽ proles frater uterinus est aut soror nati. Medium uerò cœli quod particeps sit omnium rerum magnarum quæ nato iunguntur. Porrò talem significatorem qui tempori congruit Haiz Arabes uocant. Si igitur cum significatore Planeta Iupiter aut Venus configurantur, multos natus habebit fratres: Et si ipsi fuerint in bicorporeis duplicabunt numerum, nam qui nullum aut unum tantum, aut duos habuerit fratres uterinos, artificiosa cõiectura deprehendere licet: supra hunc numerum quod plures habeat aut ualdè multos, dicere sufficit: ne inaniter perscrutãdo, uanus habearis. Regula enim una generalis est, mater prolifica, in utero non habens, cũ uiro prolifico concumbens, hora congruente natiuitati utriusq; per uiam progressus signorũ in annis, mensibus, diebus & horis, generat, seu concipit. Ex quo patet quod fœcunda mulier semel in anno si nihil desit parere potest. Vir autem quingentos cum quingentis mulieribus fœcundis oportuno tempore concumbens uno in anno posset generare. Patritius quidam è Besuntino Senatu, nouem in uno mense filios habuisse confessus est, dum simul apud Ioannem Casanatum Medicum Hispanum pranderemus. Ab ancillis quatuor, à nutricibus alios totidem, unum ab uxore. Igitur bicorporea signa multiplicant fratres, non exactè duplicant. Quod si maleficæ maximè Soli commixtæ alterum ex locis damnauerint, natos occidunt fratres: Saturnus & in oriente natu maiores: Si Mars & in occidente minores. Largitores fratrum uocat beneficas, quorum status statum fratrum significat: sicut & maleficæ quæ exaltantur supra significatores beneficas. Mares & fœminas à situ mundi dijudicabis, tã in significatoribus quàm in impedientibus. Vt orientalis pars masculos, occidentalis fœminas significet. Natu maiores orientales erga Solem, minores occidentales. Consensus uerò illorum habetur, si benefica largitrix cum domino loci matris, id est, Lunæ uel Veneris consenserit: dissensionem si dissenserint: uel etiam sint naturarum diuersarum nec consenserint. Cohabitabũt si omnes hi cum sorte, id est, fortunæ parte conuenianr. Reliqua ex figura habebimus ponendo beneficam quæ fratres largitur in loco ascendentis. Quòd si plures fuerint beneficæ, plures figuras eriges pro diuersis fratribus. Illud obseruando, quod si dominus ascendentis nati, uel ascendens fuerint in oppositu uel quadrato significatoris fratrum, fratres odio natum habebunt. Similiter si fuerit malefica quæ domina loci fratrum, id est, significatoris fuerit & ipsa eleuata super dominum ascendentis aut Solem, frater uel fratres natum paruipendent. Memento autem quod Mercurius inter beneficas & maleficas collocatur.

Caput sextum.

TEXTVS XVIII.

De partu masculino & fœminino.

POst absolutam à nobis de fratribus tractationẽ, proximum est ea quæ circa geniturã consistunt, ac primũ masculini, fœminiq; partus considerationem aggredi. Pendet uerò illa non ab uno quopiam & simplici principio sed ab utroq; luminari & horoscopo ab ijsq; astris, quæ ad hæc loca rationem aliquam adepta

sunt, maximè quidem satus ipsius tempore, planius uerò cum fœtus enitendo in lucem æditur: omnino autem obseruandum est utrum tria prędicta loca, ijsq; dominantes stellæ, uel omnes uel plures masculinæ sint, ad marium, scilicet productionem, quemadmodum ad fœminarũ procreationem fœmininæ, atque ita demum pronunciandum. Masculina uerò & fœminina loca, stellasúe iudicabimus secundum rationem nobis in canone tabularum initio huius operis traditam, à signorũ in quibus sunt & ipsarum stellarum natura & ab eo quem erga mundi cardines habent situ. Nam orientales cum sunt, masculescunt: effœminantur occidentales. Præter hæc ex familiaritate quam habent erga Solem. Nam matutini cum sunt, rursus masculescunt: Euirantur aũt uespertini. E quibus omnibus utrius tandem generis superatio sit, coniectare oportet.

Tria obseruare docet pro sexu, Solem, Lunam & ascendens. Et quinq; modis hęc tria, dominantesq; stellas: Si licet natura Planetę masculina uel fœmínina eius situ in mundo & erga Solem, orientalia masculina, occidentalia fœminina, natura signi & natura stellarum, quæ in eo loco sunt, stellæ Saturni masculinæ, Veneris gratia exemplí fœmininæ, Mercurij uel Saturni & Veneris ancipites uel neutræ. Hæc autem dicit firmiora sunt si generationis tempore considerentur, clariora tempore natiuita-
Commen. 6. tis. Sed tamen quod dixi superius, memoria teneas.

Caput septimum.

TEXTVS XIX.

De partu geminorum.

IN gemellorũ quoq; pluriumúe procreatione decernenda, ijsdem duobus nimirũ luminari utriq; & horoscopo credẽdum est. Incidere enim solet hic euentus circa cõmixturas, quando in duobus tribúsue his locis duum corporũ signa reperiũtur, maximè cum stellæ ijs imperitantes eodem spectãt, ut quædã in bicorporibus, quædã binæ pluresúe una sitæ sint. Si quando & in bicorporibus fuerint dominãtia loca et pluribus stellis cõfigurata, plures duobus nasci contingit, quorum multitudinem à numero significatoris Planetæ colligimus. Genus autem ab astris cum Sole & Luna & horoscopo configuratis pro masculíno aut fœminino partu, quemadmodum ante diximus. Quando uerò huiusmodi constitutio unà cum luminaribus complectitur horoscopi angulum, sed eius loco medij cœli culmen, hæ matres geminos, ut plurimum aut plures concipiunt. Peculiariter tribus quidem maribus donant, ut in Anactorum genitura simul prædictis locis in bicorporibus configurati, Saturnus, Iupiter, Mars. Tribus uerò fœmellis in gratiarum genitura Venus & Luna cũ Mercurio effœminato. Duos uerò mares & fœminam unam largiuntur in Dioscurorum genitura, Saturnus, Iupiter, Venus, duas fœmellas, unamq; marem; in Cereris, Cores

& Dio-

& Dionysi, Venus, Luna, Mars. In quibus ferè accidere solet quod non ad frugem perueniant quæ nata sunt, quodq; non sine insignibus quibusdam corporis notis producantur, & amplius eueniant locis selecta quædam & inopinata, propter illorum casuum ueluti euidentiam quandam.

Duo nos docet Ptolemæus & multitudinem filiorum qui unà nasci possunt, quorum numerus est incertus, adeò ut Haly sex unà, alias etiam duodecim natos significet: Et numerum eorum qui simul unà nati, possunt uiuere. Atq; in hoc melius Ptolemæus ipsis Iurisconsultis sentit, qui nescio qua falsa Hippocratis authoritate decepti, quinq; simul natos superuiuere posse existimant. Atq; iuxta hanc rationem grauidæ mulieri partes ex hæreditate defuncti mariti asseruant. Ita ut si duos filios maritus ex prima uxore reliquerit filij illi ex hæreditatis fructibus duas tantum partes ex septem partibus accipiant, uxor grauida relicta quinq;. Quanto simplicius & uerius Ptolemæus censet, mulierẽ non plures tribus qui supersint parere posse: Quòd si plures pariat, omnes moriuntur: quoniam naturæ humanæ conditionem iam mulier præterit. Non memini me legisse apud quenquam fide dignum authorem, quod enixa plures quàm tres seruatus sit aliquis. De omnibus certè quod seruentur fieri nõ potest: Quod uerò è pluribus unus uel duo seruentur, quanquam non legerim, neque uiderim, fieri tamen non posse certò dicere nolim. Hæc de multiplici partu Ptolemæi atq; mea sententia est. Verum de tribus sæpe contingit ut in Romana historia trigeminorum Curiatiorum & Horatiorum. Et ego memini me uidisse trigeminos bis: semel quidẽ tres masculos adultos nobili genere natos Italos: rursus tres puellas Mediolanenses nuper natas sub aduentu Cæsaris.

De causa uerò horum dicit Ptolemæus: sumitur à Sole, Luna, atque ascendente: Ve lut in præcedenti capitulo, & fuerint duo saltem ex his cum dispositoribus in bicorporeis signis, uel duo ex his, & dispositores in eodem signo unà iuncti, quãuis non in bicorporeo, erunt duo qui nascentur. Quòd si præter id duobus significatoribus, omnibusq; dispositoribus in bicorporeis positis, alij Planetæ dispositoribus commisceantur, erunt plures quàm duo. Quòd si loco ascendentis medium cœli in bicorporeo sit, eiusq; dominus, tantundem refert, quantum si ascendens esset cum suo domino, partus etiam erit multiplex nihilominus. Dico multum cõfert in his matrum consuetudinem agnoscere, quæ plures parere soleant. Id trifariam fit uel sensu cognita matre quę multos aliquãdo peperit: uel habita genitura matris: uel cum in filiorum genitura medium cœli atq; eius dominus in bicorporeo signo fuerint. Ex quo colligitur quod decima domus aliquam cum matre significationem habet iuxta Ptolemæum. Ex quo quidã imum cœli patri etiã tribuũt, sed falsò: neq; enim statim sequitur si decima matri conueniat, quod quarta quæ sub terra est conueniat patri. Neque decimam nisi hoc uerbo & in hac in causa Ptolemæus matri tribuit, id est, in filiorum numero. Vtcunque sit, cum de matre tractauit ubi locus erat, medij cœli, nullo modo penitus meminit. Decima igitur domus filiorum erit significatrix, quod etiã in quarto libro docet. Cæterum ut ad propositũ reuertar sexus illorum cognoscitur ex præce- Cap. 61
denti capitulo ubi de sexu agitur, non autem ex capite de fratribus: quia gemini & trigemini plus habent aliquid quàm simpliciter fratres, sed quasi unus sunt natus, tum ob similitudinem corporum & morum, & quod plerique ex his eisdem affectibus in eisdem fermè temporibus subijciantur, quod sæpe obseruatum est. Habent gemelli quod cauí sunt dorso, osq; sacrum intus retrahitur, quod præcipuum signum est illos dignoscendi, sicut & septimestres quod ungues habeant imperfectos cutimq; haud expolitã. Quòd uerò dixit de trigeminis masculis subijci Saturno, Ioui & Marti Anactorum fratrum exemplo quorum duo cum essent pessimi referentes naturam Saturni & Martis, tertius erat optimus, Iouialisq;. Tres uerò cũ fuerint fœminę sub Venere, Mercurio & Luna natæ erunt, probatq; exemplo trigeminarum gratiarum, quæ uno partu æditę suauissimis moribus & formosissimo corpore fuerunt: ideoq; nomen gratiarum meruêre. Si uerò duo masculi atq; una fœmina nascãtur, Saturnus

& Iupiter & Venus dominabuntur, exemplo Dioscurorum, id est, Castoris & Polucis & Helenæ, quorum Castor fuit optimus, Polux pessimus uir, Helena formosissima: hi tres uno partu æditi à Latona retulerunt naturam Saturni, Iouis & Veneris. Si uerò ex trigeminis duæ sint fœminæ, tertius masculus: ut Dionysius, Ceres, & Cores, uno partu ęditi, masculus Marti subijcietur, fœminarum altera Veneri, altera Lunæ: Nam Dionysius egregius fuit Dux, quiq; Indiam subegit: Ceres autem pulchra: Cores laboriosa. Quòd uerò aliter distribui non possint si uiuere debeant, manifestum est de tribus masculis, atq; tribus fœminis. De duabus uerò fœminis & masculo id contingit, quia Mars natura proximior est Veneri & Lunæ quàm Saturnus uel Iupiter. Est enim Mars uelocior motu & nocturnus. De duobus uerò masculis & una fœmina accipere oportet Saturnum & Iouem tanquam robustissimos si uiuere debeant, qui difficillimè uiuunt: Venus uerò similior est Saturno & Ioui quàm Luna, quia tardior motu. Et quanquam sic etiam nascantur, qui supersunt uel omnino non adolescunt omnes uel nõ sine insignibus quibusdam corporis notis, aut statim post natiuitatem quædam rara & inopinata illis eueniunt, propter nimiam permistionem atq; ut ita dicam confusionem Planetarum. Et præcipuè ut bene dicit Haly, quia in natiuitatibus trium masculorum prædominantur duæ maleficę, in natiuitatibus autem trium fœminatum humida qualitas uincit, & calor imbecillis est. In cæteris est repugnantia: in duobus masculis & fœmina, Saturni & Veneris: frigiditasq; multũ prædominatur: in duabus fœminis & masculo, Mars Lunæ repugnat. Itaq; rarò uiuunt etiam qui sic trigemini nascuntur. Plus tamen facit repugnantia ad interitum, quàm exuperantia qualitatum: Vnde qui diuerso simul sexu nascũtur, seu duo fuerint seu tres, rarius uiuunt omnes quàm si omnes fuerint simul masculi uel simul fœminæ.

Caput octauum.

TEXTVS XX.

De monstris.

NEque à prædictis alienus est qui de monstris sermo instituitur. Primum enim in huiusmodi lumina quidem ab angulis decidentia, & horoscopo nulla familiaritate coniuncta, anguli uerò ipsi à maleficis occupati reperiuntur. Cum igitur talis quædam occurrit constitutio quandoquidem illa sæpenumero etiam in abiectis & infelicibus licet neutiquam monstrosis genituris incidit, euestigio inspicere oportet præter lapsam proximè coniunctionem aut oppositionem luminarium, eiusq; & genituræ gubernatorem. Si enim genituræ eorum, Lunæq; & horoscopi loca, uel uniuersa uel complura nulla necessitudine cohærent, cũ prædictæ coniunctionis aut oppositionis loco, id quod nascitur contortum & inuolutum esse significatur. Si igitur his sic habentibus luminaria in quadrupedibus, aut feralibus signis inueniuntur, duoq; angulis insidentes Planetæ malefici non humanũ esse portenditur quod procreatum est. Si beneficorũ nullus seu maleficorũ quispiam luminaribus testificetur, prorsus ab humana forma alienũ, & quod ferarum agrestem, maleficamq; naturam referat. Si Iupiter aut Venus animantium dijs consecratorum ut canum, felium, simiarum & id genus reliquorum. Si Mercurius, usui humano deuotorum, ut auium porcorum,

capra-


caprarum, bouum & his similium. Si in humanis signis luminaria deprehensa sunt, reliquis sic habentibus, humana sunt quoq; quæ generantur monstra, formaq; peculiarem in modum perplexa, cuius ratio & modus ex signorum formis colligitur, in quibus quæ luminaria & centra occupauerunt maleficæ stellæ deprehenduntur. Si igitur & sic nullus beneficorum testificetur alicui prædictorum locorum muti fœtus producuntur & re uera monstrosi. Si Iupiter aut Venus in honore & in pretio habebitur, quicquid fuerit portenti cuiusmodi quiddam circa Hermaphroditos, & quos Harpocratiacos dicimus, aliosq; eius generis cõtingere solet. Si & Mercurius præter hæc oraculorum & somniorum interpretes creat & qui hinc uictum quæritent, solus uerò mutos & surdos, ingeniosos tamen & uafros.

Declarat nobis monstrorum natiuitates, quæ ut dixi magis pendent à generatione quàm à natiuitate: quia tamẽ natiuitas est similis generationi, ideò & natiuitates indicant monstra. Quòd uerò dicit Ptolemæus est natiuitates monstrorũ similes esse his qui non nutriuntur. Monstra enim rarissimè nutriuntur: Si tamen nutriantur (quia formam habeant humanam) rarissimè uiuunt: quædam tamen uiuunt quæ parũ à natura humana sunt permutata. Velut dicit Haly uidisse quosdam natos sine pedibus, alios sine manibus, quosdã sine auribus: audiuisse de alio qui nullum habebat membrum præter duo foramina unum per quod suggebat cibum, aliud per quod omittebat excrementa: Et quod diuinabat multa nutu illa significans. Et de his sunt Hermaphroditi Græcè (Androgini Latinè) & Harpocratiaci, id est optimorũ raptor. Androgini quidem ab initio mari mergebantur Romana lege aruspicum, post cœpere in delitijs haberi, quod utroq; sexu luxuria nepharíorum simul potiri uiderentur. Tales igitur quibus Iupiter & Venus, et Mercurius fauent uiuunt: ob idq; diuinant, quoniam extincta luce luminarium, uis Iouis, Mercurij & Veneris magis relucet. Si igitur monstra esse debent Solis & Lunæ uim extingui necesse est: Et maleficas dominari in angulis. At si hæc contigerint mori necesse est nisi à Ioue & Venere & Mercurio adiuuẽtur. Sed his dominantibus & maleficis in angulis constitutis, necesse est eos malorum esse morum qui sic nati sunt: Et futurorum diuinatores. Aliqui etiam præsentium quos Harpocratiacos Haly existimat appellari, id est tales quibus res repentæ uerè in mentem ueniunt, statimq; proferũt. Velut narrat ipse de quodam Aegyptiano cui in mentem uenit Regem Concin mortuum esse, dixitq; & inuentum est ea hora illum Regem mortuum fuisse. Et narrat de quodam Porphitone uiro Aegyptio maximo Mago & præcantatore, quiq; res faciebat admirabiles, dicitq; has artes notas fuisse in Cina Indiæ regione quæ nunc notissima est Lusitanorum nauigatione: Et ita est. Inde aduehitur radix quę Cina uocatur: alij uocant Chinam.

His uisis Ptolemæus duo docet, primum formam natiuitatis monstrorum quę consistat in tribus rebus: prima quod luminaria cadãt ab angulis nulla familiaritate iũcta horoscopo, id est, in duodecimo uel sexto loco: poterit & adijci octauus & tertius. Secunda ut maleficæ sint in angulis & maximè ascendente & medio cœli. Tertia ut dominus loci coniunctionis uel oppositionis præcedentis natiuitatem neque ascendenti, neque loco Lunæ, neque domino genituræ aliqua familiaritate iungatur, tunc erit monstrum. Quod si beneficę non testificentur erit abiectum: si uerò auxilientur erit in honore ubi forma humana cõstiterit. Formã uerò seu humanam seu aliã præstabunt signa in quibus erunt luminaria, & hoc est secunndum. Quod uerò dicit (mutos & surdos) legi potest iuxta Arabes mutos & sine dentibus utraque lectio uerò bene habet.

Vt uero clarissimum huius rei & monstri habeatur exemplum, subijcio hanc genituram. Natũ est in Anglia dum ibi essem in uilla uocata Mioletonstoni VIII M passuum

ſuum diſtante ab inclyta academia Oxonienſi, fuitq; poſthumum. Pater uocabatur Ioānes Kemer. Ita enim Anglicè ſcribitur. Erant duæ puellę ad umbilicū commiſſæ quæ in unum coierant quaſi recta altera alteri inſerta, uēter uētri, dorſum dorſo, unus umbilicus, una uulua, unus anus qui inter crura ſiniſtra atque nates poſitus erat. Itaq; ſiniſtra crura locū ſuum ſeruabāt: Velut cū pueri ſedentes colludunt. Dextra uerò crus et pes alter alteri commixtus in unum coiere. Itaque pes ille nouem habuit digitos. Primis duobus diebus lac ſuggere noluerunt à matre ob partus laborem, nutriti lacte uaccæ, tertia ſuxerūt à matre, dormiebat quādoque altera, reliqua uigilante, quod ab umbilico ſupra unaquæq; ſua membra ſeorſum retineret. Itaq; uixit una ad decimamoctauam Auguſti, reliqua ad x i x. Longitudo pollicum x x. latitudo autem v i. Hoc igitur fuit monſtrum & geminum & poſthumum & quod non uixit licet fuerit nutritum. Cauſa Geminorum fuit aſcendens bicorporeum & dominus eius commixtus alteri. Quòd monſtrum fuerit facit Luna cum nodo & Iupiter dominus trigoni coniunctionis cū nodo, & Sol in ſextili Martis ex longa aſcenſione ſecundum ſigna & locum (nota bene) & in angulo & Saturnus eleuatus ſuper omnes Planetas ad cuius oppoſitum tendit Sol. Ideò etiā parum debuit uiuere hoc monſtrum. Præterea Mars qui damnat & eſt in angulo aſcendens & Mercurius aſcendentis dominus, erant in capitibus & nodis ſuis. Ideò ſatis promptę de uitijs compoſitionis pronunciare poteris cum ſignificatores ac maleficę nodis iuncti ſunt.



Caput nonum.

TEXTVS XXI.

De his qui non nutriuntur.

CVm reliquum ſit exijs quæ circa ipſam genituram ſpectātur de his qui non nutriuntur dicere intelligere oportet hāc quæſtionem interdum annexam eſſe illi quæ de uitæ ſpatio agit, eſt enim utriuſque quod quæritur idem genus, aliquando ſeparatam eſſe eo quod ipſius inueſtigationis uis diuerſa ſit. Viuēdi enim ſpatium in ijs conſideratur, qui tempus aliquod tulerunt, hoc eſt non minoribus una Solis circuitione. Tempus enim propriè hoc unius anni accipitur, potentia uerò etiam minus eſt illo menſes uidelicet ac dies, & horę,

ſed


sed quæ de illis qui non nutriuntur suscipitur quæstio, in eos tantum cadit qui ob malitiæ abundantiam minoribus temporibus decedunt. Vnde illa quidem magis uariã habet pertractationẽ, hæc uerò simpliciorem.

Hucusq; præter tractationem de parentibus licet sint gloriosa Astrologo non tamen adeò utilia sunt, neque tamen ipsa tractatio de parentibus uel fratribus adeò firma est, ut de propriis effectibus à genitura sumptis. Nam monstra, sexus & numerus sensu dignoscuntur, ideò non indiget, ut quærantur certa incertis modis ab Astrologo: nec etiã talia sunt per se, sed solum ut natiuitas assimilat genituræ quæ causa est talium effectuũ. Hoc uerò quod hic docetur maximè queri solet, & adeò efficaciter, ut cum ego implicitus alijs negotijs quibusdam nolens satisfacere perpetuas incurrerim inimicitias, eorum qui putant magistratum, aut diuitias illos dignos efficere, ut qui uirtute præditi sint illis inseruire debeãt: quod uideant illam turbam nebulonum Astrologorum, tum etiam aliorum artificum qui sine scientia, sine iudicio, sine diligentia, sine labore, plenos falsis opinionibus ac fabulis ultrò se illorũ in seruitutem ingerere. Hic itaque præter tractationem de parentibus & de fratribus incipit solida natiuitatum explicatio atque utilissima, cuius initium est ab his qui non uiuunt. Dicit ergo Ptolemæus ij qui non uiuunt duorum sunt generũ, quidam enim non accipiunt nutrimentum, sed statim moriuntur antequam lac sugant, quorum tractatio est simplicissima, quia unius sunt tantum modi: alij uerò sunt qui nutriuntur, non tamen dicuntur uiuere, quia non pertranseunt primum annum. Et tales sunt multorum modorum, quidam enim uiunt per aliquot horas, sed non implent diem, quidã per aliquot dies, sed non implent mensem, quidam per aliquot menses, sed non implent annum. Igitur uiuere dicuntur solum infantes, qui annum excedunt.

TEXTVS XXII.

Omnino igitur si in angulis sit alterũ luminariũ & unus maleficorum illi congrediatur siue etiam opponatur, idq; partiliter & secundum figuram æquicruriam, nullo beneficorum interim affulgente, & gubernator luminarium in maleficorum locis detineatur, ali non poterit quod natum est.

Exponit tres casus in quibus natus non nutritur: quorum primus est quod luminare sit in angulo, & malefica in illius coniunctione, aut oppositione per gradum & in figura æquicruria, id est, quod in coniunctione latitudo sit eadem & in oppositione Solis sit in ecliptica, & in oppositione Lunæ habeat contrariã latitudinem. Vtpote quod si Luna sit in decimo gradu Arietis cum tribus gradibus latitudinis borealis, Saturnus uel Mars sit in decimo gradu Libræ cum tribus gradibus latitudinis australis, tunc enim malefica & Luna, & locus in ecliptica, maleficæ & Lunæ facient duos triangulos æquicrurios & æquales, quorum unũ latus erit quarta ecliptícæ aliud erit quarta circuli magni transeuntis per centra Lunæ & maleficæ: Et hæc est figura æquicruria prout in figura uides. Aliter posset dici æquicruria, quando latitudo ex eadem parte æqualis esset, quia arcus à polis zodiaci sunt æquales. Deinde oportet quod nulla benefica respiciat aliquem illorum, scilicet nec luminare nec maleficam: & quod luminarium dispositor sit in locis maleficorum & ita sunt quinque conditiones. Prima luminare in angulo, secunda malefica in gradu illius uel oppositi, tertia latitudo eadem in coniunctione contraria in oppositione, quarta quod benefica nõ adsit, quinta dispositor luminarium, uel dispositores in locis maleficarum. Causa autem huius est, quoniam homo nõ potest uiuere cum tam magno infortunio unius luminaris: at infortuniũ non potest esse tam magnum in luminari nisi malefica sit in angulo: sed malefica non potest esse in angulo oppo-



oppoſita uel coniuncta luminari per gradum niſi luminare & ipſum ſit in angulo, quare ut tam graue ſit infortuniũ neceſſe eſt, ut luminare ſit in angulo. Et manifeſtum eſt quod quanto erit proximius lineæ finitoris tãto erit certius. Secũdus caſus eſt hic.

TEXTVS XXIII.

Ad hæc non ſuperuiuet natus, & ſi non iuxta figuram æquicruriã hoc accidit, ſed è propinquo applicent maleficorum radij ad luminum loca, duæq; maleficæ, uel alteri, uel utriq; noceant, aut ſecundum ſucceſſionem aut oppoſitionẽ partiliter alteri luminari altera, aut ſi una quidem ex oppoſito, altera ſucceſſione obſit, minimè diuturnum erit quod producitur, cum prauitatis magnitudo demoliatur quicquid ad uitæ diuturnitatem ſuccedentis maleficæ diſtantia facere uidebatur. Inſigniter uerò obeſt per ſucceſſionem, ut Soli Mars, ita Lunæ Saturnus, cõtra per oppoſitionem aut eleuationem Soli Saturnus maximè incommodat, Mars Lunę, potiſſimum ſi eadem poſſident cum gubernatoribus luminarium & horoſcopi loca.

Si non iuxta longitudinem eandem, id eſt, non per gradum aut non per latitudinem noceant ſed ex propinquo tantum, ita tamen ut altera ſecundũ eundem gradum reliqua ſuccedat eidem luminari oppoſitione uel coniunctione, aut ſi unum luminare offendat malefica ex eodẽ gradu, reliqua malefica ſuccedat reliquo luminari, ſint uerò luminaria in angulis tunc & reliqua quæ dicta ſunt de beneficis & diſpoſitore luminarium non nutrietur infans. Docet autem quod in ſucceſſione Mars eſt deterior Soli interficiens propter nimiam caliditatem, & Saturnus ſuccedens Lunę propter frigiditatem. Contra in oppoſitione quia maior fit à cõtrarietate actio Mars Lunæ & Saturnus Soli. Idem in eleuatione, id eſt, cum ſuperiores euadunt maleficæ luminaribus, & maximè ſi poſſideant hæ maleficæ loca eadem, id eſt, iuncta ſint gubernatoribus luminarium & horoſcopi.

TEXTVS XXIIII.

Si uerò duæ accidant oppoſitiones luminarium in angulis agentium & maleficorum ſecũdum figuram æquicruriam mortuus aut ſemiuiuus infans educitur.

Hic eſt tertius caſus quando utrunque luminare in angulis fuerit in oppoſito maleficarum in figura æquicruria, hoc eſt in eodem gradu ſecundum longitudinem & oppoſitæ latitudinis tunc infans extrahetur ſemimortuus potius quàm ſemiuiuus. Idem continget ubi una malefica opponatur utrique per figuram æquicruriam luminari: cum luminaria in eadem parte iuncta in angulo fuerint. Vel ſi malefica uni iungatur per gradum in lõgitudine & latitudine, alteri uerò opponatur per figurã æquicruriam: maximè ſi Mars Soli iungatur & opponatur Lunæ, aut Saturnus iungatur Lunæ & opponatur Soli: omnes hi caſus à Ptolemæo intelliguntur. Sed quia in his quinque caſibus ſemper quinq; conditiones præſupponũtur, ideò cum inter illas una ſit quod benefica nulla ſe interponat, ſubiungit.

TEXTVS XXV.

His ita conſtitutis ſi defluere luminaria contingat ab aliquo beneficorum, aut alioqui illi configurati, ita ut radij in partes præcedentes iaciantur, ſuperuiuet infans pro numero partium interiectarum inter luminare & radios malefici proximè, totidem uidelicet menſibus, uel diebus, uel horis etiam, pro magnitudine prauitatis & maleficarum ſtellarum ui.

Cum

Cum igitur luminaria non exquisitè tetigerint maleficas, sed aliquot partibus distiterint, ita quod benefica aliqua fuerit ante ipsum luminare, uel radios proiecerit ante ipsum luminare, tũc infans poterit uiuere tot horis, uel diebus, uel mensibus quot fuerint partes inter luminare & maleficam uel eius radios oppositos. Et causa est quia luminare fit tanto robustius propter beneficam, ut non statim moriatur infans. Et hoc de horis, uel diebus & mensibus cõtingit secũdum robur maleficę, quæ est post luminare & alterius quæ relíquo luminari coniungitur uel opponitur. Similiter inspiciendum est robur beneficæ, & quàm propinqua sit ipsi luminari, tantò enim plus uiuet. Remota enim benefica dabit horas, tãgens luminare menses, propinqua dies. Et similiter malefica ualdè potens & coniuncta & quod benefica iuuet horas tantum dabit, debilis menses, mediocris dies. Quòd si uolueris partus uiolenti exemplum habere, habes primam genituram in fine libri: Nam Rex hic natus est matre percunte, extractusq; ab utero.

TEXTVS XXVI.

Verumenimuerò si maleficarum radij ad præcedentia feruntur loca, beneficarum ad sequentia, quod in lucem æditũ est conualescet ac uiuet.

Expedita parte in commento præcedenti atq; textu eorum qui nutriuntur sed non uiuunt, antea uerò eorũ qui neque uiuunt nec nutriuntur, in hoc præsenti textu qui est tertiæ partis principalis huius capitis initium, tractat de his qui uiuũt & nutriuntur, sed tamen infeliciter nutriuntur: quales referunt historię Romulum & Remum & Oedipum, & alios infinitos qui nunc deferuntur ad loca quæ uocant hospitalia: olim incerti infantes feris deuorandi exponebantur, quæ uerissima historia est. Abrogata fuit consuetudo tam impia propter Romulum & Remũ (ut dixi expositos) à Romanis. Plures uerò etiam sponte ægrè uiuunt. Hi omnes sunt quibus luminare est in angulo, & malefici corpus aut radij ante luminare, benefici autem post. Gratia exempli ascendat prima pars Arietis atq; in ea Mars: Sol uerò in secunda parte: Iupiter uerò in tertia parte Sagittarij, trigono respicit partem sequentem Solis, tunc talis infans patietur nascendo sed tamen superuiuet.

TEXTVS XXVII.

Ac rursus si quidem maleficæ supra configuratas in genitali constitutione beneuolas stellas euehuntur, uiuet in pœnam & subiectionem, si contra hæ extollantur supra illas expositum alijs parẽtibus subijcietur. Ac si beneficorum quispiam uel cooritur, uel applicat Lunæ: maleficorum uerò occidit aliquis, ab ipsis parentibus in libertatem redditum, filiorum loco enutrietur.

Nunc proponit qui nam benè tractabuntur & qui malè: habet autem duplicem sensum: primus est, quod postquã si debet nutriri, oportet ut benefica extollatur, seu sit posterior malefica, uel quod eadem malefica sit potẽtior eadem benefica quia in dignitatibus suis: Et ita benefica potentior, quia malefica sit in dignitatibus beneficæ: Et hic est primus sensus. Secundus est quod alia malefica sit potentior uel debilior reliqua benefica quæ non est cum luminari: Et hoc etiam cõsonat: Sed ex his colligitur. Tertius sensus uerior quod utraque benefica, utrique maleficæ comparetur secundum quatuor modos eleuationis iam dictos. Et si uincant beneficæ recipietur ab alijs pro filio & enutrietur tamen erit seruus. Si uerò maleficę nutrietur in pœnam & seruitutem nõ pro filio, sed ut catuli proiecti. Et hic mos antiquis erat notissimus: & nunc propter legem Christianam omnia quoquomodo mitiora facta sunt: Ideò interpretanda sunt hæc iuxta proportionem eorum qui ab hospitalibus educandi sumuntur. Si igitur inquit ex istis, qui pro filijs nutriuntur malefica occidat & benefica oriatur, uel Luna illi applicet, tũc educabitur uerè pro filio, uel filia instructus disci-

plinis & bene uestitus. Et ego memini me uidisse quendam sumptū ab hospitali educandum qui creuit & factus est hęres domini in magnā hęreditatem, & dum ego essem puer uidi illum diuitem equitantem superbè per urbem nostram. Alium scio qui educatur uxore decipiente maritum, uel etiam marito conscio & decipiente consanguineos in maximam hæreditatem, cum sit filius pauperculæ mulieris & miserę.

TEXTVS XXVIII.

Eodem modo in plurium genituris utendum est. Si quidem ad occasum deuoluitur quod piam eorum quæ duobus pluribusue modis configurantur astrorum semiuiuum est & mutilum, & carnis ueluti frustrum id quod producitur. Ac si supra illud euehuntur maleficæ nutriri non poterit, & diuturnum non erit ob id quod procreatum est.

Postquam docuit de uno tantum nato, hic declarat de pluribus qui nascuntur. Et quia cum plures nascuntur, facilius est ut moriantur. Ideò ne quis crederet ne in geminis ac trigeminis magis quod requirantur illę quinque conditiones, docet quod duæ sufficiunt ad hoc ut moriatur, nam si astrorum unum quę ascendenti & duobus luminaribus imperitant, quodq; necesse est alteri luminarium configurari si debeant esse gemelli, uel plures ut supra uisum est, fuerit in occidente quod nascetur erit oblæsum ac semiuiuum. Quod si præter id etiam malefica super eundem Planetam eleuetur, quod nascitur non nutrietur. Et ita in geminis pauci seruantur & ægrè, in trigeminis rarius & difficilius, in pluribus autem aut omnino nunquam aut uix unquam, ut supra dictum est.

Caput decimuum.

TEXTVS XXIX.

De uitæ spatio.

INter ea quæ secundum genituram eueniunt, primo loco de uitæ diuturnitate differendum erit. Quādoquidem ueterum de more ridiculum est singillatim ad illum omnia futura referre qui ad horum tempora uitā prorogare non potest. Neque uerò simpliciter, neque leuiter huius rei consideratio instituitur, sed à præcipuorum locorum domino multipliciter captanda est. Est autem maximè nobis, naturæq; cōueniens hic modus, omnino enim pendet ex apheticorum locorum, ijsq; dominātium, deprehensione amplius locorum & astrorum interimentium. Dijudicatur igitur horum unūquodq; hoc pacto.

Quia iam tractauit de his qui non nutriuntur, nunc tractat de ijs qui nutriunt̄: Et de diuturnitate uitæ illorum, quia frustra quæreretur de coniugio & filijs & qualitate illorum in eo qui moriturus sit in pueritia, absurdius uerò scriberentur hæc quod antiqui faciebant ridiculosè satis. Veluti si quis scribat hic natus ducet uxorem in se nio formosam & diuitem, quia Venus est occidentalis iuncta Ioui in utriusque dignitate, habebitq; prolem pulcherrimam. Et ita de diuitijs, de amicis, de magistratu comparando in senio; deinde ultimo subiungat (post longa scripta perplexa dubia qualia solent facere Astrologi nostri temporis plena contradictionibus & obscuritate) quod morietur in prima iuuenta, nonne strenuè hic nebulo suā declarabit stultitiam? Ptolemæus igitur docet quod primo quęrenda est quantitas uitæ, deinde adij ciendi casus qui intra terminum illum uitæ continentur, cæteri omnes relinquendi.

Quomo-

Quomodo autem debeat longitudo uitæ pręsciri docet ex tribus, loco Aphetico, id est, ab ἀφετὴ quod est dimissio, & illius dominis, & tertio anæreticis, id est, interficientibus, ab ἀναιρέω, quod est occido, ἀναιρετὴς occisor. Sic dicti etiam Aphetę quasi dimissio, ut ex loco intelligatur afflatu quodam dimitti, quasi linea quæ uitam mensuret, ut à Parcis olim antiqui fabulantur, Cloto, Lachesi, interficiens erat Atropos.

Caput undecimum.

TEXTVS XXX.

De locis Apheticis.

PRimum sanè existimandum est esse Aphetica loca in quibus omnino reperiri necesse est eum qui uelit uitæ gubernandæ iuris dictione potiri, ut circa horoscopum à quinis partibus, prius supra finitorem emergentibus usq; ad 25. reliquas succedentes, & qui has tricenas partes dextris hexagonis radijs contingit, qui boni dæmonis locus dicitur, & qui tetragonis nimirum cœli supra terram fastigium, & qui trigonis qui Deus appellatur, & qui oppositis is nimirum qui in occasum prouoluitur. Prętertur cæteris cœli culmen, proximè qui circa ortum est, deinde qui cœli fastigio succedit, post qui circa occasum existit, tãdem qui medium cœlum pręcedit. Omne enim quod subterraneum est meritò post habendum est, in prędara adeò imperij genere, eo tantum excepto, quod cum horoscopo in lucem prodit. Ex ijs etiam quæ supra terram extant, neque illum locum qui nullo familiaritatis uinculo cum ascendente cohæret accipere cõuenit, qui Argos, id est, piger Græcis dicitur, neq; eum qui prius exortus erat, qui malí dęmonis appellatur, quoniam astrorum ibi commorantium in terram effluxus cum etiam ab angulo præcipitetur, turbat ac ueluti abolet, quæ ex terrę humoribus nascitur fumosa tenebricositas, qua de causa suis neque coloribus, neque magnitudinibus apparent. Deinde Aphetas, siue uitæ gubernatores, accipere oportet non quosuis, sed præcipua genituræ loca, Solis nimirum & Lunæ, horoscopum, Partem fortunæ, & horum gubernatores.

Tria proponit: primum qui possint esse uitæ gubernatores, & sunt quinq; qui esse possunt, Sol, Luna, Ascendens, Pars fortunæ, & dominus horum locorum. Secundum, sunt loca in quibus positi Aphetæ possunt decernere uitam: Et sunt quinq; per ordinem, primus est medium cœli, secundus est ascendens, tertius est undecima domus seu locus bonæ fortunæ, quartus est septima domus, qntus & ultimus qui omnibus est debilior est nona domus, quam Deum uocat. In his igitur si inueniatur unus ex illis quinq; significatoribus erit Apheta, id est, decernet annos uitæ & robur eius: reliquæ septem domus sunt inutiles. Manifestum est igitur quod poterunt esse plures Aphetæ simul & plerunq; contingit, ut in prima, & secunda, & tertia, & quarta genituris, quandoque unus tantum licet raro in his qui adolescunt. Tertium est mensura domus & pro exemplo capiamus decimã: dicit Ptolemęus quod illa tenet quinque gradus ante initium & uiginti quinq; post initium, & intelligit de gradibus æquinoctialis. Veluti gratia exempli in octaua genitura medium cœli habet rectã ascen-

sionem partiũ 289. minutorum 47. uolo scire ubi uigesima quinta pars finiatur. Scio quod quilibet quinq; gradus occupant tertiam horæ partem, igitur uigesimus quintus gradus æquinoctialis distat hora una & duabus tertijs à cœli medio. Quære igitur gradum propè quartam partem Aquarij inuentam per regulam trium, dicendo, si triginta gradus æquinoctialis qui sunt inter decimam & undecimam faciunt decem nouem ex ecliptica, quid facient uigintiquinq; æquinoctialis? & facient quindecim ex ecliptica, quia medio cœli numerati finiuntur in quartam partem Aquarij. Huius igitur horaria tempora sunt undecim & duę tertiæ: duc in horam unã & duas tertias & fiunt partes decemnouẽ, minuta uigintisex, adde ad partes 289. m̃. 47. fiunt partes 309. m̃. 13. quibus respondent partes septem Aquarij quod conuenit. Conuerso modo procedendo inuenies septimam partem Aquarij iuxta Ptolemæi sententiam distare à medio cœli partibus uigintiquinq; æquinoctialibus. Quamuis parum differret ab hoc iuxta Monteregij tabulas. Eodem quoq; modo faciemus ubi uoluerimus inuenire uigintiquinq; gradus undecimæ: nam uigesimus quintus gradus illius domus distat horis tribus & duabus tertijs, ab angulo medij cœli. Et ita in quinque gradibus anterioribus. Raro etiam accidit, ut Apheta sit circa finem domus, ita quod oporteat uti hac supputatione. Sed ego eam apposui ut necessariam ad sciendum quocunque anno quo quisq; Apheta perueniat. Nam eodem modo ad unguem operari licet.

Notandum quod decima domus extenditur usq; ad undecimam, & undecima usque ad duodecimam, scilicet per triginta gradus æquinoctialis. Verum Ptolemæus non uult quod illi quinque gradus ultimi licet habeant uim attamen habeant eam tam magnam, ut significator uitæ ibi possit dare uitam & esse Apheta.

Notandum secundo quod ubi domus idonea succedit domui idoneæ, illi quinque gradus ultimi non sunt auferendi: quia licet non sint boni ratione domus cuius sunt pars, sunt tamen boni ratione domus sequentis. Exemplum, quinq; gradus ultimi nonæ, licet non sint boni pro nona, sunt tamen boni quia sunt pars decimæ domus sequẽtis. Et quinq; gradus ultimi decimę, licet nõ sint boni pro decima, sunt boni pro undecima domo quæ sequitur. Et ita possumus considerare nonam & decimã absq; detractione illorum quinq; graduum. Solum ergo erũt detrahendi à prima, septima, & undecima, quia domus quæ has sequuntur quæ sunt secunda, octaua & duodecima non sunt Apheticæ. Et quia dixerat partem fortunæ, seu sortem esse unũ ex locis Apheticis, illam docet in capite sequenti inuenire.

Caput duodecimum.


TEXTVS XXXI.

De Sorte siue Parte fortunæ.

FOrtunæ quidem partem colligimus ubique nocte, non secus ac die ex numero partium interceptarum inter Solem & Lunam, si totidem partes ab ascendente signo iuxta signorũ consecutionẽ abijciamus, quo tunc sanè euaserit supputatio, eam signi partem, eumq; locum dicimus, fortunæ sortẽ continere, ut quam rationẽ siuè configurationẽ habet Sol ad orientalem finitoris partem, eam habeat & Luna ad partẽ fortunæ & sit ueluti Lunaris quidẽm horoscopus. Verũ & illud uidere oportet utrum luminũ altero magis in consequentia feratur. Nam si Luna, numerũ partiũ ab horoscopo reijciendarum pro sorte fortunæ habẽda, reijcere uelùti consequentia signa uersus oportet. Si uerò in pręcedẽtia magis Sole ferẽ Luna, uersus pręcedentia.

Inten-

Intendit quod debemus detrahere locum Solis à loco Lunæ, & quod relinquitur de signis, gradibus & minutis addere ascendenti, & ubi cadit est locus partis fortunæ. Exemplum in quarta genitura locus Solis est signa tria, gradus tres, minuta 52. locus Lunæ est signa 0. gradus 18. minuta 9. detraho signa 3. gradus 3. minuta 52. ex signis 0. gradibus 18. minutis 9. addita una reuolutione integra, id est, signis 12. quia aliter detractio fieri nequit, relinquunt signa 9. gradus 14. minuta 17. quibus addo signa 7. gradus 26. pro ascendente & fiunt signa 17. gradus 10. minuta 17. Et quia excedunt unam reuolutionem abijcio illam, id est, 12. signa & relinquuntur signa quinque, partes decem, minuta 17. quæ si numerentur ab initio Arietis finiunt in partibus 10. minutis 17. Virginis: Et ibi est pars fortunæ quartæ genituræ. Dicit igitur Ptolemæus quod quantum distat Sol ab ascendente, tantum Luna à parte fortunæ. Et similiter si Luna est à coniunctione ad oppositionem tunc Luna sequitur Solem & pars fortunæ semper erit sub terra, & sequetur ascendens: quod si Luna transierit oppositionem ipsa antecedet Solem & ita pars fortunæ antecedet ascendẽs, & erit semper supra terram. Causa igitur huius est hæc sit Sol in A, Luna in B, & ducta fuerit A C linea à Sole ad ascendẽs & à Luna B D æqualis A C, tunc erit ex monstratis in tertio elementorum Euclidis arcus B D æqualis A C detracto communi A D relinquetur A B æqualis C D. Cũ igit̃ addiderimus differentiam Lunæ à Sole ascendenti consurget locus Sortis, qui est locus ubi radius Lunæ à Sole refractus æqualis radio eius quo ascendens illuminat reflectit̃. Sors igitur fit addita distantia Lunæ à Sole ipsi ascendenti. Hæc igitur est ratio Sortis quæ in alijs Planetis non tenet, quoniã non sunt luminaria, & non reflectũt lumen Solis.



Caput decimumtertium.

TEXTVS XXXII.

Quos eligere conueniat uitæ gubernatores.

PReferendus sanè est in diurnis geniturís Sol si in Apheticis lõcis repertus fuerit, si minus Luna, si neque hæc, illi qui plura obtinent ad dominandum suffragia & Solis loco & proximè elapsæ coniunctioni ac horoscopo, hoc est, cũ suffragiorum quinque genera sunt, is qui tria ad unum horum locorum aut plura possidet. Postremo si neque hoc usu uenit, horoscopum præferimus. Noctu uerò quidem Lunam consulimus, deinde Solem, post qui maiorem habet suffragiorum copiam ad Lunæ locum moderandum, præcedentis quoque oppositionis ac partis fortunæ, sin minus, si coniunctio luminarium præcesserit, horoscopum accipimus, at si oppositio, partem fortunæ. Si neque hoc licebit horoscopus uitę transigendę præerit. Si uerò

& ambo luminaria & proprię conditionis gubernator in locis Aphe-
ticis fuerint, id quod maioris dominij fuerit seligendũ est. Tunc demum
gubernatorẽ utrisq; luminibus anteferimus, quando honorificentiorem
occupat locum & ad utrasq; conditiones gubernandi ius habet.


Tres facit ordines, primum de die prędo Solem si in loco fuerit Aphetico, ex
quinque domibus dictis superius & pari conditione semper intelligas: inde Lunam
si Sol aptus non fuerit: inde si luna apta nõ est, gubernatorem accipiemus qui tres ex
quinque dignitatibus habuerit in tribus locis, scilicet loco Solis, loco coniunctionis
præcedentis, & loco ascendentis: & sit gubernator ille in loco Aphetico: Et si hic
aptus non est relinquetur ascendens. Secundus ordo est, in nocte accipiemus primo
Lunam si erit in loco Aphetico, & si non, Solem si fuerit in illis uigintiquinq; gra-
dibus qui sequũtur ascendens, si non, accipiemus gubernatorem qui habeat tres ex
quinq; dignitatibus in tribus locis, scilicet loco Lunæ, loco oppositionis luminariũ
præcedẽtis natiuitatẽ & loco partis fortunæ, si talis gubernator fuerit in loco Aphe
tico: Quòd si non, si coniunctio præcesit natiuitatem accipies ascendens, quia Sol
fauet ascendenti: si oppositio accipe partem fortunæ si sit in loco Aphetico: si non,
accipe rursus ascendens. Tertius ordo est quod si sint tres principales Aphetæ, sci-
licet Sol & Luna & gubernator locorum prędictorũ in locis Apheticis, tunc præpo
nes ex Sole & Luna illũ qui fuerit potentior: Gratia exempli, si de die Luna sit in de-
cima, & Sol sit in nona, præpones Lunam Soli, & si Luna esset in decima & Sol in
undecima, tunc erunt fermè pares, præpone igitur illum ex his qui fuerit in maiore
dignitate: quod si parua fuerit differentia, uide si cui illorum dominus loci coniun-
gatur, uel cũ benigno aspectu respiciat: Similiter si de nocte Luna esset in nona uel
in septima, præferes Solem illi si sit in ascendente, & maximè si fuerit iuxta gradum
ascendentis uel in dignitate sua, dum modo sit intra uigintiquinq; gradus dictos. Et
in his casibus indigemus magna coniectura & iudicio bono: & maximè quia ut di-
xi Apheta, quantumcunque potens cum cądit ab altero, nullam retinet uim nisi sit
ascendens: quia est quasi quædam alteratio & nõ communis administratio. Guber-
nator uerò debet præferri luminaribus quãdo duas habuerit cõditiones: prima quod
ipse fuerit in meliore loco Aphetico quàm luminaria: secunda quod habeat tres ex
quinq; dignitatibus, in loco Solis & coniunctionis prędentis nauitatem & ascen
dentis: & item tres alias in tribus alijs Locis, scilicet Lunæ & loco oppositionis lumi
narium præcedentis natiuitatem & loco partis fortunæ. Et tunc dicitur gubernator
utriusq; temporis, sicut in natiuitate mea est Mercurius. Est enim dominus domus et
altitudinis loci coniunctionis & primus dominus trigoni Solis: Et rursus dominus
domus & altitudinis loci oppositionis: Et dominus primus trigoni partis fortunæ:
Tam coniunctio enim quàm oppositio præcedens natiuitatem meã fuit facta in Vir
gine, & locus Solis & partis fortunæ fuit in Libra.

Circa quod nota tria: Primum quod iam dictũ est, sed repeto ob uehementem uti-
litatem, scilicet quod per quinq; dignitates intelligit domũ, trigonum, altitudinem,
finem, coniunctionem, uel aspectum qualiscunq; sit: & sub aspectu etiam compre-
henduntur intuentia & imperantia, dummodo sint adamusim, aliter non. Secũdum,
quod si in natiuitate diurna præcedat oppositio luminarium proximior, tamen debe
mus accipere locũ coniunctionis, quia Sol est potentior Luna. Et similiter in noctur
na, quamuis coniunctio sit proximior natiutiati oppositione, debemus accipere lo-
cum oppositionis quia Luna fauet oppositioni cum in coniunctione nullam habeat
potestatem. Et hoc non tamen ausus fuissem dicere nisi colligeretur à Ptolemæo in
textu. Tertium quod locus oppositionis etiam in hoc casu est locus luminaris quod
inuenitur supra terram tẽpore ipsius oppositionis, & hoc est quia Sol propter suam
magnam potentiam non patitur sibi eripi priuilegium suum, quod est quod in diur
na oppositione nisi sit in gradu occidentis, locus eius debet præferri loco Lunæ.

Quoniã uerò res est maximi momenti prętter reliquas genituras in quibus docetur

Apheta,

Apheta, hanc præcipuè subijcere uolui quod ueriſsima ſit, & diu me torſerit: quoniam antequam Ptolemæi ſentẽtiam pulchrè tenerem, exiſtimabam fieri non poſſe quòd uiueret propter multiplicem grauiorum Planetarum, tum inter ſe, tum etiam ad Solem cõtradictionem. Primũ igitur timui ne nõ nutriretur. Cum uerò nutriri uiſa ſit dubitabam ne nõ uiueret. Exacto autẽ anno cum non ſolum uiuere ſed etiã longè melius cęteris fratribus ſuis uiderem, quippe quæ nũquam ægrotaret, admiratus ualde, cauſam quærere cœpi diligenter: Verũ præpeditus, aliſq; interuertentibus negotijs eo uſq; diſtuli quoad Ptolemæi hũc librum exponerem. Nunc igitur re plenè intellecta, quid tãta Solis calamitas mali ſignificaret, totq; Planetæ cadentes, inuicemq; radijs pugnantes, determinabo. Si igitur primum inſpicis, locus Lunæ erat ſub loco Lunę patris, & in ſextili ipſius Iouis ad unguem, quamobrẽ declarabat eã eſſe donum Iouis, & ſub radijs Lunæ ſine malo alio aſpectu, quamobrem & nutriendam & plurimum patri dilectam futurã oſtendit. Quo uerò ad ipſam attinebat, Luna defluebat à Ioue & Veneris ſextili, applicabat in alterutrius dignitatibus, poſita dico, altitudine, trigono, finibus Veneris, & Iouis domo, quare & nutriendam & ſuperfuturam & robuſtam & matrem nihil incommodi paſſuram (cum optimè conſtituti eſſent illius ſignificatores ambo & alligati inuicem) demonſtrabat. Nec quicquam paſſa eſt incommodi niſi quod propter nodum qui cũ Venere erat in aſcendente cum quodam tumore incollo nata eſt, quem tamen hęreditarium à patre habuit: Verum longè maior illi erat cum orta nuper eſſet adeò, ut paterna auia plurimũ doleret. Sed & hic mira felicitate ſucceſſu tẽporis euanuit, qui nullo medicamento certè tolli potuiſſet, cum eſſet Bronchoceles. Itaque falſum eſt quod dicitur connatos morbos nõ poſſe curari: nam & tumor ille oui magnitudinem implebat. Sed iam redeo ad ordinem: quæſiui igitur de cauſa conſtantis uitæ & animaduerti Solẽ, quia erat de die eſſe in duodecimo loco qui malus dæmon uocatur à Ptolemęo, ſicut octaua Argos, neq; Lunã eſſe idoneam, ſiquidẽ ſub terra erat & in cadenti domo, quare quæſiui an quiſpiam eſſet dominus locorum diurnorũ, id eſt, Solis coniunctionis & aſcendentis, inueniq; eam eſſe Venerem quę ſecundum trigonum poſsidet in loco Solis & coniunctionis natiuitatem præcedentis & finem in aſcendente, quare cum ſit in loco Aphetico, nec quiſquam alius Planeta ſit in loco idoneo præter Saturnum, qui omnino nullas habet dignitates in locis potentioribus, Venerem ſtatui Aphetam, præſertim quod gubernator ſit utriuſq; temporis: nam præter id domina eſt loci Lunæ multis modis, ut dixi, & etiam eam aſpicit amico aſpectu, & domina loci Sortis, & loci oppoſitionis præcedentis, loci quidem Lunæ domus domina eſt, trigoni autem Solis ſecunda: ipſa præterea eſt in dignitate ſua, ſcilicet trigono, quare manifeſtum eſt (quod rariſſimum eſt tamẽ) in hac



genitura Venerem solum dominari: quod ut in uiro malum est, in muliere tamen nequaquam. Itaque educata est pulcherrimè ac uirtutibus quæ ad fœminas pertinent egregiè instructa. Cumq; Luna defluereta Ioue ad Venerem gratijs mirũ in modum pollebit, nuptaq; est satis locupleti uiro, quoniam pars fortunæ in finibus est Veneris atq; in Martis trigono. Qui igitur dirigeret Venerẽ, sciret omnia quę contingunt circa uitam eius, quæ erunt circa trigesimumquintum annũ, trigesimumseptimum & trigesimumnonum, quos si euaserit poterit ad maximam senectutem peruenire. Nupta est sextodecimo anno cum Sol peruenit ad cor Scorpij, ubi erant radij quadrati Lunæ. Cæterum quid Sol significabat tam oppressus & cadens, quid aliud certè nisi patris tot persecutiones, tot contentiones, calumnias, metus, discrimina, anxietates, quæ à natiuitate puellæ ortum habentia, perpetuis septem annis cum dimidio adeò increbuerũt, ut pro miraculo magno euaserit. Et si dicas quomodo potuit euadere, Sole & Saturno cadentibus ab angulo, Saturno etiã infelici in Leone, sine auxilijs beneficorũ? Respondeo quod ex hoc cognoscit̃ consensus genituræ parentum cum filijs: nam in patris genitura Sol est in cadenti & in trino Martis: in genitura filiæ Sol rursus est in cadenti & in trino Martis: sed hoc est plus quod Mars est dominus loci Solis, ideò hoc unũ fuit auxilium uiolentum, periculosum, infidum, donec superuenit genitura alterius filij quam inferius exponemus. Hanc igitur genituram diffusius explicaui, quod multa, ut uides secreta contineat, atque ut ita dicam admiranda.

Arabes significatorem uitæ adesse necessariũ existimant, nec sufficere solũ Aphetam. Vocant autem hunc significatorem Alcocodes. Cum uerò eligunt qui potestatem aliquam habens in loco Aphetæ ipsum respiciat: Innituntur autem septem rationibus. Prima est quod non deceat naturalis uitæ terminos esse fortuitos: sed si sumantur ab Aphetæ solum directione erũt fortuitè, quia ab incursu cũ Anęreta. Prętereа quod multi euadũt à concursu Aphetæ cũ Anæreta, & ita uidetur incerta mortis ratio hoc modo: Contra alij ante incursum pereunt. Posset etiã aliquis uiuere annis propè CCXXV posita prima parte Leonis ascendente sub altitudine poli partium LX, & benefica respiciente primum abscisionis locum. In frigidissimis etiam regionibus plus uiuerẽt quam temperatis, quod & rationi philosophorũ & experimento repugnat. Ptolemæus quoque in capite de finibus commemorat numerũ annorum maiorũ, qui, quorsum essent, si nulli usui essent utiles: Nec ulli usui utiles esse possunt nisi uitę decretis ac termino. Prętereа cũ uideamus & familias quasdã non excedere certum uitę spatiũ, ut de quibusdam uicecomitibus qui quinquagesimũ annum non attingunt. Nationes etiam quædam, ut Nasamones quinquagesimum, Garamantes quadragesimum nõ excedunt. Verum Ptolemæus innixus est firmissimis experimẽtis ac rationi. Nam ut reliqua exempla prętereã. In prima genitura in fine libri posita nullus est uitæ significator: Siue enim ascendens, siue Venerẽ aphetam ponas, constitues significatorem Solem, aut Mercurium, Sol XV annos, Mercurius XX pollicebitur, quorum terminorum alterum excessit, alterũ longè excessurus est. Si quidem si tam propè esset in uiolenta morte multa pericula propè terminum præcedere solent, in naturali autẽ multi morbi graues, quod animaduersione dignũ est. In octaua quoque genitura siue Lunam, siue ascendens aphetam ponas, seu Iouem, uel Martẽ, habebis uitæ significatores quorũ alter Iupiter, scilicet quod retrogradus sit, XXXVI solum annos, Mars XLV præstabit: At tantum abest, ut intra terminos illos mortuus sim, ut nunquam ualidior extiterim aut plura egerim, quam illis superatis. Quod cuique conspicuũ est qui librum nostrum de Libris Proprijs legit. Nam & maxima pars librorum perfecta abeo tempore & ædita. Itinera, congressus cum principibus, publica professio, atque alia multa. Igitur ad primam dicimus & naturalem uitã finem habere fortuitum. Naturali morte pereũt solum cũ aphetа ad suum quadratum peruenerit: atque hic est ultimus uitæ naturalis terminus in unaquaq; regione. Ad secundum non concordant processus nec ingressus, ut suo loco ostendetur. Ad tertium qui debilem habent aphetam & naturaliter etiã debiles ex finium malorum

lorum concursu cum processibus ex Antiscijs (Commune hoc est nomen intuentibus & imperantibus ac obedientibus) Ex occursu fixarũ maleficarum uel in eadem longitudine uel etiam in eodem circulo positionis, si ex familia aut gente ualde breuis uitæ sint pereunt: Quod etiam ultimo argumento satisfacit. Ad quartũ fieri potest, legiturq; de duobus, quodam Ioãne de temporibus & alio. Cum autem tot sint necessaria uix nisi in multis seculis contingit. Ad quintum uerum est ratione periodi, non roboris naturæ. Quo fit, à leuioribus anaretis intercepti minus uiuãt quam qui in intemperata habitant regione. Quòd si temperata iuxta polos posset inueniri, ut de Hyperboreis fabulantur, argumentum concluderet. Ad sextum assumpsit hoc Ptolemæus ad confirmandam rationem finium quam intendebat. Nam & ex falso uerum sequitur: Licet autem ad homínem sermonem habenti. Præterea numerus ille in Saturno satisfacit ei reuolutionum numero quem uocauit Ptolemæus restitutionem. In Ioue restitutionis Martis quod malefica esset & maior, numerũ dederunt. Marti autem inæqualitatis solum Iouis facta commutatione. Sed non addito numero reuolutionum quod malefica esset, quasi res homínum uoluntate agatur non Dei imperio illum fraudarunt, Vt in capite de finibus uisum est. Sed ut ad rem reuertar, quod decepit Arabes est quoniam si dominus loci Aphetæ potens locum ipsum præcipuè bono aspectu aspiciat Aphetã robustiorem reddit: atq; ideò etiam uitam & robustiorem & longiorem præstat, quod nec Ptolemæus nec nos negauerimus, modo non res ad certum numerum annorum traducatur, sed ad id quod Anæretas facilè sibi occurrentes possit superare, aut non superare. Hoc autem & ipse iubet circunspici in capite sequenti. Tex. 44. et 45

Caput decimumquartum.

TEXTVS XXXIII.


Quæ nam sint uitæ moderandæ rationes.

CVm uitæ moderandæ principes indicauerimus, amplius huius quoque moderationis duos esse modos intelligamus, eum qui consequentia signa uersus instituitur, quam actinobiliam, id est, radiorum proiectum dicimus, quãdo in orientalibus locis nimirum à cœli culmine & ascendente interceptis uitæ gubernator inuentus fuerit, & eum qui non solum consequentia uersus, sed & in præcedentia signa peragitur, quam horinæan dicunt, cum in locis à culmine declinantibus reperitur.

Duos statuit dirigendi modos alterum qui fit dum significator uitæ fuerit à medio cœli usque ad finem primæ domus, qui est secundum ordinem signorum & secundum ascensiones ipsius Aphetæ: Et in hac locus Anæreta ducitur ad locum Aphetæ secundum consequentiam signorum. Exemplum in genitura puellæ precedentis locus Apheta est Veneris locus, Anæreta licet non perfectus, fortasse est decimaseptima pars Aquarij: locus scilicet quadratus Mercurij, qui est secũdum temperiem Martis & Veneris tamen. Ideò deducemus decimamseptimã partem Aquarij ad locum Veneris in nono cœlo iuxta ascensiones ipsius loci Veneris, id est, sextæ partis Capricorni in eo loco, id est, in prima & tantundem distante ab ascendente. Secundus modus est quando significator fuerit inter cor cœli & septimum locum uelut in genitura primogeniti mei in qua Luna est Apheta, & tũc fit duplex directio dicit Ptolemæus, una quæ est eadem cum prima dicta, & est secundum successionẽ signorum ipsius Anęretæ ad ipsum Aphetã, secũdum ascẽsiones Aphetæ: Et ita hæc directio est generalis omnibus Aphetis ubicunq; constituti sint ab angulo occidentis usque

ad finem

ad finem primæ domus. Sed tamen discrimen est quod à medio cœlo usque ad finem primæ domus directio fit, secundum ascensiones Aphetæ, ab occidente autem usq; ad medium cœli iuxta descensiones Aphetæ, quæ sunt æquales ascensionibus arcus oppositi. Secunda uerò directio est propria significatori constituto inter decimam & septimam: Et hæc fit contra successionem signorũ, quia Apheta ducitur ad Anæretam secundum ascensiones ipsius Anæretæ. Exemplũ in figura primogeniti nostri Luna Apheta deducit ad occidens per descensiones ipsius occidẽtis. Et ideò in primo quadriennio fuit in periculo mortis & relictus quasi mortuus.



TEXTVS XXXIIII.

His ita cõstitutis, interemptoriæ sunt partes secundũ eam quæ uersus præcedentia signa fit moderationẽ occidentalis finitoris, sola eò quod dominum uitæ labefactet.

Docet in conuersa directione esse tantum unum Anæretam, id est, occidentis angulum. Et hoc est proprium illi secundum: nam primum fuit, ut Apheta dirigeretur ad Anæretam per descensiones Anæretæ, id est, occidentis. Non igitur Saturnus, aut Mars, uel alia stella ante Aphetam posita occidere potest. Nunc subiicit tertiũ proprium, quod est.

TEXTVS XXXV.

Siderum uerò occursantium aut testificantium partes adimunt tãtum uel adiiciunt annos, iis qui à uitæ moderatore colligebantur, usque ad occasum illius, & non interimunt, quod non in locum Aphetícũ hæ impingant, sed contra. Ac adiiciunt sanè benefici, malefici adimunt. Mercurius uti solet, eorum se attemperat moribus cum quibus corpore, uel radiis committitur.

Sidera igitur aut radij interpositi inter locum Aphetícum & occidentem non occidunt, quia dicit talia non impingunt in locum Aphetícum, id est, non mouent uersus locum Aphetícum, sed potius Apheta ad Anæretam. Ex quo patet illud quod aliâs dixi in Ephemeridũ supplemento, scilicet quod in directione directa Anæreta deducitur ad Aphetícum locũ, nõ autem Apheta ad Anæretam. Qui locus est, ut dixi, Aphetæ in nono orbe fixus: Anæretæ autẽ mobilis, ascendensq; ad Aphetícum locum secundum signorum successionem: Veluti in tertia genitura. Ascendens est locus Aphetícus, septima Aquarij est leuis Anæreta, septima Piscium est Anæreta potens: dicemus non quod ascendens perueniat ad septimam partem Aquarij in annis XL, uel ad septimam Piscium in annis LVII, sed quod septima Aquarij, & septima Piscium

Piscium in dictis temporibus perueniat ad ascendens. Dicit ergo Ptolemæus quod radij uel Planetæ qui sunt ante Aphetam in occidente non occidunt, sed si fuerint benefici addũt, annos, menses & dies retardando descensum Aphetæ ad gradum occidentis. Et si fuerint malefici detrahunt annos, menses et dies accelerando descensum Aphetę ad gradum occidentis. Quantum autem addant, uel minuant declarat in sequenti textu dicens.

TEXTVS XXXVI.

Numerus autem temporis adiecti ablatiue colligitur ex partiũ uniusq; cuiusque situ. Quot enim fuerint horaria tempora unicuiusq; partis interdiu diurna, nocturna noctu, tot significantur anni, qui sane numerus cum in ortu fuerit, integer seruandus est, & secundum discessus ab ortu proportionem attenuandus, donec ad occasum in nihilum abeat.

Vbi paulò tempestiuior esset tertia figura Luna fuisset Apheta: quia fuisset in gradibus ante nonam qui pro nona accipiuntur. Sit igitur ita ut Luna sit Apheta, quandoquidem in exemplis non curamus de ueritate sed claritate dicendorum. Vides igitur quot radij intercidunt, inter Lunã et gradum occidentis primum quidem trigoni Saturni, qui nihil adduntneque minuunt, quia sunt radij amici maleficæ: Velut neque sextiles Martis: Rursus neq; radij Solis, Veneris aut Mercurij, quia omnes sunt naturæ mediæ, & etiam quia quantum adiment radij quadrati tantum adijcient trigoni: cum ambo cadant inter Lunam & occidentem. En uides iam octo radios qui tamen nihil faciunt intercidere inter Lunam & gradum occidentis. Relinquunt ergo soli radij sextiles Iouis qui addunt, quantum uerò addant exemplo docendũ est, nisi enim exemplo docuerimus in re difficilima nihil peragetur. Dicit igit capepartem horariam loci Iouis nocturnam, non quia natiuitas nocturna sit, sed quia Planeta cuius sunt radij, id est, Iupiter est sub terra: Si autem esset supra terrã, caperes partem horariam diurnam. Hanc igitur sic habebis in tabula quantitatis dierũ, quę maximè necessaria est huic negotio, sub altitudine poli quadragintaocto graduum, inuenies arcum semidiurnum tertiædecimæ partis geminorũ, horarum septem, minutorum quadraginta nouem, cuius residuum ad duodecim, est arcus seminocturnus, scilicet horarum quatuor, minutorũ undecim qui quæritur, hanc multiplica per duo cum dimidio (Et est ac si reduceres horas in minuta multiplicãdo per LX & diuidendo per XXIIII, productum ex sex horis, qui est numerus arcus semidiurni, uel semi nocturni in quatuor numerum minutorũ horæ in quibus unus gradus ascendit) & fiunt gradus X, minuta XXVIII. Et hæc sunt horaria tempora. Vide igitur quantum Iupiter distet à gradu occidentis & patet ex modo qui inferius tradetur quod distat fermè per horam. Multiplica igitur numerum horarum distantiæ, id est, I. in gradus X, minuta XXX, fiunt rursus gradus X, minuta XXX, diuide per XII, semper I. numerum horarum temporalium arcus nocturni si Planeta qui radios proijcit sit sub terra, uel diurni sit supra terrã & exibunt minuta LIII unius gradus: quibus dando quinq; minuta pro quolibet mense fient menses decem, dies decemocto addendi tempori directionis Lunæ ad gradum occidentis.

Nota quod dantur horæ æquales & horæ temporales: horæ æquales dicunt in quibus ascendunt semper quindecim gradus ex æquinoctiali: Et sunt uigesima quarta pars unius diei naturalis, id est, ab uno meridie ad unum meridiem sequentẽ, nec uariantur æstate, nec hyeme, nec die, nec nocte. Horæ autem temporales sunt duorum generum diurnæ atq; nocturnæ: Et sicut diurna est duodecima pars temporis quod intercipitur inter ascensum alicuius puncti ecliptice ad descensum eius in occidente, ita nocturna hora temporalis est duodecima pars eius temporis quod intercipitur inter descensum alicuius puncti ecliptice in occidente & ascensum eiusdẽ in oriente. Et hæc hora temporalis fit maior uel minor tribus modis: primus est ratione puncti ecliptice, quia aliæ sunt horę temporales Virginis & sunt longę, alię initij Libræ

& sunt

& sunt eędem cum ęqualibus, alię Scorpionis & sunt breuiores ęqualibus. Secũdus est ratione regionum, quia horę temporales initij Geminorũ in nostra regione continent unam horam æqualem & quatuordecim minuta: Londini autem horã unam ęqualem & XXI minuta. Tertius modus est diurnæ & nocturnæ, quia hora temporalis initij Geminorum diurna continet, ut dixi horam unam & quatuordecem minuta ex æqualibus: nocturna uerò initij Geminorum solum continet minuta XLVI horæ æqualis. Horaria igitur tempora uocantur numerus graduum ęquinoctialis & minutorum, qui ascendunt in quocunque hora temporali. Arcus autem diurnus seu tempus diurnum alicuius puncti est tempus in quo ascendit arcus contentus inter illum punctum & oppositum secundum successionem signorum. Veluti arcus diurnus seu tempus diurnum initij Cancri est tempus in quo ascendũt Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius. Nocturnum uerò tempus seu nocturnus arcus dicitur in quo ascendit arcus interceptus inter punctum oppositum & punctum illum. Velut arcus nocturnus quintædecimæ partis Cancri est in quo ascendit arcus contentus inter quintamdecimam partem Capricorni & quintamdecimã Cancri secundum successionẽ signorũ, id est, ultimi quindecim gradus Capricorni, totus Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, Gemini, & primi quindecim gradus Cancri. Ex quo patet quod si arcus diurnus, seu tempus diurnum alicuius puncti est prolixum, quòd signa quæ succedunt illi puncto tardè ascendunt, & reliqua quæ antecedunt illũ punctum iuxta ordinem signorum celeriter ascendunt. Quòd si tempus diurnum fuerit breue, erit contrario modo. Similiter si nocturnum fuerit breue, erit sicut de diurno longo: & si nocturnum fuerit longum, erit sicut de diurno breui. Hæc uolui diffusius declarasse, quia sunt maximè necessaria ad sequentia.

TEXTVS XXXVII.

Secũdum eam quæ in sequentia signa fit moderationem interficiunt loca maleficorum Saturni & Martis, siue corpore ipso siue radijs undelibet tetragonis aut oppositis occursantium.

Perfecta expositione conuersæ directionis, nunc aggreditur directam & exponit quæ omnino occidant per se, licet nec illa tamen semper, & sunt sex, Saturni corpus & Saturni oppositum, Martis corpus & Martis oppositum, Saturni & Martis quadrata. Deinde subiungit etiam de quibusdam quæ nõ per se interimunt generaliter.

TEXTVS XXXVIII.

Aliquando uerò è signis dicto eorum audientibus aut aspicientibus secundum æquipollentiam: Tetragonus quoq; Aphetico loco radius interimit, si est iuxta signorum consecutionem. Aliquando è signis longarum ascensionum iam deprauatus hexagonus quemadmodum è signo breuium ascensionum trigonus.

Docet modo Anæretas qui non per se occidunt generaliter, sed tantum cum aliqua conditione, & sunt nouem. Primus & ualidior ex his est radius quadratus sinister ipsius Aphetæ, id est, qui procedit secũdum successionem signorum. Cuius exemplum uisum est in genitura Pauli tertij Pontificis satis manifeste. Nam in Scotia & Anglia ubi ascendat initium Aquarij, sitq; Apheta, radij quadrati sinistri cadunt in initium Tauri, quod deductum ad ascendens ad illud peruenit anno XL. in nostra uerò regione in anno LII. Ne forsan credas longissimè hanc directionem semper protrahi: Causa huius est locorum natura contraria. Quodq; iam ab initio repugnabant hi loci, ut etiam de intuentibus ac imperantibus locis dicemus. Vnde manifestum est quod si trigonus maleficæ quadrato ab initio Aphetam respicientis occurrerit, Aphetæ certius interimet ipso quadrato per se. Et similiter trigonus opposito aspicientis Aphetã maleficæ. Et rursus sextilis quadrato respicientis. Duo alij Anęretæ sunt Saturni & Martis ex locis intuentibus, utpote si Apheta sit in prima parte Geminorum & Anæreta in ultima parte Cancri, in his requiritur, ut ab initio Anæ-

reta sit in intuente cum Aphetico, deinde ubi peruenerit Anæreta ad Aphetam, interficit. Hæc conditio non est necessaria in aspectibus, scilicet quod Anæreta si sit in Tauro & proijciat radios quadratos in Aquarium & Sol sit in Sagittario poterunt radij illi quadrati interficere, quamuis Saturnus ab initio non respiciat Solem quadrato radio. Hæc igitur conditio est necessaria in intuentibus nisi sint ualde senes, quia etiam absque illa potest interficere. Eadem conditio requiritur in imperãtibus & obedientibus. Demum dicit quod trigoni etiam maleficarum quando fuerint per signa breuium ascensionum utpote quod Saturnus sit in Geminis & trigonus eius cadat in Aquarium tunc poterit interficere. Sic etiam ex Cancro in Pisces: Velut si Saturnus sit in sextadecima parte Piscium, radij trigoni eius cadent in sextamdecimam partem Cancri. Et ita cum in nostra regione differentia ascensionum sextedecimæ partis Cancri & sextedecimæ partis Piscium sit nonaginta partes ex æquinoctiali, talis trigonus æquipollebit quadrato iuxta motum primi mobilis, & ex consequenti occidet. Ex quo patet quod intelligit de trigono cuius ascẽsiones sint propè nonaginta gradus. Similiter & de hexagono qui amplectatur arcum longissimæ ascensionis, uelut in nostris regionibus inter initiũ Leonis & initium Libræ ubi intercipiuntur partes octuaginta.

Ex his sequitur primo quod Ptolemæus accipit aspectus Planetarũ ex consimili gradu & minuto in consimilem gradum & minutũ absq; ascensionibus mixtis: Aliter trigonus breuium ascensionum, uel quadratus longarum non interficeret. Oportet autem quod istud eueniat in parte orientali, ubi signa breuium ascensionum celeriter ascendunt, & longarum tardè.

Item nota quod Ptolemæus fingit duos aspectus unum in æquinoctiali, & alium in zodiaco, & nunquam miscet illos. Et hæc est causa quod ipse dicit undecimã semper respicere primam de sextili: Et medium cœli primam de quadrato & initium nonæ primam ex trigono: & tamen contingit in altitudine poli quadragintaocto graduum ascendente quinta parte Geminorum, quintam partem Aquarij esse in medio cœli, & ita horoscopum aspicere medium cœlum trigono radio ad unguem. Idẽ dico de sexta parte Geminorum ascendente. Rursus in eadem altitudine ascendente tertia parte Capricorni, initium nonæ domus erit tertia pars Libræ, & ita horoscopus aspiciet nonam de quadrato. Igitur Ptolemæus uult quod fingamus duodecim signa in æquinoctiali sicut etiam in zodiaco: & demus triginta gradus cuilibet domui ex ipso æquinoctiali, & tunc uera erunt ambo illa: primum, quod dicit Ptolemæus quod prima respicit undecimam de sextili semper, & decimam de quadrato, & nonam trigono, & quod nunquam respicit duodecimam domum neque octauam. Secundum quod dicit Firmicus quòd si ascendens sit in Ariete, medium cœli erit in Capricorno, & occasus in Libra, & imum cœli in Cancro. Et similiter si ascendat Gemini, medium cœli erit in Piscibus, occasus in Sagittario, & imum cœli in Virgine: Et hoc erit uerum semper & ubique gentium de signis æquinoctialis, non zodiaci. Quod ego non intelligens aliâs erraui & feci errare multos, sed nostræ synceritatis semper fuit magis diligere ueritatem quàm gloriam uel utilitatem: qua in parte felices fuimus & omnes mortales superauimus aut æquauimus. Quod enim alij magno dedecori sibi ascriberent fateri tam ingentem errorem atq; diuturnum, nos pro gloria insigni ducimus calcasse fastum existimationis ob ueritatem. Sed huic errori ansam præbuit Paris Ceresarius, uelut & ueritatis cognitioni librorum Ptolemæi diligens interpretatio, collataq; illius uerba cũ Ioannis Monteregij uiri nostra ætate eruditissimi sententia.

Ergo ut ad rem reuertar: explicato iam magno tenebrarum chao, dico quod aspectus ipsi ad unguem in ecliptica sumi debent, cum uerò inter illa duo puncta tantum claudatur per circulos positionis ex æquinoctiali, quod referat partem alterius aspectus, tunc oportebit utriusq; aspectus naturam considerare, & iuxta uincentem iudicare: Et hoc quantum ad uitam, & reliqua, quia omnia gubernantur à duobus motibus, quorum unus est ab occidente in orientem iuxta mensuram ecliptica-

quia illa uelocissime mouetur, quoniam æquidistat à polis: Et alter est ab oriente in occidentem cum mensura sumitur ab æquinoctiali eadem ratione: nam & æquinoctialis uelocissime mouetur.

TEXTVS XXXIX.

Et cum Luna uitæ moderationem inijt, Solis quoq; locus interimit.

Contingit hoc ut inferius exponit, quotiens cunq; sub radijs Solis aliquis maleficus sine benefico extiterit, uel si Sol malefici radijs imbuatur. Velut princeps malo consultore utens, nocet non per se. Fieri tamẽ potest, ut Sol solus etiam perdat, quando Sol in contrario loco fuerit. Corpus enim eius immoderate calidum est, radij autem non interficiunt.

TEXTVS XL.

Valent enim iuxta hanc uitæ moderationem, hi occursus ad perdendum aut seruandum, posteaquam in ipsum moderatoris locum feruntur. Non tamen semper existimandum est & in uniuersum interficiendi uim habere hæc loca, sed cum malè affecta fuerint: Impediuntur enim si in benefici alicuius terminum incidunt, & si beneficorum aliquis radium eò eiaculatur tetragonum, aut trigonum, aut oppositum sane ad ipsam partem interemptricem siue ad partes proximè sequentes, in Ioue non ultra duodenas, in Venere non supra octonas. Ac si corpus utrunque dum est & quod occursat & quod moderatur, nõ sit eadem utriusq; latitudo. Quando igitur duo aut plura fuerint utrinq;, quæcq; iuuent, quæcq; interimant, uidendum penes quæ uictoria sit, idq; & secundum numerum & secundum uirtutem. Secundum numerum quando scilicet euidenter plura fuerint hæc illis. Secundum uirtutem si uiuantium aut interficientium stellarum hæ quidem in domesticis locis inueniuntur, ille uerò non, maximè cum hę quidem orientales sunt, illę uerò occidentales. Omnino uerò earum quæ radijs obrutæ sunt nullam accipere conuenit, nec ad interficiendi, nec ad commodandi operam, nisi quod cum Luna uitæ moderatrix est, ipse quoque Solis locus interficit, quando malefici alicuius congressu oppressus, à beneficorum nemine iuuatur aut liberatur.

Postquã docuit quæ per se generaliter, quæcq; per se sed nõ generaliter, quæcq; neq; per se nec generaliter, occidunt, ostendit modo quãdo occidant & quando nõ. Tria enim sunt impedimenta quare non occidant: uel quia Anæreta sit in termino beneficę, uel quia benefica proijciat radios quoscunque seu trigonos, seu oppositos, uel quadratos, uel sextiles, uel ibi sit corpore post Anæretam, ita tamen ut Iupiter corpore, uel radijs non plus distet duodecim gradibus & Venus octo: Hęc enim sunt quantitates luminum horum Planetarum, ut in primo libro ostensum est. Quia quamuis Iupiter diametro uisibili nõ sit maior Venere, quia tamẽ ista operatio fit per radios in octauo orbe & Iupiter est propior octauo orbi quàm Venus: Ideò maius est lumen Iouis quàm Veneris. Similiter si latitudo diuersa sit Anæretæ cum Apheta: Vt pote quod Apheta sit in parte boreali & Anæreta in parte australi: hæc tria scilicet impediunt. Nec tamẽ dicit semper impediunt, quia fieri potest ut malefica sit potentior, uel auxilio alterius maleficæ, uel etiam per se: Et ideò oportet dicit comparare hæc testimonia inuicem numero & robore. De numero satis patet, quia tria testimonia plus possunt quàm duo, & duo quàm unum: Et hoc est per se clarum. De uirtute, quia ille qui est in dignitatibus suis & orientalis & liber à radijs Solis, plus potest occidentali

cidentali peregrino, uel eo qui est sub radijs Solis. Ita quod intelligas dicit Planetam qui sit sub radijs Solis nihil penitus iuuare neque obesse, nisi in uno solo casu quando Luna fuerit Apheta & malefica fuerit sub radijs Solis, tunc ipsa est causa, ut radij Solis interficiant cum radij Solis ad Lunam peruenerint. Et per contrariū uō luit intelligi, quod si benefica ponatur loco maleficæ cum Sole tunc radij Solis non interficient.


TEXTVS XLI.

At uerò annorum numerus quem interstitia illa reddunt quæ inter uitæ moderatorem & interfectorem interijciuntur, nō simpliciter sanè, neque ut se obtulerit accipiendus est, sicut plurimi tradiderunt, ex ascensionis temporibus semper uniuscuiusq; partis, nisi tunc demum cum ipsa oriens cœli pars uitæ gubernatorem adepta est, aut quippiam proximè illi cooriens. Vna uerò ex omnibus ratio reliqua est ijs qui naturæ cōsentaneam considerationem instituunt, uidere quot æquinoctialibus temporibus sequentis corporis aut irradiationis locus in præcedentem secundum ipsam genituram, peruadat, eo quod æquinoctialia tempora æqualiter transeunt & finitorem & meridianum, ad quos locorum similitudines accipiuntur, & ualet, unumquodq; huiusmodi tempus unà in Solis conuersionem.

Quando igitur in ipso orientali finitore fuerit uitæ moderator & præcedens locus, ascensionis tempora partium interiectarum usq; ad occursationem conuenit accipere, tot enim temporibus æquinoctialibus interfector in uitæ gubernatoris locum, hoc est, in orientalem finitorē fertur. Quando uerò in meridie repertus fuerit, rectæ sphæræ ascensiones quantis unaquæq; sectio meridianum perambulat. Cum autem in occidentali finitore uersatur, quantis singulæ intercapedinis partes occidūt, hoc est quantis oppositæ illis oriuntur. Cum autem præcedens locus in his tribus limitibus non reperitur, sed medio inter hos interuallo, nō amplius dictarum ascensionum aut descensionū, aut cœli culminationum tempora sequentia loca ad easdem cum præcedentibus sedes perferunt, sed diuersa. Similis sanè & idem locus est, qui similem eisdemq; in partibus situm habet, & ad finitorem, & ad meridianum: Illud uerò proximè accidit eis quæ sub eodem semicirculo sunt ex eorum genere qui describuntur per sectiones finitoris & meridiani: quorum singuli iuxta eandem positionem horam proximè æqualem efficiunt, cumq; circunducitur circa dictas sectiones in eundem quidem situm inciditur cum finitore & meridiano, transitus uerò significri, tempora inæqualia utrobiq; efficit: eodem modo etiam iuxta aliarum distantiarum situs per inæqualia illis tempora transitiones conficit.

In dirigendo Apheta, potest esse uel in ipso horoscopo ad unguē, uel in ipso cœli medio ad unguem, uel in ipso gradu occidentis, uel in loco intermedio inter duos ex his angulis: utpote uel inter occidentem & medium cœli, uel inter cœli medium & horoscopum, uel inter horoscopum & imum cœli, ubilibet sit inter duos angulos

duobus modis id contingere potest: uel quod Anæreta sit inter duos eosdem angulos, uelut in prima genitura posita Venere Apheta, locus Anæretæ est corpus Mercurij & ambo Planetæ sunt inter horoscopum & imum cœli: Vel Anæreta est ultra angulum, uelut in tertia figura si Luna esset Apheta tunc Anæreta esset corpus Saturni, & Luna esset inter occidens & medium cœli, & Saturnus inter medium cœli & ascendens. In omnibus igitur his est unus modus dirigendi: Et est ut fiat per circulum positionis transeuntem per locum Aphetæ deducendo Anæretam usq; ad illum, & numerando partes æquinoctialis quæ in ista deductione transiuerunt circulum ipsum positionis, & numero illi adde septuagesimam secundam partē semper, cuius non meminit Ptolemæus, cum eam superius in primo libro nobis insinuauerit. Numerus igitur collectus graduum erit numerus annorum uitę, & pro minutis quę erūt ultra gradus dabis quinq; dies & duas horas pro quolibet minuto. Quando igitur Apheta fuerit in circulo positionis horoscopi, tunc erit in horizonte in parte orientali: & fiet directio per gradus ascensionis tuæ regionis. Si uerò Apheta fuerit in medio cœli: erit circulus positionis circulus meridiei, & fiet directio per ascensiones rectas. Si uerò Apheta fuerit in occidente erit circulus positionis finitor in parte occidentis, fietq; directio per descensiones obliquas illius regionis quæ sunt exdē ad unguem: cum ascensionibus obliquis puncti oppositi. Si uerò Apheta fuerit inter istos locos, seu angulos faciemus directiones per semicirculum positionis transeuntem per locū Aphetæ. Et si semicirculus positionis fuerit orientalis, faciemus per ascensiones ipsius circuli: si occidētalis, per descensiones quæ sunt exdem ascensionibus pūcti oppositi. Sed hic mentem apponere decet, quia si Anęreta fuerit inter eosdem angulos inter quos est Apheta, ut in natiuitate primogeniti mei, quādo Saturnus et Mars deducuntur ad Lunam, tunc tota directio fiet secundum descensionem Aphetę, id est, Lunę: uel si Luna esset in parte orientali fieret iuxta ascensionē ipsius Aphetæ. Verū quādo Apheta est ante cœli medium & Anęreta post eundem angulū, qui sequit Aphetā, ut in tertia genitura posita Luna Apheta (quæ utinā esset) esset Saturnus Anæreta tunc in hoc casu Ptolemæus dirigit medium cœli ad Aphetam, id est, Lunā per ascensiones ipsius Aphetæ, utpote Lunæ. Deinde dirigit Anæretam ad angulum mediū, utpote cœli medium per ascensiones ipsius anguli quæ sunt ascēsiones rectę, & has duas ascensiones iungit & numerus qui consurgit addita septuagesima secunda parte (hoc enim semper intelligitur, & intelligi uolo etiam si non addatur, non addam autem in posterum breuitatis causa) est numerus annorū, mensium & dierum uitæ illius. Si autem Apheta sit ante ascendens, Anæreta post, directio tota fit per ascensiones Aphetę, quia nō uariatur ascensio in descensionem, ut in priore. Ideo huius exemplum non dedit Ptolemæus.



Pro

Pro quo notandum est, quod circulus qui transit per uerticem nostrum & polos mundi uocatur meridianus, & hic secat æquinoctialem ad angulos rectos: Et hic est primus circulus positionis: Secundus est finitor cuius uertex est quasi polus, & licet hic secet æquinoctialem in partes æquales non tamen ad angulos rectos nisi sit finitor in sphæra recta. Hic igitur finitor obliquus secat meridianum tanto inferius polo mundi quanto uertex distat ab æquinoctiali. Cum igitur polus mundi semper distet ab æquinoctiali nonaginta partibus, erit ut communis intersectio meridiani & finitoris cum sit infra polum mundi, ut dixi, multo plus distet ab ęquinoctiali per partem superiorem, quàm per partem inferiorem: adeò ut Mediolani ubi A, id est, uertex distat ab ęquinoctiali partibus XL IIII & tertia, communis intersectio meridiani & finitoris distet in parte superiore gradibus CXXXIIII & tertia, & ex inferiore partibus XLV, & duabus tertijs tantum. Et licet finitor non secet æquinoctialem ad angulos rectos, sed, ut dixi, inclinetur ad partem inferiorem, attamẽ quia secatur à meridiano ad angulos rectos finitor ipse, ideò isti duo circuli, scilicet finitor & meridianus diuidunt ęquinoctialem in quatuor partes æquales: ita quod à meridie ad ascendens sunt semper nonaginta partes ex æquinoctiali: Et ita ab oriente ad imum cœli: Et ab imo cœli ad occidentem: Et ab occidente ad medium cœli, semper sunt nonaginta partes, ut dixi ęquales ex ęquinoctiali. Inter hos igitur duos circulos, scilicet finitorem & meridianum, qui & ipsi positionis sunt, sed tamen propria habent nomina, omnes semicirculi ducti ab intersectione communi ad intersectionem communem uocãtur semicirculi positionis. Et si sunt inter orientẽ & meridiem sunt ascensionum: Et si inter meridiem & occidentem, descensionum: & qui supra terram diurni: & qui infra terram, nocturni. Et qui transeunt per triginta gradus distantes à finitore uel meridiano, appellantur semicirculi positionis domorũ, & sunt octo. Qui igitur transit triginta partibus distans à medio cœli uersus orientem, seu duabus horis, est semicirculus positionis undecimæ domus. Qui uerò ab oriente distat duabus horis, seu triginta gradibus uersus meridiei circulum, est semicirculus duodecimæ domus. Et ita qui distat ab ascendente uersus imum cœli tantundem est semicirculus secundæ domus: & qui distat ab imo cœli uersus orientem tantundem est semicirculus tertiæ domus: Et qui distat ab imo cœli secundum successionẽ signorum partibus triginta æquinoctialis, seu horis duabus, semicirculus est quintæ domus atq; ita de alijs.

Quomodo autem fiant directiones, si quis scire uelit quatuor sunt modi: primus est per sphæram solidam quem Ptolemæus insinuat, & hic est optimus, sed duas habet difficultates, primam habendi sphæram exactam, secundam conseruandi eam: si tamen habeatur inseruit omni loco & omni figuræ. Secundus est per Astrolabium hic est optimus, facta tabula conuenienti regioni tuæ. Sed non seruit omnibus regionibus nec tam exactè: Ideò Ptolemæus non meminit eius. Tertius est per tabulas exactissimas Ioannis de Regiomonte, qui ætate nostra laborem hunc illustrem & difficilimum suscepit. Sed si conficiendi difficultas operandi difficultatem leuasset: Aut operandi difficultas parem laboribus utilitatem afferret: Certè omnino illis uti præstaret. Quartus est per tabulas in quibus primum præsupponit nos habere tabulam ascensionum rectarum & quantitatis dierum: hisce{q} contentus est. Hoc{q} quia breues sint & facile habeantur.

Licet etiam per has tabulas conficere tabulam ascendentis & medij cœli hoc modo: Quęre ascensionem rectam ascendentis propositi, & eiusdem arcum semidiurnum, quem per XV multiplicabis, & quod producitur detrahe ab ascensione recta inuenta: Et ei quod relinquitur quęre gradum & minutum correspondentem in tabula ascensionum rectarum, & is punctus erit in medio cœli, dum propositus pũctus erit in ascendente. Exemplũ, sit ascendẽs decimaquinta pars Sagittarij perfecta, eius recta ascensio est Par. 253. min. 42. Arcus semidiurnus in regione nostra horæ 4. m̃. 25. Duc per 15. fiunt Par. 60. min. 375. quæ in partes deducta faciunt Par. 6. min. 15. Productum igitur est Par. 66. min. 15. hęc detracta à Par. 253. min. 42. relinquunt Par. 187.

min. 27. Quibus respondent Par. 8. min. 6. Libræ in tabula ascensionum rectarum. Dum igitur ascendunt partes 15. Sagittarij perfectæ, in cœli medio sunt partes 8. min. 6. Libræ. Ex hoc igitur poteris facere tabulam in quacunq; regione in qua cuiuscunque gradus cœli medij ascendens correspondens cognoscatur, & uersa uice.

TEXTVS XLII.

Vna tandem nobis erit institutio, cuius opera, siue orientalem, siue meridianum, siue occidentalem, siue quemcunq; alium situm habeat locus præcedens, id quod respondet temporibus prætergredientibus loci sequentis deprehendetur. Cum enim acceperimus culminantem significeri partem: Et amplius præcedentem & insequentem: Primum contemplabimur præcedentis situm quot horis temporalibus distet à meridiano, numerantes quæ inter illam & cœli medium intersint, siue supra terram, siue subtus in recta sphæra ascensiones: Et diuidentes in multitudinem horariorum temporum ipsius partis præcedentis, siquidem supra terram fuerit diurnorum, sin minus nocturnorum. Et quoniã quæ eisdem temporalibus horis distãt à meridiano significeri partes, sub uno eodemq; continentur prædictorũ semicirculorum, spectare oportebit post quot æquinoctialia tempora sequens locus paribus horis distabit à meridiano eodem, quas postquam collegerimus, uidebimus quot secundum eũ qui prioris partis erat situm, æquinoctialibus temporibus abest pars sequẽs à medio cœlo per ascensiones iterum in recta sphæra collectas. Et quot-quot æquales horas reddit locus præcedens, multiplicantes in multitudinem horariorum temporũ partis sequentis, si quidem ad cœli medium comparatio fiat diurnorum, si uerò ad cœli imum nocturnorum, cũ exorta ex superatione utriusq; distantiæ tempora acceperimus, quæsitorum annorum multitudo innotesceret.

Duo hic docet, primum quærere horas temporales hoc modo, quære horaria tempora Aphetæ, & per illa diuide distantiã eiusdem à cœli medio per ascensiones rectas, & quod exit est numerus horarum distantiæ Aphetæ ab ipso medio cœli: Exemplum in nostra genitura, cœli medij recta ascensio fuit partes 289. min. 45. Ascensio recta loci Lunæ partes 343. min. 14. Differentia igitur erit Par. 53. min. 29. Horaria tempora loci Lunæ sunt Par. 13. min. 52. diuide Par. 53. min. 29. per Par. 13. min. 52. prodeunt hor. 3. min. 52. distantiæ loci Lunæ à cœli medio. Exemplum aliud, in prima genitura uolo distantiam Lunæ ab imo cœli, accipio differentiam ascensionum rectarum utriusque quæ est Par. 73. min. 23. Horaria tempora 29. partis Capricorni nocturna, quia Luna est sub terra, sunt Par. 20. min. 22. diuide Par. 73. m. 23. per Par. 20. min. 22. exeunt horæ tres min. 36. Et hæc uia exactissima est & minus laboriosa circulis positionis: Et est Ptolemæi. In qua semper si Apheta sit supra terram debes accipere differentiam ascensionis rectæ à cœli medio, & diuidere per horaria tempora diurna, si autem infra terram, accipies differentiam ascensionis rectæ ab imo cœli & eam diuides per tempora horaria nocturna, & exibunt horæ temporales. Si igitur Apheta fuerit inter medium cœli & ascendens, exibunt horæ temporales distantiæ sequentis, si autem inter cœli medium & occidens distantiæ antecedentis. Et ita inter ascendens & imum cœli distantiæ antecedentis, inter imum cœli & occidens sequentis. Quia, ut dixi quartę cœli oppositę sibi inuicem respondent. Et sit exemplũ in octaua genesi, ponamus quod uelim distantiam Martis tanquã significatoris (hoc enim

loco

loco Aphetæ nomine omnem intelligo significatorem, sicut Anæretę promissorem) Ascensio recta Martis est Par. 69. min. 45. imi cœli Par. 109. min. 45. Differentia est Par. 40. min. 0. Horaria tẽpora nocturna loci Martis sunt Par. 11. min. 12. diuide Par. 40. min. 0. per Par. 11. min. 12. exeunt horæ 3. 54. distantiæ antecedẽtis Martis ab imo cœli. Hoc uoluí etiam adiecisse quia in directione occidentis ad Aphetam qui est inter cœli medium & occidens, accipere oportet horaria tempora Aphetæ pro temporibus loci occidẽtis. Exemplum, uolo dirigere Martem in genitura filij mei natu maioris ad occidens, ita ut occidens habeat locũ promissoris, Mars significatoris: Dispono ut uides, & duco Par. 67. min. 20. in Par. 18. min. 57. fiunt Par. 1275. min. 58. diuide per hor. 18. min. 37. exeunt Par. 68. min. 32.

Quę si detrahantur à partibus 113. min. 45. relinquetur distantia Martis ab occidente Par. 45. min. 13. Et ita patet quod hæc non est eadem directioni ascẽdentis ad oppositum loci Martis. Nam oppositum loci Martis distat ab ascendente Par. 44. min. 10. Et per hunc modum dictum patet modus fabricandi domos iuxta Ptolemæi sententiã quæ differt à sententia Ioannis Monteregij aliquantulum. Sed Ptolemæus non curat exactam notitiam. Modus igitur talis est, undecimę initium differt hor. 2. à cœli medio, duodecimę aũt hor. 4. tertia ab imo cœli hor. 2. tecũda ab eodem horis 4. Et oppositæ domus habent easdem distãtias ab oppositis locis, ut nonę initiũ à medio cœli hor. 2. octauæ autem horis 4. Igitur inuenies partẽ illam cuius tempora horaria ducta per numerum horarum distantiæ domus à cœli medio producant differentiã rectæ ascensionis à cœli medio. Idem de imo cœli. Exemplum, cœli medium primę geniturę habet rectam ascensionem Par. 44. min. 30. Pars 27. Geminorũ distat à cœli medio Par. 42. min. 13. Et hoc est ad unguem quod producitur ex 2. numero horarũ distantiæ initij undecimę à cœli medio in Par. 21. min. 7. quæ sunt horaria tẽpora 27. Partis Geminorum diurna. Igitur initiũ undecimę domus secũdum Ptolemęum est 27. pars Geminorũ. At apud Monteregiũ ut dixi est discrimẽ: nã ipsa est prima pars Cancri. Inuenta ergo differentia horarũ Aphetæ à cœli medio ubicũq; sit Apheta, quæres horaria tempora Anæretæ diurna, si Apheta sit supra terrã, nocturna si sub terra, quæ multiplica per horas distãtiæ Aphetę à cœli medio, & quod producit ubi Apheta sit inter ascendens & cœli mediũ detrahe à differẽtia ascensionis rectę Anæretæ & medij cœli, uel si Apheta sit inter cœli medium & occidẽs, Anæreta inter cœli mediũ & ascendens adde, uel si uterq; sit inter cœli medium & occidens detrahe differentiam ascensionum rectarũ à producto, & quod fit est numerus par. & min. directionis. Quòd si Apheta sit in ipso cœli medio cum nullæ sint horæ distãtiæ fiet directio per ascensiones rectas. Si uerò Apheta sit sub terra, operaberis, ut dictum est per horas distantiæ & differentiam ascensionis rectæ ab imo cœli: Aut cum punctis oppositis, nam idem numerus prouenit. Manifestum est igitur quod nõ possunt esse plures his quatuor differentijs: Aut enim Apheta est in cœli medio, & nihil additur differẽtię ascensionum rectarum: Vel differentia iungit producto & Apheta tunc est inter cœli medium & occidens, Anæreta inter cœli medium & oriens: uel productum detrahitur à differentia, & tunc Apheta est inter cœli medium & ascendens: uel differentia detrahitur à producto, & tunc Apheta & Anæreta sunt ambo in medietate occidentali. Hac igitur ex causa Ptolemæus quatuor exempla subiecit: unum scilicet pro singulo modo dicens.

	Differentia	Rect.	Hor.	Tem.
Mars	67	20	18	37
Occidens	113	45	18	57

TEXTVS XLIII.

Exemplum.

Vt euidentius fiat quod diximus, ponatur præcedens locus initium Arietis: Verbi gratia, sequens Geminorum principiũ, regio uerò ubi maximus dies est horarum quatuordecim. Horaria igitur magnitudo initij

Geminorum est temporum æquinoctialium septendecim & 8. scrupulorum proximè & oriatur primũ initium Arietis, ita ut M.C. occupet initium Capricorni, & dissideat à cœli fastigio Geminorũ principiũ 148. 47. Cum igitur Arietis initium distet à meridiano horis temporalibus senis, has ducentes in 17.8. quæ sunt tẽpora horariæ magnitudinis principij Geminorũ, quandoquidem à cœli culmine est temporũ 148. distantia, habebimus & huius distãtię tẽpora 102.48. Post superationis huius tempora 46. locus sequens in præcedente fertur. Tot uerò sunt etiã ascensionis tempora proximè Arietis & Tauri, posteaquàm locus Apheticus in horoscopo ponitur. Ponatur similiter M.C. occupare initium Arietis, ut absit secundum primam positionem principium Geminorum à cœli culmine temporibus æquinoctialibus 58. Quoniam igitur ex secũda positione oportet cœli medium occupare locum Apheticum, habebimus prioris distantiæ excessum illum ipsum, nimirum 58. temporũ, quibus rursus eo quod in medio cœlo sit locus Apheticus, meridianum prętergreditur Aries & Taurus. Rursus occidat ad eundem modũ principium Arietis, ut medium cœlum occupet initium Cãcri. Distet uerò à cœli culmine initium Geminorum præcedentia uersus temporibus æquinoctialibus 32.16. Quoniam igitur sex iterum horis temporalibus abest à meridiano Arietis initium uersus occasum, si septies decies eas sumpserimus, habebimus 102.48. tempora, quibus aberit à meridiano Geminorũ exordium quando occidit. Aberat uerò & iuxta primum situm uersus eandem partem temporibus 32.17. In temporibus igitur supra terrã 70.32. in occasum fertur. In quibus etiam descendunt Aries & Taurus. Oriuntur uerò his oppositа signa Libra & Scorpius. Ponat igitur in nullo angulorum initium Arietis. Distet uerò, uerbi gratia, uersus præcedentia à meridie horis temporalibus tribus, ut medium cœlum teneat Tauri pars decimaoctaua. Distat uerò iuxta primũ situm principium Geminorum à cœli fastigio uersus sequentia temporibus æquinoctialibus tredecim. Si igitur rursus 17.8. tempora in tres horas multiplicauerimus distabit etiam iuxta secundum situm Geminorum principium à linea medij cœli uersus antecedentia temporibus 51.24. Omnia uerò tempora cõstituentur 64.24. Absoluerat aũt per suam motionem, cũ oriretur locus Apheticus, tempora 46. cum cœli meditullium occuparet tempora 58. in occasu 70.32. Differt igit iuxta situm intra mediũ cœlum & occasum collectus temporum numerus ab utroq; aliorum. Fit enim temporum 64. Differt autem pro ratione excessus trium horarum, quandoquidem in integris secũdum angulos acceptis quadrãtibus duodecim temporum, erat in ab abscessu uerò trium horarum sex temporum: Postquàm uerò eadem ferè ratio in omnibus seruatur, fieri potest, ut ad eundem modum simpliciori uia ingrediamur. Rursus enim cum in ortu est pars anterior,

ascen-

ascensionibus utemur inter eam & sequentem interceptis: cū in cœli medio est, ijsdem recta sphæra desumptis, cum in occasu descensionibus. Quando uerò mediꝰ horum interstitijs, ut exempli gratia, in prædicta distantia Arietis, primum accipiemus tempora quæ sese offerūt utriusq; anguli proximi. Inueniemus aūt, cum post mediū cœli lineā supra terram posuerimus initiū Arietis, intra culminantem & occidentem angulum intercidentia tempora 64. proximè usq; ad initiū Geminorū: Culminationū uerò 58. obituū 70. Deinde discamus (ut prædictum est) quot horis temporalibus distet anterior locus ab alterutro angulorum. Quotacunq; enim hæ pars fuerint horarum temporalium quadrantis sex, totam partē superationis utriusque per angulos delationis auferemus adijcie-musúe angulo unde comparationem accepimus. Vt quoniā prædictorum terminorum excessus est temporum duodecim, ponebatur uerò abesse anterior locus ab utroque angulorum horis æqualibus, temporalibus tribus, quæ semissem reddūt sex, accipientes uerò & 12. temporum semissem & adijcientes ad 58. aut à 70. auferētes inueniemus superationem 64. temporum. Si uerò duabus temporalibus horis abesset ab alterutro angulorum quæ trientem constituunt sex horarum. Trientē quoq; superationis temporum 12. nimirum 4. siquidem duarum horarū distantiæ à medio cœlo ponebantur, adiecerimus sanè temporibus 58. Si uerò ab occasu, subduxerimus à 70. Sic igitur nobis temporum interiectorum magnitudo conuenienter rationi inuestiganda est.

Facile est inuentis addere: absque enim horis distantiæ & subtracta una operatione poteris omnes directiones perficere. Adnotabis primum omnibus Aphetis & Anæretis, locisq; principalibus, & si uelis etiā fixis stellis ascensionē suā rectam, seu si melius uelis differentiam ascensionis rectæ ab ascensione recta mediꝰ cœli ex tabula quam hic subijciemus, in inferioribus signis addēdo gradus 180. Et è directo horaria tempora, quæ ex tabula quantitatis dierum posita in Ephemeride sic habebis: multiplica numerum horarum & minutorum meridiei uel mediꝰ noctis, per duo cum dimidio, & quod prouenit est numerus graduum & minutorum temporum horariorum. Exemplum, uolo tempora horaria sextæ partis Tauri, uideo sub altitudine poli quadraginta quatuor graduum nostræ ciuitatis è directo sextæ partis Tauri scriptum sub horis & minutis 6.54. multiplico per duo & dimidium fiunt 15.135. resoluo 135. diuidendo per 60. & habeo 2. grad. 15. min. addo 2. gra. ad 15. gra. quæ erant cum minutis 135. fient horaria tempora sextæ partis Tauri in nostra regione gra. 17. min. 15. Et hæc sunt diurna, qa Taurus est ex signis interioribus seu borealibus. Adnotabis autem semper diurna tempora horaria, ne fiat confusio. Si autem opus fuerit nocturnis temporibus horarijs, detrahe diurna ex 30. & confestim habebis nocturna. Velut in exemplo, uolo horaria tempora nocturna sextæ partis Tauri, detraho tempora horaria diurna quæ sunt partium 17. minutorum 15. ex triginta partibus relinquuntur Par. 12. min. 45. pro temporibus horarijs nocturnis sextæ partis Tauri. His sic dispositis, si Apheta seu significator sit supra terram multiplica differentiam rectā Aphetæ seu significatoris. (Sic enim uoco differentiam ascensionis rectę illius à cœli medio) in horaria tēpora Anæretæ seu promissoris (quia etiā fiunt directiones pro alijs causis quàm pro uita) & quod producitur diuide per horaria tempora significatoris, & illud quod exit addes aut minues à recta differentia promissoris, uel

ris, uel rectam differentiam promissoris minues ex illa secundum quadruplicem il-
lam distinctionem superius datam, & quod relinquitur est numerus annorum.

Exemplum in figura Ioannis Baptistæ filij mei uides, quod Luna est Apheta, quia Mercurio dispositori desunt duę cōditiones: Prima, quia nō est gubernator utriusq; temporis cum non habeat dignitatē in loco oppositionis nec partis fortunę: Secunda quia est remotior ab angulo septimæ quàm Luna. Igitur uolo eam dirigere ad Saturnum & Martem, accipio differentias ascensionis rectæ, Lunæ, Martis & Saturni ab ascensione recta medij cœli, & scribo illas è directo, ut à latere uides: Inde quia significator est supra terram, adijcio horaria tempora diurna singulis, ut à latere uides. Pro Saturno igitur multiplico gra. 18. min. 42. horaria illius tempora in differentiam rectā Lunæ quæ est gra. 108. min. 10. Et fiūt par. 2022. min. 43. quę diuido per horaria tempora Lunæ quæ sunt Par. 19. min. 5. exeunt Par. 105. min. 57. Et quia Apheta & Anæreta sunt inter angulum occidentis & medium cœli: Ideò detraho ab hoc producto differentiam rectam Saturni, quæ est Par. 72. min. 10. Et relinquūtur partes 33. min. 47. quæ sunt anni 34. menses 3. dies 4. Similiter pro Marte multiplico horaria tempora illius quæ sunt gra. 18. min. 37. in differentiam rectam Lunæ quæ fuit gra. 108. min. 10. & fiunt partes 2013. min. 42. quæ diuido per horaria tempora Lunæ quæ fuêre Par. 19. min. 5. exeūt Par. 105. min. 32. à quibus detraho Par. 67. min. 20. differentiam rectam Martis relinquūtur Par. 38. min. 12. quæ sunt anni 38. menses 8. dies 26. Manifestum est igitur quod in his temporibus erit in maximo uitæ periculo. Deinde si euadet, dirigam Lunam ad oppositum Iouis & sextilem Solis, quæ pertinget post triennium ad illum locum, id est, finito quadragesimoprimo anno ætatis, & erit magna felicitas si potuerit eā expectare. Rursus uolo dirigere ascendens ad Iouis corpus, seu potius corpus Iouis ad ascendens (Non enim facio discrimen in uerbis. Dixi enim etiam Lunam ad Saturnum & Martem & oppositum Iouis cum iam declarauerim superius semper promissorem dirigi ad significatorē) Duco gra. 65. min. 36. differentiā rectā ascendētis seu significatoris in gra. 11. min. 32. horaria tempora promissoris fiunt partes 754. min. 43. quæ diuido per horaria tempora loci Iouis quæ sunt gra. 11. min. 2. & exeunt, partes 68. min. 24. quas detraho à differentia recta Iouis & relinquunt Par. 44. min. 10. id est, anni 44. menses 9. dies 14. Et idem numerus fiet si sumpseris ascensiones obliquas nostræ regionis inter ascendens & secundam partem Aquarij, quo tempore si superuixerit magna habebit incrementa felicitatis propter trigonum Solis cum oculo Tauri positum. Igitur cum omne negotium duabus tantum tabulis, scilicet ascensionum rectarum & quantitatis dierum absoluatur, nec quicquam desideretur (nisi uelis hæc postmodum pro fixis stellis ocula-
ta fide in solida sphæra, quemadmodum ego soleo plus uoluptatis & ioci causa, tem-
pus q; transigendi quàm necessitatis ullius, intueri) præter has quarum altera iam in Ephemeridibus, ut dixi descripta est, placuit reliquam hic subiungere.

	Differentia	Rect.	Hor.	Tem.
☾	108	10	19	5
♄	72	10	18	42
♂	67	20	18	37

	Differentia	Rect.	Hor.	Tem.
Ascend.	65	36	11	2
Iupiter	112	34	11	32

Cæterum quod ad textus expositionem attinet, nihil est nisi ut numeri
qui in plerisque codicibus corrupti habebantur, rectè
se habeant, quamobrem ad sequentia
transeundum est.

TABV-

Tabula ascensionum rectarum.

	♎		♏		♐		♑		♒		♓	
	♈		♉		♊		♋		♌		♍	
G	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M	G	M
1	0	55	28	50	58	50	91	6	123	15	153	4
2	1	50	29	48	59	53	92	11	124	17	154	1
3	2	45	30	46	60	56	93	17	125	19	154	58
4	3	40	31	44	61	59	94	22	126	21	155	55
5	4	35	32	42	63	2	95	28	127	23	156	52
6	5	30	33	40	64	5	96	33	128	24	157	48
7	6	25	34	38	65	9	97	38	129	26	158	45
8	7	20	35	36	66	13	98	43	130	27	159	41
9	8	16	36	35	67	17	99	48	131	29	160	37
10	9	11	37	34	68	21	100	53	132	29	161	33
11	10	6	38	33	69	25	101	58	133	29	162	29
12	11	1	39	32	70	29	103	3	134	30	163	25
13	11	57	40	31	71	33	104	8	135	30	164	21
14	12	52	41	30	72	37	105	13	136	30	165	17
15	13	47	42	30	73	42	106	18	137	30	166	12
16	14	43	43	30	74	47	107	22	138	29	167	8
17	15	39	44	30	75	52	108	27	139	29	168	3
18	16	35	45	30	76	57	109	31	140	28	168	59
19	17	31	46	31	78	2	110	35	141	27	169	54
20	18	27	47	31	79	7	111	39	142	26	170	49
21	19	23	48	32	80	12	112	43	143	25	171	44
22	20	19	49	33	81	17	113	47	144	24	172	40
23	21	15	50	34	82	22	114	51	145	22	173	35
24	22	12	51	36	83	27	115	55	146	20	174	30
25	23	9	52	37	84	33	116	58	147	18	175	25
26	24	5	53	39	85	38	118	1	148	16	176	20
27	25	2	54	41	86	43	119	4	149	14	177	15
28	25	59	55	43	87	49	120	7	150	12	178	10
29	26	56	56	45	88	54	121	10	151	10	179	5
30	27	53	57	47	90	0	122	13	152	7	180	0

TEXTVS XLIIII.

Discernemus uerò deinceps in unaquaque prædictarum occursationum aut obituum iuxta ordinem ab ijs qui temporis breuissimi sunt, acceptū & interemptrices & scalares quæq; alias per traiectiones eueniunt, prout inficitur occursus aut iuuatur, ad eum quem diximus modum, & pro singulorum occursuum temporali exitu. Afflictis enim simul & locis & in exitu annorum reuolutione stellarum inficiente, præcipua loca, mortem certam expectare oportet. At si alterutrum horum humanæ naturæ laborāti succurrat, assultus magnos & graues, utroq; uerò iuuante, languores tantum aut damna & deportationes temporales, horum peculiari ratione accepta ab occursantium locorum ad genituræ negotia, necessitudine.

Docet duo, primum de interficientibus, secundum de climatericis, id est, qui inæqualiter ac quasi repente afficiunt uitam: quia quandoque iuuantur per traiectiones aut læduntur, seu per occursus, quemadmodum superius dictum est. Nam tales finientibus etiam annis per reuolutionem stellarum in progressione, ut in quarto libro habebitur: Si ab utroque lædantur, mors certa est. Si uerò unum iuuet, alterū lædat, (Hoc autem prætermittit) dubium est de uita. Sed ideò prætermisit, quia est ac si nihil iuuaret aut læderet. Si uerò unum iuuet reliquum non iuuet, neq; lædat, erūt magni insultus & graues: non dico pericula tantū, sed cum periculis læsiones. Si uerò utrunq; iuuet, pro morte erunt morbi, pro paupertate iacturæ pecuniarum, pro supplicio exilia, pro iactura existimationis peregrinationes iuxta peculiarē rationem locorum occurrentium ipsi significatori. Hæc autem sunt adiecta ob tres causa: prima, ut doceret promissores semper aliquid præstare, non semper omnia quæ pollicentur, & quando, & quomodo, & cur. Secūda, ut ostenderet artem esse infinitam, & quæ iudicio & coniectura ac existimatione solum perfici posset. Tertia, ut declararet hoc caput non solum inseruire uitæ cui nuncupatum est, sed etiā omnibus alijs causis, scilicet dignitati, diuitijs, itineribus, atque alijs omnibus quæsitis. Exemplum habes locuplex in nostra genitura, quo potes multum te adiuuare: anno trigesimosexto ætatis, Saturnus peruenit ad ascendens, & erat in proprio trigono & finibus & inimicus ascendenti, ideò debuit omnino interficere: Verum quia radij Veneris & Mercurij cadebāt, post illum gradu uno cū dimidio, & Venus erat amica ascendenti, carpentum habens in illo & Mercurius in natura Veneris dominus trigoni loci in quo est & loci Saturni, & ascendens robustum propter Iouis præsentiā, & quasi geminatum Apheta, cum radijs Lunæ sextilibus & ipsa domina ascendētis & in proprio trigono, non interfecit, sed dedit fluxum urinæ non inuoluntarium sed potius multitudinem tantum, à qua perfectè nunquā potui liberari. Et ne credas me nugari, quandoque perseuerat per aliquot dies ad multitudinem unciarum fermè centum, nec tamen læsus nec factus macilentus ob hoc: Et manifestum est quod fit à frigiditate. Et medicus absurdus Astrologiæ imperitus, solum uidens primam indicationem, curando me cum frigidis, ut quidā consulebant, interfeciſſet. Et causa quare tot Planetæ auxiliatores non potuerunt liberare, est quia Luna est debilis in duodecima, Iupiter retrogradus, peregrinus, dominus octaui loci & extra ascendēs secundum longitudinē, Venus & Mercurius debilissimi in sexto loco, & uespertini de nocte & quasi sub radijs, & Mercurius præter id retrogradus. Et hoc exemplum, si bene animaduertis, docet te infinita. Et ego utor exemplis in mea genitura & filiorum tantum cum plurimæ aliæ sint illustrissimæ, quia ubi de directionibus agendum est, exquisitissima temporis notitia opus est, ne artificis error in alijs arti tribueretur.

Cap. 8. & 9. & ultimo.

Notandum quod ex hoc textu Ptolemæus insinuat ipsummet punctum concursus radij Anæretæ uel corporis eius cum Apheta esse obseruandum, & in eo fieri effectum.

fectum. Quia dicit quod si processus aut ingressus non conueniat non interficit: Ergo non expectat congressum in operando, sed statim operatur. Attamen dico quod post etiam & ante operatur cum processus conuenerit & quandoque interficit, cum in ipsa hora congressus non interfecerit. Vnde duo magni morbi sibi inuicem succedentes paruo interuallo indicant mortem in secundo: quia indicant, uel quod cõcursus præterijt sed à processu impeditus prius post adiutus & ita interficit, uel adiutus congressus in primo morbo, sed non perfectus, in secundo perfectus interficit. Et ita punctus ipse aliquid semper operatur: non negat Ptolemæus propter hoc quod in sequentibus uerbis & in ultimo capite operis dicit, concursum quamuis imperfectum, adiutum processu, perficere opus.

TEXTVS XLV.

Nihil uerò prohibet interdũ dissidentibus ijs penes quos interimendi ius esse oportet occursus singulos æstimantes, aut ijs maximè uti qui ad exitum euentuum & ad ea quæ post consequutura sunt, comparati esse uidentur aut omnium pro uirium magnitudine ualentium, obseruationem instituere, eorum uehementiam & imbecillitatem ijsdem rationibus coniectantes.

Causam subiectarum nostrarum geniturarum diximus esse exactam notitiam illarum: nec consensus illarum inter se tum paternæ, tum etiam auitæ parum facit. Itaq; & illud adiecimus, peculiarem necessitudinem locorum obuiantium ad geniturę loca esse obseruandam. Veluti si qui iuuat aut nocet parti fortunæ imperet, erit id ob diuitias: Quòd si itinerum loco erit, detrimentum in itinere si noceat: Si autem iuuet, ex transmutatione aëris uel itinere ad balneas. Rursus si ascendenti dominetur iuuetq;, ipse industria & animi fortitudine euadet: si noceat, despondebit animum, uoletq; quoquomodo mori. Quod etsi per se rarum sit, frequenter tamen contingit ob alias causas: Velut desperationem, iram, timorem, luctum. Adijciunt alij quod Iupiter auxilia significat per medicos in morbis, & in uiolẽtis à magistratibus. Venus uerò in uiolentis ab amicis gratia, largitionibus: In morbis autem diuinam quandam & certè incognitam sanationis rationem pollicetur: Velut per somnia, præcantationes, fortuitosq; quosdam casus. Cui etiam opinioni Ptolemæus consentit.

Cæterum quod ad textũ præsentem attinet, si duo uel tres Aneretæ simul obuient, morietur certe. Sed unde mors duo dicit obseruãda Ptolemæus & tertium insinuat. Primum est ut à robustiore sumas indicationem, ueluti radij oppositi corpore sunt potentiores: corpus radijs quadratis: sinistri radij quadrati potentiores dextris: quoniam in sinistris Planeta imitatur eum qui se toto corpore injicit in ictum, in dextris qui se retrahit. Similiter stantes & in angulis robustiores sunt motis & cadentibus: & directi retrogradis: & aucti motu tarde se mouentibus & dignitatem habentes in loco ubi manent & ubi radios projciunt quàm si in altero locorũ uel ambobus sint peregrini: & ascendentes & absidem magis quàm descendentes: & commixti alijs Planetis uel fixis quàm solitarij: & propè ecliptică quàm remoti: & boreales quàm australes: & orientales occidentalibus: & supra terram ijs qui infra terram: & diurni de die nocturnique de nocte quàm contrario modo: & in masculinis signis quàm fœminis: & iuxta quatuor puncta cardinalia maximè uernum & æstiuum, quàm in alijs locis, & in fixis signis quàm mobilibus uel communibus: & generaliter Saturnus ualidior est interfector quàm Mars, & in morbis maxime. Secundũ est quod debemus præponere eum qui consentit cum alijs, ueluti si Saturnus & Mars sint Aneretæ Saturnus significet mortem per morbum, Mars uiolentam, Sol uerò significet publicam: Vel Mercurius latronem & furem, uel Iupiter significet iudicium & damnationem à iustis uiris, tunc dicemus quod morietur morte uiolenta, & nõ ex morbo. Et si incidant in eadem tempora Saturnus significabit morbum succedentem cruciati-

bus tormentorũ & triſtitiæ ac mœrori animi & ſqualori ac pedori carceris. Tertium quod inſinuat Ptolemæus eſt quod ſi aliqua calamitas publica accedat, utpote ſtrages in prælio, naufragium, peſtis, morietur ex illa Anæretæ afflictione, quę illi magis calamitati congrua fuerit.

Caput decimumquintum.

TEXTVS XLVI.

De forma & temperatura corporis.

INarrata à nobis de uitę ſpatio pertractatione, dicamus ſecuti præſcriptã ab initio ſeriẽ, de forma & corporis deliniatione. Quandoquidem quæ corporis ſunt natura ante animam fin guntur, & corpus cum ſit denſius, cognatas ferè habet peculiarium ſuarum commiſtionũ apparitiones. Anima non niſi poſt & pau latim infuſas ſibi à prima origine dotes in lucem profert. Quæ uerò extra nos ſunt, ſuccedenti magis deinceps tempore aduentant. Obſeruare igitur uniuerſum oportet orientalem finitoris partem & ſuccedentes aut gubernandæ eius ius poſſidentes errones, ſicut diximus. Partim uerò & Lunam ſimiliter. Nam ex horum locorum ꝝ ſ ꝙ imperantium informan di natiua ui & horum temperatura, amplius ex coaſcendentium ipſis fixarum ſtellarum deliniatione, ea quæ ad corpus fingendum ſpectant col liguntur, ita tamen ut primas tribuamus ſtellis penes quas dominandi ius eſt, ſecundas ipſorum locorum peculiari naturæ. Primum igitur ſi quis illud ſingulari & ſimplici uia proſequatur, hunc habebit modum.

Dicit tria ſunt de quibus ſermo habẽdus eſt: corporis effigies, animi qualitates & fortunæ caſus. Corporis effigies ſtatim apparet, ut homo natus eſt, animi qualitates aliquanto poſt, tardius fortunæ caſus. Igitur primum de corporis effigie tractãdum eſt. Hæc igitur ſumitur ab octo rebus per ordinem. Prima eſt dominus aſcendentis. Et ſecunda dominus loci Lunæ. Tertia locus aſcendens ab horizonte uſque in finem domus: Veluti ſi aſcendat in prima genitura uigeſimanona pars Leonis, capiemus Solem pro parte minore ſed Mercurium pro maiore, quia plus eſt de ſigno Virginis longè quàm Leonis. Quarta eſt locus Lunæ. Quinta ſtellæ coaſcendentes domino aſcendentis. Sexta ſtellæ coaſcendentes domino loci Lunæ. Septima ſtellæ coaſcendentes aſcendenti. Octaua ſtellæ coaſcendentes loco Lunæ. Iſta igitur ſic ſe habent per ordinem, ita tamen ut multum faciat linea finitoris, ſicut & in dominis coaſcendentes per centrum ſtellæ: quia remotio per unum gradum nõ dat dimidium effectus: Et per duos gradus quartam partem. Volo dicere quod ſi aliquis Planeta ſit in linea finitoris & alius ſit propè unum gradum domino aſcendẽtis, quamuis dominus aſcendẽtis ſit in primo ordine & aſcendens in tertio, tamen plus poterit ſtella quæ eſt in finitore, illa quæ eſt cum domino eius. Neq; eſſet inconueniens quod aſcendens præferetur domino loci Lunæ: quia textus Græcus habet ἐνί μερους δὲ ☾ τῷ ☽ ἁσάντως non κατὰ μερους. Et mihi placet hæc opinio. Vtcunq; ſit, ſi uni Planetæ plura ex his contingant plura etiam poſſe conſentaneum eſt, uelut in octaua genitura Venus, Luna & Iupiter multiplices habẽt poteſtates ſinguli. Iupiter eſt in finitore & eſt dominus loci Lunę: Venus domina loci Lunæ & aſcendẽtis ſoliũ habens in utroq; : Luna per ſe ſignificat, dominaq; eſt aſcendentis & ipſum ſextili aſpectu reſpicit. Planetæ autem qui commiſcentur illis ſunt Veneri quidem Mercurius propter coniunctionem & Saturni radij trigoni. Lunæ uerò Mars propter quadratum &

caput

& caput Persei. Nam coascendere dicunt quotiescunq; fuerint in eodem semicircu lo positionis superius declarato. Hoc aũt si uelis inuenire per planisphæriũ licebit, melius etiã per sphærã solidam. Non ueto quin per tabulas Ioannis Monteregij id peragas: Et sunt exactiores instrumentis, nisi instrumenta sint magna ualde, tamen usus tabularum est tædiosus, laboriosus, & periculosus de errore: Et maximè quia Monteregius malè fecit in hoc quod non apposuit rationem operationum, quam ui demus in tabulis Alphonsi: adeò ut nisi sit peritissimus Mathematicus, oportet ut perpetuò inhereat regulæ & tabulæ Mõteregij, quod ipse studiosè fecit ut homines essent serui libri eius: Vnde iustè à patre meo reprehendebatur. Nam homo fit obnoxius errori trifariam: Primum si tabula aliqua in parte mendosa sit: Secundum si sinistrè aliquo modo regulam intelligas, quod facile euenit inter tot uarietates latitudinis borealis, australis, ascensionis rectæ, obliquæ, arcus nocturni uel diurni, totius uel medietatis in meditate, descendẽte uel ascendente super terram uel infra terram: ob id meo iudicio optima est sphæra solida magna, uel planisphærium magnum & adamussim ex ære factum. Nos tamen aliquãdo si licebit (Est autem breuis res utpote duorum foliorum) rationem harum tabularum explicabimus. Nunc autem sufficiat monuisse lectorem qui his cum ratione uti uoluerit, ut quemadmodum fabricatæ sint intelligat. Intelliget autem alioquin iam exercitatus tamẽ, si tabularum eiusdem Monteregij de primo mobili regulas seu propositiones diligenter fuerit assequutus. Cæterum ut ad rem reuertar, in præsenti negotio postquam res per circulos positionis agitur & corpulenta est, corpusq; Planetæ aut stellę non uirtus sola requiritur, non minor utiq; habenda est latitudinis ratio quàm longitudinis, quod peculiare fermè est huic negotio de forma corporis habenda atq; proprium.

Verum dubitabit aliquis, nónne considerandæ erunt in hoc regio, & ciuitas, & uictus ratio, atq; parentum forma: nam uidemus plerũq; filios esse parentibus similes qualis est filia mihi: alios auis ut natu maior meus ad unguem similis patri meo? Respondeo quod de patria & ciuitate & modo uiuendi Ptolemæus superius in primo libro satisfecit, quia cum hic dicet quod Saturnus facit nigrum si sit occidentalis, intelligemus de Germano quod non erit niger sed obscurior alijs. Et Iupiter orientalis facit Aethiopas splendidiore & nitidiore carne, non albos. Et ita omnia quæ subiungentur intelligi debent & referri ad homines qui eisdem muris circũ ambiuntur. Porrò quod ad parẽtes attinet & auos & patruos & fratres, quoniam iam genituras consentire necesse demonstratum est. Illud uerò in quo consentiunt etiam in ipsa genitura comprehenditur, si uniuersam illam explicauerimus. Explicabimus & partem qua natus suis maioribus aut fratribus assimilatur. Adeò ut illa similitudo tanquam pars in toto contineat. Quòd si quis parentes agnoscat priusquam iudiciũ fecerit, nihil plus habebit quàm ut quod intellectu cõcepit melius exprimendo ac sensui propius ueriora dicere uideatur, ac non nati formam descripsisse quod Astrologi proprium est, sed depinxisse potius quod Physionomi officium est. Sed quod ad effigiem attinet quæ ex laboribus mutatur, ut in rusticis, uel ex arte, ut in ferrarijs fabris, uel ex uitæ miseria ut in pauperibus, uel ex morbo, uel ex casibus, non est hic sermo: quanquam de casibus sequenti capite dicturi sumus. Illud quoq; non est prętermittendum omnino, ut quæ hic de parentibus & de maioribus, tum de patria ac ciuitate ac consuetudine obseruanda esse diximus, aut omittenda ut non necessaria, sed solum utilitatis causa considerandæ pro effigie corporis inquirenda, eadem ad unguem etiam de qualitatibus animi dicta esse intelligantur. Com. 17. et 18.

TEXTVS XLVII.

Nam inter stellas sanè Saturnus quum orientalis est, flauos commodeq; habẽtes procreat, capillis nigris, crispo capite, oculis magnis & statura moderata: Temperatura uerò humidiore & frigidiore. Occidentalis uerò cum est, nigros & macilentos & paruos, capillo simplici, tenues

aliquantulum moderata ſtatura, nigris oculis, temperatura uerò frigidiori & ſicciori.

Iouis autem ſydus locis prædictis imperans, orientale, albos cũ quadam coloris commendatione, capillitio mediocri, nigris oculis & bene magnos, forma uenerabili, temperatura uerò magis declinante ad calorem & humorem. Occidentalis uerò cum eſt, albo quidem colore, ſed indecenti: item capillis rigidis, aut recaluaſtros etiam & caluos, ſtatura mediocri, temperatura uerò humidiore.

Martis ſydus orientale, rubeſcentes efficit & bonæ ſtaturæ, ac ualentes, oculis cæſijs, hirſutos, capillamento mediocri, temperatura calidiori & ſicciori. Occidentalis uerò rubẽtes omnino, ſtatura mediocri, exiguo capite, ſubtenues, flauis capillis, rigidos, conſtitutione uerò corporis ſicca.

Venus ſimilia ijs efficit quæ Iupiter, niſi quod elegantiora, & plauſibiliora, muliebremq; magis habitum decentia omnia habitiora, ſucculentiora, ac deniq; teneriora. Peculiariter uerò oculos dat decẽter ſublucidos.

Mercurius orientalis flaueſcentes, ſtatura temperata & conformi, oculis exiguis, capillamento mediocri, temperatura magis ad calidã accedente. Occidentalis uerò cum eſt, flauos, rara, & tenui corporis contextura, oculis cauis, caprinis pedibus, ſubrubeſcentes, cõſtitutione corporis ſicciore.

Quod dixit ἀιγόπoδας intelligere debemus tenues pedes & obliquos, aliqualiter cum tibia tenui quales ſunt capris. Credo tamen potius legendum αἰγιλωπας ab oculorum ſimilitudine cum capris: unde morbus oculorum ſic uocatus, quod hi qui tali morbo laborant caprillos habeant oculos. Eſtq; id rationi & experimento conſonũ: Sunt enim Mercuriales caprillis oculis. Cæterũ non ſolum ſimpliciter hæc ſcire decet, ſed compoſita obſeruatione: Velut quod ſi Sagittarius aſcendat, Iupiter uerò ſit in Geminis in ſeptimo loco, corpulentos facit & præpingues. Nam Sagittarius primo facit ſatis craſſos: & Iupiter plus, tũ maximè in angulo & aſcendens reſpiciens, & in Geminis ſigno humano & uernali & duplicis corporis, & ubi Iupiter cadit: ſic nos maximam corpulentiam obſeruauimus. Facit & hæc conſtitutio deſides, & deſidia corpulentiam, & corpulentia deſidiam: atq; ita uides quàm pulchrum ſit in his philoſophari. Animaduertendũ quod hæc & reliqua quæ dicentur maximè intelliguntur in ætate ſtatus, id eſt, à trigeſimo uſq; ad quadrageſimum annum. In cæteris uerò ætatibus relucent indicia harum conſtitutionum. Sed ſi fuerint euidentiora indicium eſt conſtitutionem eſſe ualidam.

TEXTVS XLVIII.

Opitulantur autem unicuiq; horũ cõfigurati. Sol quidem ad formam decentiorem producendam & habitiorem.

Luna uerò maximè in ſeparatione uniuerſim ad maiorem conformitatem & robur ac temperaturam uiuidiorem. Particulatim uerò habita ratione illuminationis ſicut in principio huius operis recenſuimus.

Per principium huius operis intelligit caput de cõfigurationibus erga Solem: Luna igitur in prima quadra, corpus facit humidum ualde & calidum parum atq; ita de alijs.

alijs. Et hæc propriè significat. Generaliter autem in separatione Arabes interpretantur: Ego malim intelligere ab ipso significatore formę corporis. Facit magis commensuratum, temperatum atq; uiuidius, robustiusq;.

TEXTVS XLIX.

Rursus in genere cũ matutinæ sunt stellæ & apparentes, ingentia efficiunt corpora, cumq; in prima statione fuerint, ualida, ac firmis lateribus: Præeuntes uerò, immoderata, & cum secundo constiterint imbecilliora: Occidentes uerò dignitate prorsus nulla, & uitiorum fœcunda.

Quinque ponit status trium superiorum orientalis ualidissimus, facit ingentia corpora: in prima statione, ualida: dum retrocedunt, malè temperata: ideò incõmensurata, lego: in secunda statione prorsus imbecilla: post uerò penitus morbosa, & sine ulla bona qualitate. Veneris uerò & Mercurij status non hi sunt, sed ex his intelliguntur. Non tamen adeò manifestas habent differentias, ut superiorum status inter se differunt: Quoniam inferiores magis inconstantes sunt, & neq; synceras habent constitutiones: nam cum primum in oriente ante Solem apparent, aut retrocedunt, aut ad Solem ipsum accedunt: Ita ualidi undequaq; esse non possunt.

TEXTVS L.

Ac cum loca quoq; ipsa ad configurationes maximè informationum, & tẽperaturas, ut diximus, conducãt, in genere rursus qui à uerno æquinoctio & æstiua conuersione intercipitur quadrans, coloris grati efficit, staturosos, ualentes, oculis nitidis, magis ad humidam, calidamq; temperaturam accedentes. Qui uerò inter æstiuam conuersionem & autumnale æquinoctium comprehenditur, colore medio, conformi statura, ualentes, oculis nigris, hirsutos, capillis crispis, calidiores & sicciores. Qui inter autumnale æquinoctium & conuersionem hybernam intercipitur, flauos, graciles, maculosos, raræ corporis contexturæ, capillamẽti mediocris, decentibus oculis, frigidiores & sicciores. Qui à brumali solstitio et uerno æquinoctio continetur, nigros, statura conformi, capillis rigidis, subtenues, temperatura frigida & humida.

Hoc est quartum. à quo effigies corporis. Igitur de signis ascendentis & loci Lunæ & in quibus domini horum duorum locorum constituuntur intelligendum est. Principaliter quidem de signis ascendentis, deinde Lunæ, post significatoris aut significatorum. Pertinet autem ad signa noni orbis, seu signa ecliptica æqualia, quorum initium est à uerna sectione. Per colorem gratũ intelligit roseum, per medium rubrum, per nigrum autem μελιχροας, non atrum sed fuscum, qui fit calore naturali in profundo, corporis delitescente: Sub quo etiam liuidus intelligitur.

TEXTVS LI.

Particulatim uerò humanæ quidem figuræ constellationes, tum intra signiferum quam extra comprehensæ conformia & temperata corpora producunt. Quæ uerò alterius sunt figuræ, deformant ea quidem iuxta suam uniuscuiusque formam hominis corporaturam. Et quodammodo similia ijs euadunt membra, uel magnitudine & paruitate, uel robore & tenerítudine, et cõformitate: Magnitudine ut uerbi gratia, Leo, Virgo

& Sagittarius. Paruitate, ut Pisces, Cancer, & Capricornus. Rursus, ut Arietis, Capricorni & Leonis, priora quidem & superiora ad ualentiorem corporis constitutionem faciũt, inferiora & posteriora ad infirmiorem: Ita contra Sagittarij, Scorpij & Geminorum anteriora quidem ad imbecilliorem temperaturam iuuant, posteriora uerò ad robustiorem. Similiter Virgo, Libra & Sagittarius, conformitatem adducunt & moderationem, Scorpius uerò & Pisces & Capricornus minus sibi constantem temperaturam & incommensuratam. Et in alijs similiter, quæ quidem omnia contemplantes & commiscentes, propriam & exactam temperaturæ rationem assequemur.

Primum signum sumpsit à natura Planetarum: Secũdum à mistione luminarium & habitu eorum: Tertium ab habitu Planetarum ad Solem. Quartum à signis zodiaci nonæ sphæræ de quibus in præcedenti textu. Et hæc magis circa temperiem & quę ab ea proueniunt: Quintum, quod est præsens, est de compositione & forma corporis, non de temperatura: Et sumitur à signis octaui orbis quæ constituuntur à situ stellarum. Propterea si quis causam uelit intelligere eorum quæ hic dicũtur à Ptolemęo & generaliter de cunctis signis octaui orbis quæ in zodiaco sunt pronunciare, habeat sphæram solidam aut in plano depicta signa cum stellis quæ in eo sunt, uidebit, uelut apud Higinũ, quod priora Arietis sunt magis suffulta syderibus quàm posteriora, & cur Scorpij posteriora sint ualidiora eadem ratione. Frequentia enim stellarum facit robur: commensurata illarum dispositio decentem formam: distantia in longitudine magna proceram staturam: in latitudine crassum corpus.

Caput decimumsextum.

TEXTVS LII.

De uitijs & morbis corporis.

CVm proxima his sit de uitijs & morbis corporis disceptatio, ea nobis primum explicanda est. Et hic eos qui generalem inuestigationem spectant, respicere oportet ad finitoris duos angulos, orientalem scilicet & occidentalem. Maximè uerò ad occidentalem, quodq; ipsum antecedit, quod quidem nulla necessitudine cum horoscopo coniunctum est: obseruare etiam maleficas stellas cõuenit, quomodo affectæ ad ipsum fuerint. Si enim ad partes succedentes ijs quæ iam dicta sunt constiterint, corpore aut radijs tetragonis, oppositiuisue, siue utræq; maleficæ, siue harum altera, uitia & morbos corporis nato infligunt. Idq; potissimum, quãdo luminariũ uel alterum, uel utrunq; in angulis, ita ut diximus, situm est, ut uel una sint uel ex aduerso. Tunc enim non solum si succedat maleficorum quispiam, uerum etiam si præcedat luminaria, ipse centrum obtinens potest uitium morbumue inferre, pro ratione locorum finitoris & signiferi, proq; natura ipsorum, uel maleficorum uel affectorum syderum, ijsq; configuratorum.

In quo differat uitiũ à morbo inferius declarat his uerbis (Separata enim sunt hęc duo, aq; uitium quidem semel infligitur, nec constantes dolores adfert, morbus uerò, uel con-

uel continuos uel reciprocos) id est, uitia sunt, ut cœcitas, surditas, claudítas: inflicta enim semel dolorem afferunt, inde postea nequaquã: morbi aũt in hoc conueniunt omnes, quod dum adsunt dolorem afferunt, sed duorum tamen sunt generũ, quidam enim sunt reciproci, ut asthma, comitialis, podagra, qui ut abscedunt, redeunt: morbi uerò non reciproci sunt, ut febres & morbi laterales. Vitia præterea fermè sunt inseparabilia, sed minus affligũt, morbi contra natura sua sunt separabiles, licet reciproci medij quasi natura sint inter simplices morbos & uitia. Lapis in uesica quãuis perpetuo affligat, morbus tamen est potius quàm uitium. Sed ut dixi quasi medium est. Quinq; igitur proponit in hoc textu, quibus ego tria alia ex ratione et obseruatione addo. Primũ est quasi materia & sunt tres loci, septima, inde prima, deinde sexta domus (ordine illas refero) adijcioq; quod obseruaui, rationiq; est magis consentaneum, primam & septimam uitia, sextam morbos efficere. Secundum quod habet rationem causæ agentis maleficæ in his locis positæ, seu oppositis, seu quadratis succedentes, id est, maximè prope & post illarum initia (ut in secunda figura Saturnus) significant uitia uel morbos. Mars quoq; in eadem figura idem significat: quia licet sit propè finem sextæ domus: quoniam tamen septima deterior est sexta, ideò nihil minus significat tota sexta domus quàm eius initiũ. Regula hæc enim declarata est superius dum de locis Apheticis ageremus. Quod cum duo loci coniuncti habent eandem significationem, pars ultima unius quæ alteri committitur eãdem fermè habet uim & aliquando maiorem si ualidiori in ea causa cõmittatur, quàm initium. Tertium, quod rem facit euidentem & auget (Nam pauci sunt qui aliquibus uitijs uel morbis non detineantur iuxta Poëticum illud: Quisq; suos patitur manes) scilicet constitutio maleficæ in angulo cum luminari uel in opposito eius uel quadrato: tunc enim uel uitia facit, uel morbos graues & inseparabiles si solum in sexto loco sit: Velut in secunda genitura, Mars in sexto loco est, radijsq; quadratis Solem in medio cœli petit, radijsq; ipsi succedunt Soli non illum antecedũt. Hic aliud adijciendum quod obseruaui, maleficas in sexta domo positas plus longè efficere quàm radijs locum afficientes. Quartum, quod in hoc statu sola una malefica etiam antecedens potest morbum inferre dummodo malefica sit in angulo ad unguem, hoc est, esse secundum centrum. Quintum, quod tales pestilentiæ contingent pro natura trium principalium seu potius quatuor, scilicet loci mundi, puta primæ uel septimæ domus, medij cœli uel imi, duodecimi uel sexti loci, & pro natura significri duplici, scilicet à configuratione stellarum & locis respectu punctorum cardinalium, ut sæpius diximus & maximè in capite præcedenti: Et à natura maleficæ, & affecti syderis & natura stellarum illis configuratarũ. Propterea difficile est inuenire morbum simplicem aut uitium propter tot causas quę principalibus commiscentur. Tertium est, quod nos adijcimus plurimum referre si domini locorũ ad corpus pertinentium, id est, ascendentis uel loci Lunæ, uel ipsa Luna in ijs locis malè afficiantur à maleficis extra positis, aut si maleficæ in his positæ illas alibi constitutas malè afficiant: Dico autem septimam & sextam domum. Nam prima rationem habet patientis loci, id est, eius qui afficitur potius quàm qui afficiat alium. Quamuis contingat etiam maleficas ibi positas nocere propter luminarium ab illis iacturam.

succedere

Cap. 11.

Comment. 11.

TEXTVS LIII.

Partes enim uniuscuiusq; signorum loco horizontis affecto circunfusæ, significabunt corporis partem laboraturam, & utrum uitium futurum sit, an morbus, an potius utrunq;: astrorum uerò naturæ, horũ euentuum genera & causas aperiunt. Nam ex potissimis hominis partibus Saturnus præest auditui dextro, uesicæ, spleni, pituitæ, & ossibus.

Iupiter, tactui, pulmoni, arterijs & semini.

Mars, auditum sinistrum possidet, renes uenas ac pudenda.

Sol, uisui imperat & cerebro, cordi, neruis & deniq; dextris omnibus.

Venus, in olfactum, hepar, & carnem dominium exercet.

Mercurius, sermonem gubernat, & menti, rationiq; præsidet, linguæ etiam, felli & sedi.

Luna, gustui, & gulæ, stomacho, uentri, uuluæ, & sinistris omnibus.

Videtur in his uerbis quædam contradictio, quoniam primo dicit quod partes signorum significant partes corporis laborantes: & etiam an sint uitia, uel morbi, uel utrunque, & post modum dicit istud de Planetis: Nam docet quod Planetæ significant ipsas partes & non signa. Ad hoc Haly dat unam responsionem bonam, dicēs, quod intelligit Ptolemæus per partes signorum quæ sunt in horizonte, id est, in septimæ uel primæ initio fines seu terminos. Velut in secunda natiuitate Iupiter est dominus termini septimę domus, & Iupiter significat pulmonem & arterias, ideò morbus erit in pulmone. Et similiter in secunda natiuitate exemplari Haly, Sol afficitur à Marte & Cauda, & Sol significat neruos: ideò habuerit læsionē in neruis: & habebat pedem sicut bestiæ. Sed hæc responsio, quamuis bona sit, non uidetur satisfacere uerbis Ptolemęi: quia Græcè habet καὶ ἀσέρων φύσις τῶν τε κακουντων, καὶ τῶν κακουμένων, id est, & astrorum natura malè affectorum & malè afficientium. Vnde uidetur aliud uelle, per (Et) coniunctionem significare Planetas aliud partes signorum seu terminos qui ui Planetarum significarent. Præterea ipse exponit etiā de Sole & Luna, partesq; illis tribuit, sed Sol & Luna non habent terminos qui sint partes signorum, sed tota comprehendunt signa, sed Ptolemæus intelligit per corporis partem in signis partes exteriores, ita ut Aries capiti, Taurus collo, Gemini brachijs, Cancer pectori, Leo à furcula pectoris usq; ad umbilicum, Virgo uentrem inferiorem, Libra nates, Scorpio pudenda, Sagittarius coxas, Capricornus genua, Aquarius tibias, Pisces pedes. Per membra autem à Planetis significata intelligit interiora & humores. Quantum uerò ad distributionem ipsorum, quia Ptolemæus non fuit Medicus, melius erit iuxta rationem & experimentum ita partes corporis Planetis attribuere.

Saturnus præest auditui dextro, uesicæ, splenj, ossibus, melancholiæ & pituitę crudænon naturali, carthilaginibus & ligamentis.

Iupiter tactui, pulmoni, sanguini, iecori & carni.

Mars auditui sinistro, renibus, felli, bili atq; intestinis, & sedi.

Sol oculo dextro & cordi, & arterijs, sanguiniq; in eis contento.

Venus olfactui, gustui, semini et uasis seminarijs, pudēdis utrinq; sexus, uētriculo.

Mercurius neruis, menti, rationi, memoriæ, digitis, spiritui.

Luna cerebro & oculo sinistro & pituitę naturali, & quando est plena luminibus, significat pituitam multam insipidam, & dulcem: Et si commisceatur Saturno acidam, quia multa difficile fit salsa aut amara: sed uacua luminibus paucā. Ideò si Marti commisceatur facile amarescit uel fit salsa. Paucum enim à leui causa inficitur.

Similiter notandum est quod membra pleraq; à duobus uel tribus Planetis gubernantur: Vt cerebrum ratione substantiæ à Luna, ratione tot arteriarum à Sole, ratione spiritus & facultatum à Mercurio.

Quòd uerò dixit uitia simul & morbos, sunt uelut carcinomata & fistulæ.

TEXTVS LIIII.

Solent uerò uitia plerunq; accidere, cum orientales sunt maleficæ, morbi è diuerso quando sunt occidentales. Separata enim sunt hæc duo, ac uitium quidem semel infligitur, nec constantes dolores adfert, morbus uerò, uel continuos uel reciprocos.

Malus quanto potentior est tanto deterior: Orientalis autem potentior est occi-

dentali

dentali, ideò malefica orientalis dat uitia, occidentalis autem morbos. Bene aute docet Haly Ptolemæum per hæc uerba insinuare omne genus roboris & comparationem in illis superius descriptam. Comment. 45.

TEXTVS LV.


Quãtum ad accuratiorem minutiorũ euentuũ obseruationem attinet, sunt peculiaria quędam his considerãdis schemata, ab euentibus crebris ex similibus configurationibus originẽ habẽtibus, annotata & collecta. Orbitates enim portenduntur, alterius quidem oculi, quando Luna solitaria in præfatis angulis reperitur, aut cum Sole congrediens aut ei ex aduersum posita: Et cum in alterutra reliquarum erga Solem configurationum, applicatur nebulosarum stellarum alicui in signifero conuersantium, ut ijs quæ in Cancri constellatione sunt, aut Pleiadi, aciei quoq; sagittę Sagittarij et aculeo Scorpionis, partibusq; Leonis circa Berenices crinem, item urnæ Aquarij. Amplius quando Mars aut Saturnus ad Lunam in angulis sitam & occidentalem ipsi orientales ascenderint, aut hi ipsi in centris constituti, Solem antecesserint. Si uerò ambobus luminibus, siue in eodem signo, siue ex opposito, sicut diximus sitis configurentur, matutini quidem ad Solem comparati, ad Lunam uerò uespertini utriq; oculo minitantur. Mars quidem à plaga, aut pulsatione, ferro aut ustione, cœcitatem inducit, & ii Mercurio conciliatus est in palæstris & & gymnasijs, aut ab hominum malorum incursibus. Saturnus uerò per suffusionem, frigus, glaucomata, & his similia.

Tradita ratione generali, docet modo singularia. Et primo circa nobilissimã partem corporis, & operationem, id est, uisum. Et explicat quatuor modos, seu potius tres, nam quartus est compositus ex secundo & tertio. Et primus modus est quadruplex: Primus est, ut Luna sit sola in ascendẽte uel septima domo & applicet uni stellæ nebulosæ signiferi. Et numerat sex Pleiades Asinos, cuspidẽ Sagittarij, aculeum Scorpionis, urnam Aquarij, & quæ in Leone sunt iuxta crinẽ Berenicis. Circa quod notandum est quod quatuor sunt loci facientes uitia in oculis: Primus est nebulosarum stellarum: Secundus Lacteæ uiæ: Tertius stellarũ quæ sunt naturæ Solis & Martis, uel Lunæ & Martis: Quartus stellarum occultarum. Pręterea scias quod etiam in alijs angulis quãdoq; fiunt cœcitates, ut in figura subiecta patet. Nam cũ dictum esset mihi, uidissemq; puellam cœcã ambobus oculis prædixi necessariũ esse, ut Luna multum affligeretur, oblata figura apparuit Luna cadens & combusta in angulo cum Ioue cadente combusto & in angulo, & cum Mercurio, & cum stella occulta ex zodiaco & Iupiter erat in cauda sua & Venus etiam impedita & Saturnus in centro imi cœli dominus loci luminarium & Iouis & cum tribus stellis de natura Martis & Lunæ, quarũ una etiã est nebulosa & omnes Planetæ in uia Lactea & sub terra: Ideò cœcitas erit incurabilis quæ incepit à paralysi quarto anno cœcitatis & processit ex dilatatione pupillæ: Ideò erit breuis uitæ etiam, uel saltem morbosa toto tempore uitæ suæ. Sunt enim beneficæ impeditæ & ambo luminaria impedita & omnia in angulis & sub terra, & Saturnus dominus omnium in centro imi cœli & cum nodo. Est autem ex gente illustri. Secundus modus est quod Luna sit in quadrato dextro uel sinistro Solis cum his omnibus & est peior. Tertius modus est si his stantibus Luna sit in opposito Solis: Et manifestum est, quod est adhuc secundo deterior. Quartus si fuerit coniuncta Soli cum his, scilicet, ut sit in uno illorum angulorum, & uadat ad unam stellam ex his applicando ei, & hic est pessimus.

Secun-

Secundus modus principalis quando Luna fuerit in altero istorum angulorũ post Martem uel Saturnum & in eisdem angulis.

Tertius modus quando loco Lunæ fuerit Sol & ante ipsum Saturnus uel Mars in angulo, tunc significatur ex quocũq; horũ trium modorũ cœcitas in altero oculorũ. Nota quod per centra intelligit, ut aliâs dixi cuspides angulorum, ut non intelligas fines ipsorum angulorũ. Nam angulum uocat γωνιὼν, anguli autem summitatẽ κέντρων Græcè Ptolemæus.



Circa secundum modum potest esse triplex sensus: Primus est, ut Luna sit post malefi cas, sicut etiam Sol: Veluti ascẽdat primus gradus Arietis, & Mars sit in tertio gradu & Luna in qnto, uel sexto eiusdem: Et hoc modo legit Haly: Et sic non differt à modo Solis. Sed non uidetur uerisimile, quia Ptolemæus facit differentiam inter modum Solis & modum Lunæ. Et etiam quia in uerbis sequentibus dicit quod maleficæ debent esse matutinæ ad Solem, & uespertinæ ad Lunam: At sic essent matutinæ etiam in comparatione ad Lunam. Præterea quomodo possunt ascendere ad Lunam, nam neq; motu diurno, cum antecedant ipsam Lunam, nec proprio cum Luna sit uelocior illis? Secundus sensus est, ut gratia exempli, Luna sit in decimo gradu Arietis in occidente: Sit autẽ gradus occidentis, quartus Arietis: Et Mars sit in oriente in duodecimo gradu Libræ: Tunc Luna erit occidentalis à malefica, & tamen malefica ascendet motu diurno ad ipsius Lunæ oppositum: quia Luna est propior angulo quàm malefica. Et iste modus posset esse uerus, quia stat cũ litera & ueritate rei. Tertius sensus est ut legat Litera hoc modo (Amplius quando Mars aut Saturnus ad Lunam in angulis situm & orientalem ipsi occidentales ascenderint) utpote quod Luna sit in primo gradu Libræ & ascẽdat uigesimaoctaua pars Virginis & Mars sit in tertio uel quarto gradu Libræ: Tũc Mars ascendit ad locũ Lunę motu diurno: & posset etiã dici orientalis in cõparatione ad Lunam non mutando literam: quia posteriora sunt propinquiora orienti quàm anteriora. Veluti si ascẽdat decima pars Arietis, sexta pars est propinquior orienti: Et dicitur magis orientalis quàm quarta pars: Et quarta quàm prima. Sed hoc modo oporteret capere orientale sub alio significato. Quidquid sit, intellectus literæ Ptolemęi debet capi sub tertio uel secundo sensu & non sub primo: quia etiam sub his duobus sensibus ultimis respondet experimento & rationi. Ratio autem talis est, ponamus Solem in primo gradu Arietis, Martem in uigesimaoctaua parte Piscium, & Lunam in uigesimasexta eiusdem. Tunc dico quod Mars ascendit ad Lunam motu diurno, quia proprio nõ posset eam attingere: Et Luna motu proprio uadit ad Martem. Et ita fit duplex mutuus concursus, quamobrem Luna damnat. Rursus Mars damnat Solem quia Sol motu diurno fertur ad locum Martis, & ita damna

tur ab

tur ab ipso. Et si dicas quare requiritur dispar ratio in Luna & Sole respectu motus diurni: Nam in Lunæ motu diurno malefica fertur ad Lunam, & in Sole Sol fertur ad maleficam? Respondeo quod cum motus ab occidente in orientem sit quędam retardatio motus diurni, sic fit quędam collisio: quia Luna motu proprio mouetur ad maleficam, & malefica ad Lunam motu diurno & ideò breuiore tempore sibi occurrunt, quare etiam maiore concursu quasi colliduntur. In Sole autem cum Sol sit potentissimus non potest offendi nisi à potente Planeta: Sed superiores occidentales & prope Solem maximè sunt debilissimi: Igitur si debent inferre cœcitatem, oportet ut sint orientales ipsæ maleficæ à Sole.

Quartus modus est quando uterq; oculus damnatur, oportet autem ambo luminaria esse in centro eodem uel oppositis. Reliqua sunt clara, sicut etiam illud quod Saturnus faciat ista per morbos & sensum: Nam est frigidus & infert sua mala paulatim: Mars calidus & ideò uiolenter & repente.

TEXTVS LVI.

Rursus quando Venus constituitur in aliquo prædictorum angulorum maximè in occasu cum Saturno congrediens, aut ei cõfigurata, aut loca mutuo cum eo permutãs, & supra eam Martis sydus attollitur, aut ex opposito ferit, maribus quidem sobolem negat, fœminis uerò abortiones decernit, crudos partus ac fœtus laceros, maximè in Cancro, Virgine, & Capricorno, ac si Luna in ortu Marti se applicat. Quòd si Mercurius Veneri hoc modo configuretur cũ Saturno, & rursus Mars supra eam elatus sit aut ex aduersum respiciat, eunuchi aut hermaphroditi, & quorum genitales meatus concreti sunt in lucẽ producuntur. His ita habentibus cum etiam Sol configuratur & luminaria, unaq; Venus, masculina sunt, & Luna occidentalis, & ad eam maleficæ per proximè sequẽtes partes ascendant, mares quidem euirati nascuntur & testium uitijs afflicti, præcipuè in Ariete & Libra: fœminæ uerò, infrugiferæ & steriles. Aliquando neq; ab oculorum uitijs liberi sunt, qui ita nascuntur.

Exponit secundum singulare magnum quod ad sterilitatem pertinet, cuius sensus est: Si Venus fuerit in oriente uel occidente sed magis in occidente, & Saturnus fuerit cum ea uel in illius aspectu quadrato uel opposito, uel commutet dignitatem, ut si Saturnus sit in Tauro & Venus in Capricorno & Mars super Venerem eleuetur uel opponatur, significat ut in textu. Quid autem sit eleuari uisum est superius. Comment. 10.

commutare dignitatem

Secundus casus est deterior, ubi omnibus his positis Mercurius Veneri iungitur aut respicit aut locum commutat. Quæ sequuntur clara sunt.

Tertius casus est, cum his omnibus positis luminaria configurantur Veneri uno trium modorum dictorum in Saturno et Mercurio, & Luna fuerit occidentalis & ad eam ascendant maleficæ quod est super eam eleuari: Tunc hoc erit pessimum, & simul patientur & in membris genitalibus & in oculis. Manifestum est enim quod talis constitutio ratione luminarium offendit oculos, & ratione Veneris genitalia. Itaque utrunq; complectitur detrimentum.

Mercurio iuñ.

Notandum quod ut benè dicit Hali si hæ constitutiones fuerint ualde potentes, erunt à natiuitate: Et si debiliores, erunt post natiuitatem. Tempus autem cognoscetur ex quinq; robore constitutionis, quod facit celeriorem euentum, situ Planetarum ad mundum & Solem, progressionibus, directionibus & diuisionibus ætatum cum natura Planetæ uitium significantis congruentibus.

TEXTVS LVII.

Impedita lingua sunt & blæsa, ac balbutiente, quotquot Saturnum & Mer-

ATENEO VENETO VENEZIA

Mercurium habent in prædictis angulis congredientes cum Sole, maximè quando occidentalis etiã est Mercurius & ambo cum Luna configurantur. His uerò forte adiunctus Mars, soluere plerunq; solet linguæ inuolutionem, posteaquam Luna illi obuiam fit.

Hic est textus qui hæreticos in Astrologia ad fidem deducere posset, unde mira fiunt pronostica.

Sed nec omnia hæc quæ sequuntur duo uitiorum genera solum eueniunt cum maleficæ & significatores in angulis fuerint, sed etiam si in sexto loco omnes uel alter eorum, id est, malefica uel significator ex sexto loco alterum respexerit quocunque aspectu, uel etiam si extra locum. Malefica ipsa ipsi sexto loco dominetur: Erunt tamen leuiora. Et inter hæc sextilis uix sentitur, sicut oppositio pessima est. Et hæc si in signis congruentibus fiant erunt deteriora: Velut in mutis signis pro læsione linguæ. Sunt autem muta signa Cancer, Scorpio, Pisces, rauca uerò quadrupedum ueluti Arietis, Tauri & reliquorũ. Exemplũ habes in genitura filij mei ultimi inferius.

TEXTVS LVIII.

Rursus si uel lumina ad maleficos in centris hærentes ascenderint, aut ex opposito ab ipsis impedita fuerint, maximeq; Luna in nodis siue flexuris constituta, aut in signis obnoxijs, nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio, & Capricorno, uitia corporis eueniunt, gibbi scilicet aut claudicationes, & luxationes, siquidem cum ipsis luminaribus fuerint maleficę ab ineunte ętate & horæ partus. Sin autẽ in cœli fastigio fuerint & supra luminaria eleuentur, eq; regione ponãtur, à grauibus periculis, nimirum præcipitationibus, aut latronum incursionibus atque quadrupedum. Si Mars hoc pacto elatus est ab igne aut uulneribus tumultuose illatis, aut latrocinijs. Si Saturnus ex præcipitationibus, naufragio, artuum contractionibus.

Declarat quartum magnum uitium, claudos, gibbos, contortos, qui omnes fiunt maximè propter nodos cum in ascendente uel alijs angulis fuerint: maleficis adiuuantibus: fiunt enim impressiones magnæ cum ipsę ad apices angulorum cum luminaribus ascenderint. Sed si in eadem parte etiam fuerint constituti uitia erunt à nativitate. Declarat etiam quod maleficæ in Medio cœli declarant talia accidentia contingere per terribiles casus quos declarat in textu. Sũt autem loci praui Caput, & deterior Cauda & nodi Planetarum proportione respõdentes Capiti & Caudæ, id est, sectiones ubi Planetæ eclipticam transiere eundo ad meridiem & boreã: & quædam signa detruncata quæ sunt Aries, Taurus, & reliqua quæ in textu ponuntur.

Inquit Hali ego prædixi gibbositatem quæ durauit duodecim mensibus in nativitate in qua Luna erat iuncta cum Marte & capite Draconis in duodecima domo, qui erant in quadrato aspectu Solis cum Ioue, qui in tertia erant. Et temporis quantitas tot mensium quotus est numerus annorum reuolutionis Iouis: Quia Iupiter sub Solis radijs positus erat. Ego uerò obseruaui frequenter Caudam maximè cum Luna & persæpe cum alijs Planetis in angulis constitutam obliquos quoquomodo efficere. Itaque diligenter inspiciendum cum nodos Planetis iunctos in angulis inueneris.

TEXTVS LIX.

Verumenimuero uitia ut plurimũ eueniunt in signis tropicis & æquinoctialibus Luna uersante. In uerno quidem signo, potissimũ ex uitiligine: In

ne: In æstiuo ex impetigine: In autumnali ex lepra: In hyberno ex lentigine, & id genus alijs.

Hoc est quintum uitium, quod ad cutim pertinet solum & carnes, & leuius est cæteris. Est autem clara textus sententia, modo per lepram intelligas squammosam scabiem & profundam, non elephantiasim. Significare potest & dominus ascendentis damnatus hoc modo in autumnali signo quemadmodum in nostra genitura. Proportione autem respondent morbi temporibus. Leuissima est uitiligo quæ solam cutem fœdat: grauior impetigo quæ colorem pilorum mutat, profundius in carne hæret: deterior lepra autumno respondens, pruritum enim adducit.

TEXTVS LX.

Morbi uerò accidere plerunq; solent, quando in prædictis constitutionibus malefici configurant modo contrario, uidelicet uespertini cum Sole, cum Luna matutini. In genere uerò Saturnus uentres frigidos efficit, superuacuis humoribus plenos, pituitosos, defluxibus obnoxios, tenues, ualetudinarios, dissentericos, tussientes & ægrè sordes tussi ejicientes, colicos, leprosos, amplius fœminas ex utero laborantes. Mars sanguinem expuentes, atra bile detentos, anhelosos propter affectum pulmonem, scabiosos, & qui nunquam non uel in scissuris uel ustulationibus, aut tectioribus corporis partibus laborēt, fistulis nimirum, sanguinis efluxibus, adustionibus etiã ac succensis, depascentibusq; ulceribus. Fœminas amplius præter hęc abortibus, aut fœtus mutili & inchoati enixibus & corrosionibus solet inuoluere.

Debilioribus constitutionibus fiunt morbi: Ideoq; cum maleficæ ante Lunã, (refugit enim Luna ob proprij motus celeritatem) uel post Solem (debiles enim sunt) peculiariter uerò Saturnus morbos facit longos frigidos, & ea membra afficit quæ sunt exanguia, & quæ tamen officio addicta sunt, ueluti uentriculum. Pulmones uerò ob defluxiones, quia cerebrum lædit. Et ut una regula omnia comprehendam, Iupiter & Venus ueri assimilantur & temperatæ constitutioni, Mars æstati, Saturnus hyemi, Mercurius autumno. Vide igitur quinam morbi æstate & hyeme uigeant, & tales unicuiq; maleficæ tribues, quæ illi tempori assimiletur.

TEXTVS LXI.

Peculiares etiam astrorum configuratorum naturæ ad corporis partes peculiaria quędam in morborum generibus efficiunt. Iuuat autem ad malorum uehementiam Mercurius. Saturni enim frigus intendit ei conciliatus, magisq; constanti motione incitat pituitæ defluxus, & humoris turbam præcipuè circa pectus, uentriculum ac guttur. Marti operam nauat exiccando, ut in ulceribus ex denudatione & siccitate prouenientibus, incrustatis apostematis, igni sacro, lichenibus feris, siue ex nigra bile orientibus, comitiali, lepra & his affinibus.

Lichenes feras, uocat graues impetigines & forsan elephãtiasim. Mercurius enim in uniuersum omnium sex Planetarum naturam induit: Et ut facilius mala eueniunt quàm bona, ita ad morbos promptior. Propriè autem impetum addit materiarum fluxui propter motus facilitatem & tenuitatem substantiæ luminis.

TEXTVS LXII.

Similiter iuxta signorum uariationes, eorum uidelicet quæ in angulis

est dictis figurationibus circunfunduntur, accidunt quędã morbis propria. Cancer enim in primis & Capricornus, Pisceſq́, & omnino quæ terreſtribus ſunt & aquaticis ſimilia ſigna, ulcerum depaſcentium ac ſerpentium calamitates infligũt, impetiginum, ſcrophularum, fiſtularum, lepræ & his ſimilium. Sagittarius uerò & Gemini comitialem. Et quæ in poſtremis partibus ſignorum reperiuntur aſtra, extremis artibus morbos & uitia inferunt, per humorum ſcilicet defluxus, unde lepræ & uniuerſim podagræ & chiragræ oriuntur.

Hic ponit proprietates ſignorum octaui orbis quæ deſcribuntur per ſtellas, ſicut prius ibi (Verumenimuero uitia) proprietates ſignorum noni orbis. Itaque Cancer, Capricornus & Piſces faciunt depaſcentia ulcera & morbos iuxta cutim, tum quia animalia hæc naturæ ſunt Mercurij, tum quia hærendo comedunt. Sagittarius uerò & Gemini comitialem propter naturam Iouis & Mercurij miſtam: Et etiam quia, ut dixi, Mercurius dominatur rationi & neruis quæ ambo in comitiali morbo afficiuntur. Illud uerò de corporis partibus pulcherrimum eſt & conſideratione dignum, quod nõ à ſignis noni orbis ſed octaui indicia accipit: Vnde multi decipiunt: Cuius exemplum demonſtrabo in figura filij mei natu minoris.

TEXTVS LXIII.

His igitur ita conſtitutis ſi nullus beneficorum configurabitur maleficis morborum authoribus aut luminibus angulos occupantibus, inſanabilia & grauia erunt, ſiue uitia, ſiue morbi. Idem coniectandum eſt, ſi configurati quidẽ ſunt benefici, ſed à maleficis ſupploſi in poteſtate conſtitutis. Si uerò ipſæ beneficæ ſtellæ iuxta præcipuas configurationes poſitæ, ſupergrediuntur ſupra maleficas quæ morbis, uitijſq́ occaſionem dabant, tunc uitia decentia erunt, minimoq́ dehoneſtamento, morbi mediocres, beneq́ tractabiles & nonnunquam facile curabiles, quando uidelicet beneficæ ſtellæ, orientales ſunt. Ac Iupiter quidem humanis auxilijs per opes & dignitates tegere uitia ſolet, morboſq́ mitigare: Cũ Mercurio etiam medicamentis & Medicorum cõſilijs: Veneris ſtella deorum prædictionibus & oraculis uitia quodammodo elegantia plauſibiliaq́ efficit, morbos diuinitus petitis curationibus mitigabiles: At ſi illi Saturnus congreſſus ſit, non ſine ignominioſa pœna & uulgò nota, alijſq́ id genus: Si Mercurius non ſine ſubſidio & lucro ad ipſum ægrotũ ex morbis & uitijs redituro.

Septem facit, tria pro uitijs, tria pro morbis, & unum commune quod ad cauſam agentem pertinet. Cum enim uitia ſint inſanabilia, morbi uerò ſanabiles, ſufficit in uitijs ut tegantur & honeſtiora reddantur: Morbi uerò ut curentur conuenit: tegunturuerò & curantur ualidioribus auxilijs, ut etiam ualidioribus cauſis fiunt deteriores. Itaq; ab orientalibus ſtellis maiores procedunt utilitates & à beneficis auxilia, uelut à maleficis detrimenta. Ergo ſi nullę ſint beneficæ, nec morbi, nec uitia minus miteſcent: Si autem beneficæ ſupplodantur à maleficis utpote quod ſint in illarũ dignitatibus, ſcilicet maleficarum, beneficæ ſub terra ſint & in cadentibus locis, auxilia buntur quidem, ſed ualdè parum: Si uerò beneficæ fuerint potentiores, maximeq́ ſi ſint orientales, morbos quidem curabunt, uitia uerò tegent. Reliqua ſunt manifeſta, niſi quod Mercurius cum per ſe ſanare non poſsit, multum tamen Iouem & Venerem

nerem si bene sit dispositus, iuuat. De morbis quidem Ptolemæus fatetur quod diuino prætextu, Astrorum autem auxilio, curentur: De uitijs nequaquam. Quamobrem Christi & Sanctorum miracula non infringit. His enim uitia curabantur non morbi, nisi de socru Petri quę febri curata est: Sed id inter mira nõ miracula refertur.

Caput decimumseptimum.

TEXTVS LXIIII.

De qualitate animi.

DE ijs igitur quæ corpori eueniunt sit hoc ueluti simulachrum quoddam considerationis. Eorum uerò quæ ad animæ qualitatem pertinent, intellectus quidem & rationis contemplatio à Mercurij constitutione accipienda ubiq; est, morum uerò & hebetiorum animæ actionum & à ratione secretarum, à luminaribus corpulentioribus, nimirum à Luna & astris illius, uel separationi, uel applicationi configuratis.

Differentiam rationis & intellectus si uelis habere, quoniam ea ad Mercurij ũ spectant, ab hebetioribus animæ qualitatibus quæ à Mercurio pendent quales sunt prudentia, constantia, urbanitas, simplicitas, comitas, musicæ peritia, curiositas, diligentia, grauitas, austeritas, pietas, superbia, liberalitas, nitor, parcitas, inuidia, lętitia, impudentia, superstitio, morum compositio, facilitas, promptitudo, ineptia, patiẽtia, fides, et talia multa, considerare oportet mores illorũ in quibus maximum est discrimen constitutionis Mercurij & Lunæ. Et rursus eas in quibus Mercurius multũ Lunam exuperat, & uersa uice in quibus Luna multum Mercurium uincit, tum uerò in quibus utriq; pares atq; potentes, demũ ubi utriq; pares atq; imbecilles. Expositi autem plurima exempla in libris Astronomicis, Trapezuntij, Philelphi, Alciati, Petrarchę, Facij Cardani patris mei, Corbetæ atq; aliorum. Verum in omnibus duo memineris obseruare: Vnum scilicet ne Planetam ipsum sed locum eius, id est, nõ tam Mercurium & Lunam quàm loci illius dominos obserues. Alterũ ut hos locos & dominos ad ascendens ipsum conferas. Atq; ne omnino in incerto uageris & ut præsentia magis spectes, duas pro exemplo subieci. Harũ altera sexta est supposita rum in fine geniturarum, ubi Luna in Sagittario est, & cum Scorpij corde & in Solis quadrato & Veneris sextili licet occidua, tamen his gaudet: at Mercurius contra combustus in aqueo signo cadens à domo & exaltatione in Iouis quadrato. Itaq; literarum penitus ignarus ad summã peruenit authoritatem, fortuna, ut dici solet, uirtutem comitante. At contra in duodecima genesi Mercurius iuxta anguli apicem cum Venere à Sole liber & matutinus trigono radio Iouem aspiciens, illumq; recipiens in suo trigono. Luna uerò cõbusta cadens ab altitudine, ad Solem iens, in fine anguli, cum australi nodo absq; beneficæ testimonio undequaq; infelix: Quid aliud decernebat quàm in agendis uirum minimè, ut ita dicam, alijs similem, sed ineptum. Vnde illi in iuuẽtute misera uita, in senectute morbosa, tota uerò calamitosa, plena periculis & persecutionibus. At eruditio tanta ut etiam ipsis æmulis foret admirationi: Et mundum sanè ac seculum hoc nostrum illustrauit. Et ne quid ad maximũ discrimen horum duorum syderum in genitura hac deesset, unicus loci Lunæ dominus in uilissimo totius schematis loco fuit: Dominorum autem loci Mercurij uterq; in centris angulorum alter ascendentis reliquus occidentis, ut sic tota uita eruditione illustrissimus haberetur. Nec seniculorum quorundam more desiperet. Verum enimuero qui ultimum corpusculi illius labefactati spiritum dies clausit, idem uidit in summo sapientiæ culmine animum constantem atq; illæsum.

Lib. 2. com. 34 Meminisse autem ubiq; oportet inerrātium stellarum de quibus superius egimus. Et si cum Planetis sint, aut in locis principalibus, aut in positionis circulo cū dominis locorum Lunæ, aut Mercurij. Quodq; ibi prætermissum est, scilicet an statum habeant quæ sic constitutæ sunt stellæ: Voco autem statum cum eadem die in centris inueniuntur cum Sole, uel etiam Luna, uoco centra lineas angulorum. Contingit uerò hoc septem tantum modis utiliter. Primus est cum stella uideatur ante ortum Solis in oriente, uel si post ipsum constituta uideri possit ab occasu. Secundus ut statim ante ortum Solis uideatur stella in cœli medio, uel etiam si oriente Sole (at hoc debilius est) licet non uideatur stella cœli centrum ad unguem occupet. Tertius ut ante Solem orientem stella occidat statim, uel si simul quod minus est. Quartus, ut oriente Sole stella imum cœli obtineat ad unguem. Quintus cum Sole imum cœli occupante oritur ad unguem uel occidit. Sextus cum occidente Sole stella cœli mediū occupat, uel statim ab occasu, quod melius est. Septimus si occidente Sole stella ad unguem imū cœli occupet. Hi modi non coincidunt, neq; tamen plures imaginari possunt, qui nō coincidant. Nam cum ad statum diei referantur & ad potentiam, alij esse non possunt. Quòd si actu id contingat, ut scilicet Sol & stella in centris angulorum sint, erit hoc potentius ac firmius. Cæterum & illud pro sentētia Ptolemæi percipienda ac exemplis intelligendis obseruandum est, quod per animæ rationalis qualitates intelligere debemus imaginatricem uirtutem, memoriam, rationem, atq; intellectum. Verùm ne Ptolemæi sententiam à nostra alienā esse credas, intellige Lunam cerebrum significare, atq; eas uires quę magis ex sensibus pendent, & illis sunt propiores. Mercurius uerò significat spiritū cerebri. Vt ergo quilibet Planeta suos habet effectus & animi qualitates, siquidē Saturnus perseuerantiā & pertinatiā. Iupiter probitatē & simplicitatē. Mars fortitudinē & iram, unde crudelitas. Sol glorię amorem & ambitionem, seu superbiā. Venus amorē & luxum. Mercurius prudentiam & uafriciem. Luna promptitudinem & instabilitatem. Hæ diuersis in partibus corporis fundamentū habent, utpotè corde, iecore: nō tamen ad actū deducunt nisi cerebrum & spiritus animalis hos affectus suscipiendo exerceat. At cerebrum, ut dixi, Lunæ: Spiritus animalis Mercurio subijcitur: Quamobrem locum Mercurij & Lunæ in omnibus affectibus animi considerare oportet. Non tamen in singulis affectibus hi erunt principales, sed ut dixi, alios Planetas cōsiderare decet. Velut in grauioribus doctrinis Saturnum, & Iouem in eloquentia, Venerē in decore & maiestate, & glorioſis facinoribus Solem.

Dubitatur quonam pacto Mercurius poterit dici male affectus, cum in Alcíati genesi peregrinus & Marti iunctus sit, in secunda genesi combustus, in octaua uespertinus retrogradus & sub radijs, nec tamen ullus horū eruditionis fuit expers: Quinimo & in sexta genesi nō deest ingenium promptum, sagax, & illustre: Ptolemęus, ut dixi, non à Mercurij dispositione ingenij qualitatem uenatur, sed domini loci illius. Quòd si modo lædatur, facit hoc in signis aqueis præcipuè Piscibus, Saturnicq; radijs infelicibus afflictus. Nec tunc præter eruditionem quæ ex literarum studijs habetur quicquam negat. Nam retrocessum & combustionem ob consuetudinem non timet. Nec aliud præstat retrocessus nisi ingenij tarditatem, ut celeritas promptitudinem. Combustus uerò studia disciplinarum negat, eloquentiam & historiarū cognitionem non prohibet. Itaq; omnia potius ad loci dominum quàm ad ipsum Mercurium sunt referenda: Pati etiam parum uidetur ob proprij luminis claritatem & siccitatem: Vt contra Luna, quod Solis lumine plurimū splendeat & humida sit, multum uidetur affici. Eos uerò qui ita afficiuntur stultos solemus uocare, quod à communi usu deuient. Vbi uerò Mercurius malè afficitur solum hebetes appellamus: at hebetudo parui æstimatur, cum frequens res sit. Quanquam uiderim etiā non afflicta Luna, sed solo Mercurio uerum egregie à Sole & malefica præcipuè Saturno stultos factos esse. Ob id etiam contingit quod cum Mercurius ingenio prę sit, Luna moribus, pleroscq; stultos afflicta potius Luna quàm Mercurio fieri, cum tamen contrariū potius cōtingere deberet. Sed, ut dixi, afflicta Luna nati à communi consuetudine declinant,

nant, & ob id stulti iudicãtur. Mercurio autem laborante, ingenium fit obtusum, segne, & turbulentum: hoc tamen cum non adeò sit conspicuum hominibus, uerè stultos facit, non tamen ita uideri.

TEXTVS LXV.

Cum uerò multiplices sint animæ motionum & uariæ formæ, meritò sanè & hanc considerationem non simpliciter & temerè instituerimus, sed per multam ac uariam obseruationem. Ac signorũ quidem qui Mercurium & Lunam & dominium in eos exercentia sydera circumsistunt, differentiæ multum momenti adferunt ad peculiares animorum dotes & rationem habentium ad prędictorum astrorum genus configurationes ad Solem & angulos, ac denique peculiaris uniuscuiusq; syderis ad animæ affectiones procreandas natura.

Quod iam dixi constans est: scilicet non Lunam non Mercurrũ inspiciendos esse, sed eorum locos: hic uerò declarat quomodo istud sit obseruandum, atq; id ex quinque. Primum est locus ipse tam Mercurij quàm Lunæ: Secundũ est dominus illorum locorum: Tertium est constitutio colligatorum, ut ita dicam Planetarum cum illis locis, uel cum dominis eorũ habitus ad Solem: Quartũ habitus eorũdem ad angulos: Quintũ & ultimũ peculiaris cuiusq; syderis respicientis uel coniũcti illis locis proprietas ac natura ad animæ qualitatẽ declarandã. Quæ omnia singillatim exponet.

Circa quod notandum est, quod ut dicebat Hali in commento, si Mercurius sit robustior Luna, anima rationalis uincet sensitiuam: & maximè si Mercurius sit in signis longarum ascensionum, & Luna in signis breuium. Dico ego addendum esse quod sit Mercurius in signis imperantibus, Luna in obedientibus, tunc enim omnibus numeris rationalis anima sensibili imperabit: contrarijs causis sensibilis imperat rationali: atq; id est longè frequentius: adeò ut si uideas in illis genituris iam adductis quantumuis sapientissimorũ uirorum, in omnibus fermè præterquàm Erasmi & patris nostri Luna Mercurio dominat. In nostra uerò uehementius quàm uellem: ob id enim odio habemur quod cum alijs non sentimus. Causa autem cur tot homines sensibus pareãt, tam pauci rationi, à Ptolemæo exposita est: Quia Mercurius rationi, Luna animæ sensitiuæ pręest: at Luna plerunq; ualidior est Mercurio, propter duas causas. Prima qa longè maior est corpore & ualidior lumine. Secũda quia Mercurius propter paruam distantiã loci eius à Sole semper plerunq; est sub radijs eius.

Ex his liquet Planetas in centro ascendentis uel iuxta, maximas circa animi affectus uires habere. Etenim uix fieri potest, quin in Mercurij loco, aut Lunæ aliquã habeant potestatem: Qua ascendenti communicata simul & ob anguli robur maximè animum afficiunt. Saturnus igitur cautos, Iupiter eruditos, Mars efficaces, Sol graues, Venus facundos, Mercurius promptos, Luna comes facit.

TEXTVS LXVI.

Signa igitur mobilia ut generatim dicamus, publicolas mentes generant, ciuilium, forensiumq; negotiorum cupidas: Amplius, ambitiosos, diuinis uacantes, ingeniosos, agiles, indagatores, inuentores, benè coniectantes, refutatores, diuinatores. Bicorporea uerò signa, uarios, mutabiles, indociles, leues, permutationis auidos, neutiquam simplices, sed uersipelles, amatores, musicę studiosos, negligẽtes, obuios, ad pœnitendum pronos. Fixa, æqui obseruantes, ab assentatione alienos, constantes, firmos, intelligentes, tolerantes, laboriosos, rigidos, continentes, illatæ iniuriæ memores, cœpti operis prosecutores, contentiosos, ambitiosos, seditiosos, cupidos, perfractos, non facile flexibiles.

Locorum ipsorum naturam iam incipit declarare. Scientia & inuentio à mobilitate quadam ingenij prouenium. Ideò mobilia signa ad linguas præcipuè discendas sunt aptiora. Communia ad conuersationem, quia homines sunt natura fallaces. Fixa ad magna opera, & ad regnādum, nā tales decet esse graues & minime mutabiles.

TEXTVS LXVII.

Configurationum quæ orientales sunt & apud horoscopum, maximè quę in propria persona: Liberos simplices & præfractos, fortes, ingeniosos, & acutos, apertosq; faciunt.

Hoc est tertium & quartū: stellæ quæ sunt orientales & maximè cum primū emergunt à terra, ut nobis Iupiter, quia sunt potentes, faciunt liberos & suis uiribus confidentes. Eligit autem ex orientalibus in mundo solum quod est horoscopo proximum, ut in sequenti ex stationibus tantum primam. Comparat autem orientalem statum quo ad Solem exortui supra terram: Sicut in sequenti stationem primam, stellæ Medium cœli possidenti.

TEXTVS LXVIII.

Matutinæ uerò stationes & cœli culminationes: Ratiocinatores, constantes, magnanimos, memores, cœpta urgentes, immobiles, fortes, fraudis expertes, prudentes, inflexibiles, crudos, censores, negotiosos, scelerum uindices, scientijs idoneos.

Hic cōparat stationem primā in qua adhuc Planeta est orientalis (loquēdo de superioribus) ipsi cœli Medio: nā utrobiq; ut superius uisum est Planeta ultimū robur aquirit. Sic in sequētibus angulū occidentis, uespertināq; uisionē simul cōfert dicēs.

TEXTVS LXIX.

Ortus uerò stellarū in noctis exordio, & occasus: Instabiles, flexibiles, infirmos, laboris impatientes, facilè concitabiles, humiles, uiles, timidos, dubios, timidè audaces, obtusos, iactabundos, tardos.

Hic bifariā posset intelligi ortum stellarum in noctis exordio; scilicet cū in oriente emergūt oppositæ Soli, uel cum in occidente illum sequuntur: sed intelligit tātum de stellis tertij status, id est, quę Solis oppositionē iam superauerunt. Hę igit occasui in mundo comparant, utrinq; debiles: Debiliores tamen ratione Solis quàm anguli occidentis. Ideò animam pessimè affectam nunciant. Neq; tamen credas quod hic situs alijs in causis adeò debilis sit. Sed in animæ qualitatibus ualidissimus exigit.

TEXTVS LXX.

Vespertinæ stationes, & subterraneæ culminationes: amplius in Mercurio & Venere die quidem uespertini obitus, noctu uerò matutini: Ingeniosos, & sapiētes, nō nimis memores, neq; laborū, aut patientes, aut cupidos, occultorū perscrutatores & inuisarum rerum indagatores, ut magicarum, mysteriorum, sublimium, mechanicarum, fabrilium, operum mirabilium architectos, rerum cœlestium & philosophię studiosos, aruspices diuinatores ex somnijs, & his affines.

Hæc est quarta cōparatio in qua imū cœli confert uespertinæ stationi, id est, secundæ in qua superiores dirigi incipiūt. Et est status mediocris, quia stationes natura sua sunt ualidæ, sed secūda est debilior prima. Huic igit comparat status inferiorū, scilicet Veneris & Mercurij. In die uespertinum obitum in nocte uerò matutinū, scilicet occasum: pro quarum intellectu tabulam hanc subieci ex decimotertio Magnę compositionis, qua possis scire quando inferiores maximè tum superiores etiam uideri possint, aut occultentur. Plurimum enim hoc interest cū Planeta exiens è radijs Solis sit in optimo statu, occultatus uerò omnibus uiribus careat.

Tabu-

Tabula Ortus & Occasus Planetarum.

♄	☉	☿	☽	♂	♃	♀	☿	☉	♄
♑	or.	M	oc.	V.	or.	M	oc.	V.	or.
♒	G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄	G
♈	23	11	28	20	10	19	21	12	11
♉	21	57	11	44	19	6	10	29	20
♊	17	52	12	26	15	51	11	10	17
♋	14	2	14	2	12	48	12	46	11
♌	11	34	15	34	10	31	14	31	12
♍	10	53	16	53	10	1	16	12	11
♎	10	48	17	6	19	57	16	34	11
♏	10	53	16	53	10	41	16	12	11
♐	11	31	15	34	10	40	14	31	12
♑	14	2	14	2	12	46	12	48	12
♒	17	52	12	26	15	51	11	10'	14
♈	21	57	11	41	19	6	10	29	16


mis	Mer	tis	Ve	nc	vis	Mer	cu	ry
or.	M	oc.	V.	or.	M	oc.	V.	or.
G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄	G
11	28	20	10	19	21	12	11	40
10	29	20	8	11	48	6	16	4
10	19	21	12	10	17	21	12	10
12	48	12	46	11	33	14	33	9
12	33	14	31	12	33	17	15	8
12	16	12	11	46	20	5	6	38
11	34	12	11	48	20	19	5	28
12	45	14	45	12	42	4	8	6
12	39'	0	30	3	16	5	51	8
11	49	0	24	3	38	5	22	10

☉	☿	☽	♂	♃	♀	☿	☉	♄	♑
V.	or.	M	oc.	V.	or.	M	oc.	V.	or.
G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄
40	3	0	4	9	5	10	28	23	58
48	6	16	4	16	5	5	9	40	22
10	9	19	5	17	5	12	7	36	18
33	9	50	8	23	5	36	5	59	14
33	17	15	8	2	13	3	6	16	5
46	20	5	6	38	18	2	7	22	4
11	48	20	19	5	28	13	47	8	20
34	17	32	4	39	8	1	7	49	5
45	2	42	4	8	6	55	6	35	9
45	14	45	2	42	4	8	6	55	6
48	12	45	14	45	2	42	4	8	6
46	12	48	12	45	14	45	2	42	4
14	2	12	46	12	48	12	45	14	45
26	15	51	11	10	17	21	12	10	19
31	14	31	12	33	17	15	8	2	13
31	12	33	14	33	9	50	8	23	5
10	31	14	31	12	33	17	15	8	2
34	15	34	10	31	14	31	12	33	17
53	16	53	10	1	16	12	11	46	20
57	16	34	11	38	21	1	5	41	17
53	10	41	16	12	11	48	20	19	5
40	14	31	12	34	17	32	4	39	8
46	12	48	12	45	14	45	2	42	4
14	2	12	46	12	48	12	45	14	45
15	51	11	10'	14	35	12	39'	0	30
41	19	6	10	29	16	25	11	49	0

☽	♂	♃	♀	☿	☉	♄	♑	♒	♈
M	oc.	V.	or.	M	oc.	V.	or.	M	oc.
G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄
0	4	9	5	10	28	23	58	9	53
6	16	4	16	5	5	9	40	22	15
19	5	17	5	12	7	36	18	0	11
9	50	8	23	5	36	5	59	14	4
8	2	13	3	6	16	5	5	11	25
6	38	18	2	7	22	4	54	10	21
5	41	17	43	7	53	4	54	9	51
8	20	4	55	9	44	22	1	20	1
8	1	7	49	5	16	9	25	17	25
6	55	6	35	9	36	12	10	16	54
6	55	6	35	9	36	12	10	16	54
5	51	8	33	12	27	9	50	11	10
3	16	5	51	8	33	12	27	9	50
3	38	5	22	10	16	19	15	9	43

☿	☉	♄	♑	♒	♈	♉	♊	♋	♌
or.	M	oc.	V.	or.	M	oc.	V.	or.	M
G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄	G	m̄
10	19	21	12	11	40	3	0	4	9
5	5	9	40	22	15	10	15	10	4
12	7	36	18	0	11	47	10	18	16
5	59	14	4	15	34	12	22	12	30
11	25	19	59	13	43	10	29	9	59
4	54	10	21	23	13	18	1	9	59
7	53	4	54	9	51	23	12	22	49
9	44	22	1	20	1	10	19	9	59
9	25	17	25	18	11	11	19	9	59
9	36	12	10	16	54	14	5	9	59
9	36	12	10	16	54	14	5	9	59
8	33	12	27	9	50	11	10	17	50
8	33	12	27	9	50	11	10	17	50
10	16	19	15	9	43	10	11	21	46

Ortum igitur matutinum intelligit cum stella oritur ante Solem. Ortum uespertinum, cum stella Sole uelocior, ut Venus & Mercurius relicto Sole apparent post illius Occasum. Occasum matutinum cũ stella Sole uelocior quæ ante Solem apparere mane solebat absconditur, quoniam uelocitate sua Solem comprehendit. Occasum uespertinum cum stella Sole tardior, à Sole superueniente occultatur. Manifestum est igitur ex hoc quod fixæ & superiores non possunt habere nisi duos status, scilicet occasum uespertinum, ortumq; matutinũ. Rursus inferiores cum habeant quatuor status ob motum, qui quandoq; uelocior est motu Solis, ea ratione qua tardiores sunt habent ortum matutinum & occasum uespertinum, sed ut uelociores Sole habent ortum uespertinum & occasum matutinum Primi igitur & communes superioribus sunt cũ retrocedũt aut Sole sunt tardiores: reliqui duo similes Lunę sunt ortus uespertinus & occasus matutinus. Pro tabulæ igitur intellectu gratia exempli dicamus quod Venus in initio Librę (nam tabula de hoc intelligitur scilicet initijs signorum ut Ptolemæus testatur) habeat grad. 17. m̃. 43. in occasu uespertino & in ortu grad. 7. m̃ 43. solum: dices quæ differentia? Dico quod Venus dum tarda est & uersus Solem tendit cum est proxima Soli 17. grad. 43. m̃. quia Libra obliquè descendit & ipsa est in parte inferiore epicycli occultatus. Dum uerò iuncta Soli in superiore epicycli parte illum superat uelocitate motus, sub grad. 7. m̃. 53. apparet. Hoc autem maximè etiam contingit ob latitudinem. Igitur Ptolemæus in hoc textu quo ad inferiores duos mediocres status, proponit unum uespertinum obitum, qui fit cũ Planeta, ut dixi, tardior motu est, & matutinum occasum, qui fit cum Planeta est uelocior. Sed tarditatem die compensat cum Planeta est supra terram, uelocitatem nocte cum sit sub terra, ut Planetæ status fiat mediocris. Rursus in utroq; obseruat, ut stella ex occasu nullum recipiat detrimentum: De die orta post Solem etiam si non Soli illi propinquus esset uideri nihilo secius poterat: De nocte ante Solẽ occidens etiam si Sol ab ea abesset nõ poterat uideri: is igitur status medius erat. Quatuor igitur status sunt inferiorum quorum pessimus est: Die occidẽtalis matutinus, & nocte occidentalis uespertinus: nam cum apparerent, apparere desierunt. Orientalis uerò uespertinus in die, & orientalis matutinus in nocte, frustrantur suo opere: tamẽ sunt in expectatione. Optimus igitur est in die orientalis matutinus, & in nocte orientalis uespertinus. Et quo orientalis matutinus propter ascensum superat orientalem uespertinum descendentem, tantum ab eo superatur cum orientalis uespertinus sit uelox motu, matutinus autem tardus. Ex his igitur ad mentem Ptolemæi facile est deprehendere status inferiorum Planetarum: non tamen adeò, ut dixi superius, distinctos, ut sunt superiorum.



TEXTVS LXXI.

Quando uerò in proprijs aut domesticis locis fuerint astra quæ separatim animis formandis præsunt, quemadmodũ in principio huius operis discreuimus, illustria & nonimpedita, suis uiribus suffulta & lucrosa decernunt sua omnia, potissimè cum ipsa astra utriq; loco dominantur, nimirum Mercurio qualitercunq; configurata, à Luna separant̃, aut ad eam se applicant. Sin aliter sunt sita & in locis alienis, quæ ex sua natura peculiariter animis imprimunt obscura, occulta & inchoata sunt.

Et hoc pertinet ad secundum genus, si quidem dominantium stellarum, quod quidem

dem tria continet. Primum, ut talia sydera sint in propriis locis, uelut domo, altitudine, trigono: uel in domesticis, uelut masculinus in masculino signo, et diurnus in die: Tunc omnia quæ decernunt illustria sunt, non impedita, ualida & lucrosa: sicquod qualitates animi sunt primum illustres, id est, ualde manifestæ, deinde nõ impeditæ, id est, non hæsitantes neq; contrariis permistæ affectibus & ualidæ, id est, firmæ: & quæ non mutantur & lucrosæ, quia cum illa animi libertate felix erit. Vix enim fieri potest, ut damnosa bonitas perseuerare possit: Vt uerò perseueret conuenit ut ingenuitas illa sit cum utilitate: sicut uidemus in mercatoribus qui ob fidem plurima tractant, indeq; fiunt diuites. Homines enim singuli quærunt bonos, quamuis ipsi uelint esse mali. Similiter & iurisconsulti ob iustitiæ opinionem ad magnos honores ascendunt. Tertium est quòd hæc omnia erunt maiora imò maxima si his duabus conditionibus tres aliæ adijcia ntur, scilicet quod dominentur utriq; loco principali, quod commisceantur Mercurio, scilicet uel commutatione dignitatũ, uel mistione radiorum, uel ut sint in eadem longitudine, uel in eodem circulo positionis, uel in intuentibus, uel in imperantibus & obedientibus, uel quod tertius Planeta faciat translationem luminis ab uno ad alterum, uel quod Planeta ille sit iunctus uel in eodem circulo positionis cum stella naturæ Mercurij: sstis enim octo modis cõmisceri dicũtur Planetæ: Vltimò quod idem Planeta Lunã ad se uenientẽ excipiat, uel Luna defluat ab eo. Quod si dominãtes Planetę fuerint in oppositis duarũ primarũ conditionũ, id est, nec in propriis nec familiaribus, erunt contraria pro illustribus obscura & occulta, pro nõ impeditis impedita & inchoata tãtum, debilia quoq; pro ualidis & damnosa ἀτελέωτα. & ἀπρόοπα καθισᾶσι, id est, imoerfecta & infelicia subsidijsue carentia.

TEXTVS LXXII.

Quæ uerò ab ijs qui his dominãtur aut elati sunt supra ea proficiscuntur ualida & his quibus insunt noxia sunt omnia, ut qui propter maleficarum stellarum commoda diuersoria mali sunt, dominantibus ipsis stellis facile ad nocendum alijs ac sine suo periculo, nec impediti, nec sine gloria & lucro concitantur. Superatis autem his ab ijs quæ sunt alterius sectæ siue familiæ nõ impune alijs insultatur, & animaduersionem facile incurrunt. Contra qui propter beneficarum stellarum ad prædicta loca familiaritatem boni & æqui sunt, si nullæ supra eas elatæ sint, gaudebũt & bene audiẽt ob ea quæ in alios conferũt beneficia, nec à quoquam contumelia afficientur, sed utilis & fœcunda erit sua ipsis probitas. Deuictis uerò his à stellis contrarijs, qui sua mansuetudine & humanitate in aliorum fugillationem & contemptum, uim, contumeliamq; incurrunt.

Superius quadrifariam efferri Planetam super Planetam declarauimus: manifestum est autem quod facilius imperant & dominantur debilibus Planetis & his qui extra proprias sunt dignitates & in dissimilibus locis. Dicit igitur eleuari Planetam aliquem super dominum aut dominos qualitatum animæ, & præcipuè cum ille dominus aut domini fuerit imbecillis & extra proprios locos aut cõsimiles, semper est malũ. Et hoc sic probat: Si Planeta qui dominat loco Lunæ & Mercurij fuerit maleficus significabit improbum, & qui alijs noceat quidem, sed tamẽ si nullus alius Planeta super ipsum eleuetur, hoc non solum ei erit impune sed etiam cum lucro & gloria. Ergo in hoc casu bonum est nullum Planetam super dispositorem maleficũ eleuari: quod si eleuetur, ille quidem erit improbus, alijsq; malefaciet, sed malefactorum pœnas dabit: eritq; sine lucro & gloria talis improbitas. Quòd si dispositor beneficus fuerit, nec alius Planeta super ipsum eleuetur, probus erit ille natus & probitas illa gaudium & gloriam & utilitatem afferet: Sed si Planeta alius eleuetur super ipsum

Comment. 10.

ipsum modo non sit benefica cõcors, erit quidem probus sed probitas illa iacturam illi afferet, et contumeliam ac iniurias patietur ab alijs: Et ob id etiam contemnetur & paruipendetur. Omnia autem hæc, ut dixi, eo maiora erunt, quo Planeta dispositor fuerit imbecillior.

Animaduertendum quod si benefica eleuetur supra maleficam dispositricem seu dominam morum & qualitatum animæ, ille dabit pœnas per iudicium & condemnatus à iudicibus: Et erit infamis apud omnes probos. Sed si malefica sit domina morum & super eũ malefica alia eleuet, tũc ille à malis præcipuè opprimet, uel uiolẽter uel etiam falsis accusationibus uel ueris etiã, sed iniustè tamen ab illis. Vtpotè si fuerint & ipsi flagitij participes & criminis conscij & coniurati. Ità quod semper in tali accusatione est aliquid odij potius & sceleris quàm amor iustitiæ uel boni & æqui. Similiter si benefica præficiatur moribus & malefica super ipsam eleuetur, contemnetur ab improbis & calumnias ingerent in illum falsas, non tamen damnabitur iudicio, imò potius à bonis defendetur. Sicut in nostra natiuitate in qua illud omnino miraculosum fuit millies ab improbis pati calumniam & ne semel quidem publicè accusari, nedum accusatum condemnari, quod merè essent calumniæ. Id effecit, ut Mediolani ob probitatem principum, qui falsas accusationes nõ solum negligunt, sed talionis pœna rependunt, ut nemo cum tot inimicis, cũ tot falsis apud populum insimulationibus quibus ad annum usque quadragesimum septimũ laborauimus, ausus sit nos iudicio tentare præterquàm nebulo pessimus qui nos de natalitijs propter inuidiam & auaritiam apud collegium medicorum ne non reciperer spurium me natum esse dicens, accusauit, atque id tutò, quoniam collegium illud ius non habet ulciscendi periuros neque scelestos, sed solum reijciendi illos qui aliqua in cõditione deficiunt. Itaq; solum sufficit mihi ut irrita fuerit eius accusatio, quanquam multis annis me extra collegium detinuerint. At qui me detinuit maius peccatum habebat: ob idq; miris modis uita tota excruciatus, demum & morte per desperationem mulctatus, sine ullo solatio uitæ & multo minore spe æternæ consolationis, non minus impietate in Deum quàm scelere apud homines iamdiu cruciatur in inferno. Si uerò benefica moribus præfecta alia benefica contraria natura super eam eleuetur, ueluti si Iupiter dominus sit morum in Capricorno ubi cadit, in septimoq; loco Venerem excipiat ex oppositio quæ in Cancrõ sit, atq; in paucioribus gradibus, ipsa uerò erit prope absidem, sitq; diurna genitura uel nocturna nihil refert, tunc talis cum Iupiter futurus sit retrogradus etiam ob Solis distantiam, erit adeò in sua probitate deiectus, et ab omnibus in alienam trahetur sententiã, ut omnino pro inutili ab ipsis bonis etiam habeatur. Quemadmodum apud Papienses D. Ioannes Petrus de Curte luriconsultus quem cum nemo iure improbitatis accusare possit, tamen adeò bonus est & simplex ut ab omnibus (quamuis integerrimis uiris) omnino negligatur: interdictumq; illi sit publicè paucis iam ante annis ne quenquam laurea decoraret. Quod in flagitiosissimo etiam turpissimũ esset: sed tam eneruis bonitas cum reipublicæ adeò officeret, ad hæc præcepta publicos coẽgit magistratus, ne unius dedecus uniuersam fœdaret academiam. Forsan diceres hoc ex imperitia illi contigisse: nequaquam: sed ob uiri simplicem bonitatem. Neq; enim adeò imperitus est, ut talem infamiam mereatur & multi apud homines ob calliditatem nõ solum nihil tale passi sunt, sed à uulgo maximo in honore habentur: cum non solum imperitiores illo sint uerum ualde plus & sine comparatione. Hæc uolui subiecisse ut sententiam Ptolemæi optimè intelligeres.

TEXTVS LXXIII.

Hæc igitur est in genere sumpta harum rerum consideratio, nunc singularia ab astrorum propria natura secundum eorum dominũ pendentia, deinceps summatim percurramus quo ad commistionem & cõtemperaturam eorum quæ uniuersum deprehendi possunt, assequamur.

Satur-

Saturnus igitur solus gubernationem animæ nactus, dominusq; Mercurij & Lunæ, si bene situs fuerit respectu orbis & angulorum, efficit nimium corporis sui ac uitæ studiosos, rigidis sentẽtijs, profundis meditationibus, austeros, suæ pertinaciter sentẽtiæ adfixos, laboriosos, imperiosos, scelerũ seueros uindices, superuacaneis intẽtos, auaros, uiolẽtos, thæsauros coaceruantes, inuidos. Cõtra obscuro loco positus, sordidos, præparcos, abiectos, suis sententijs innixos, inuidos, timidos, solitarios, maledicos, lugubri semper habitu, impudentes, superstitiosos, laboriosos, suorum liberorum & necessariorũ negligentes, domesticis suis insidiantes, tristes, ualetudinis suæ rationem nullam habẽtes. Si uerò Iouí sit prædicto modo conciliatus & honorato loco constitutus, bonos, reuerẽtes maiorum natu, compositos, bene sentientes, alijs commodantes, impigros, exacti iudicij, quæstuosos, magnanimos, liberales, temerè nihil inceptantes, familiæ suæ studiosos, mites, prudentes, patientes, philosophos. Si secus ineptos, furiosos, formidulosos, superstitiosos, sacra uersantes, incantatores, suspicaces, liberorum suorum osores, amicis destitutos, abditis locis latentes, infidos, inepte elegantiam affectantes, uirulentos, dissimulantes, imbecilles, ambitiosos, ad pœnitudinẽ pronos, fatuos, ac proinde tollerantes malorum & iniuriarum. Marti uerò prædicto modo conciliatus, in prospera cõstitutione, reddit homines citra delectum multa inceptantes, ore libero, laboriosos, turbulentos, timidè audaces, rigidos, immisericordes, fastidientes aliorum, asperos, bellaces, temerarios, seditiosos, fraudulentos, insidiatores, implacabili ira, perturbationibus inhiantes, tyrannicos, cupidos, Reipub. aduersantes, contentiosos, illatæ iniuriæ memores, funditus improbos, uehementes, intolerabiles, tumidos & inflatos, importunos, glorioſos, infestos, iniquos, impunitos, ab omni humanitate alienos, immobiles, pluribus sese negotijs implicantes, agiles tamen, & artificijs idoneos, inuictos & omnino lucrosos. Si uerò infeliciter situs est, raptores, latrones, falsarios, flagitiosos, turpilucro incumbentes, incomposítos à liberis & necessarijs abhorrentes, cõtumelioſos, insidiatores, fures, periuros, crudeles, nefarios, maleficos, homicidas, incãtatores, impios, sacrilegos, sepulchrorum effossores, ac planè improbos. Veneri conciliatus, prosperéq; constitutus, efficit homines ingenio à mulieribus abhorrenti, ad senes uerò propenso, solitarios, inamœnos in conuictu, ab ambitione remotos, formosa natiuo odio declinantes, inuenustos, inuidos, austeros, alienos à congressu, & conuictu, suis sententijs innixos, uates, religiosos, mysteriorum & oraculorum cupidos, sacrificos, diuinos, uenerabiles, & uerecundos, philosophos, fideles in conuictu, stabiles, continentes, ratiocinandi ui prædítos, cautos, ad indignationem pronos, in re uxoria suspicaces & zelotypos. Si infeliciter situs est, lasciuos, incontinentes, obscœnos, sine deli-

beratione

beratione plerunq; agentes, impuros in congressu, immundos, fœminarum dolis expositos, ac maxime domesticarū, audaces, prorsus infames, procliues in Venerem, pulchra declinantes, obtrectatores, maledicos, temulentos, obsequiosos, nefarie in coëundo affectos, non in eo tātum qui naturæ consentaneus est, uerum etiam præter naturam seniorum, ac uilium hominum, ac deniq; bestiarum lege uetitos congressus appetentes, impios, Deorum irrisores, mysteriorum, sacrorumq; prophanatores, infidos calumniatores, nihil non tentantes. Mercurio conciliatus, honorato loco positus curiosos efficit, sciscitandi auidos, iuris indagatores, rerum medicarum studiosos, arcanorum & eorum quæ uulgo efferre religio est non expertes, miraculorum architectos, captiosos, in diem uiuentes, agiles, procuratores, solertes, acutos, amarulentos, diligētes, sobrios, industrios, lucrosos. Contra infeliciter situs, nugones, iniuriæ illatæ memores, duris animis, laboriosos, suorum osores, inuidos, tristes, noctiuagos, insidiatores, proditores, immisericordes, fures, magos, incātatores, machinatores, mala fide in negotijs uersantes, offensatores, facileq; impingentes.

Iouis uerò sydus quādo solum gubernationem animi nanciscitur infelici situ, efficit magnanimos, gratiosos, pios, reuerētes, hilares, humanos, magnificos, liberos, iustos, misericordes, affabiles, excogitandi ui præditos, liberorum & affiniū studiosos, principatui & regno idoneos. Diuerso modo positum, similia ueluti simulachra iam dictorum animis imprimit, obscurius & humilius omnia ut pro magnificentia, prodigalitatem: pro pietate, superstitionem: pro uerecundia, timiditatem: pro ueneratione, multitudinis existimationem tantum: pro humanitate, fatuitatem: pro amore pulchrarum rerum, luxuriam seu uoluptatis nimiū desiderium: pro prudentia magna, cūctationem: pro libertate, respondandi, & quibus uis sine discrimine obloquēdi assuetudinē, & id genus cętera.

Marti uerò conciliatus honorata collatione asperos producit, pugnaces, militari ingenio, & ad res procreādas idoneos, dominos, nemini parentes, audaces, sponte se periculis obiectantes, negocios, ore libero, ad reprehendendum pronos, cœpta prosequentes, contentiosos, primatum nusquam non affectantes, prudentes, insidiantes, uincēdi studiosos, magnanimos, ambitiosos, animosos, omne iudicandi arbitrium sibi sumentes & hæc omnia feliciter. Si aduersa fuerit Iouis constitutio contumeliosos, sine discrimine unicuiq; manus inijcientes, crudeles, irreconciliabiles, seditiosos, contentiosos, peruicaces, calumniatores, insolentes, cupidos, raptores, uariabiles, leues, & quos crebro actorum pœnitet, temerarios, inconstantes, infidos, multo iudicio, cognitione nulla, turbulentos, insidiosos, faciles ad uerbera, querulos, prodigos, nugaces, enormes & inconstantes.

Vene-

Veneri cõciliatus Iupiter felici situ, puros, uoluptuarios, pulchrorum amantes, artificiosos, sciendi cupidos, musicos, cãtores, leues, fraudi expositos, beneficos, argutos, minimè malos, pios, & deorum cultores, certaminum studiosos, prudentes, amatores, uenustos, sed non sine maiestate quadam splendidos, gnaros, liberales, literarum studiosos, iuditio præditos, modestos ac honestos erga rem ueneream, contentiosos, æqui amantes & honoris cupientes, ambitiosos, & ut uno uerbo dicã, decenter & eleganter probos. Si minus feliciter situs est, delitijs operã omnem nauantes, effœminatos, saltatores, muliebri & euirato animo, sumptuosos, amatores, segnes, somnolẽtos, in uenerem pronos, adulteros, ornatui nimis indulgẽtes, molles, ignauos, prodigos, ad cauillandum propensos, prope fatuos, affectuum impulsus non coërcentes, cultum & muliebrem elegantiam affectantes, muliebribus sententijs, sacris insistentes, lenones, mysteriorum indagatores, fidos sanè & non improbos, gratiosos & affabiles, iucundo conuictu, & in occursationibus liberiores.

Mercurio uerò felici statu conciliatus, literarũ cupidos & linguarum, geometriæ amantes, mathematicos, artifices, concionatores, ingeniosos, sapientes, bonos, dapsiles, ciuiles & politicos, beneficos, quibus tuto aliquid mandetur, benè moratos, liberales, & qui turba delectentur, callidos, lucrosos, ueluti principatui genitos, pios, deorum amantes, mira in tractando dexteritate præditos, pios erga liberos & parentes & necessarios, familiæ studiosos, eruditos, philosophos, in existimatione ob hæc constitutos. Si secus, fatuos, nugones, in errorem procliues, contemptibiles, furore diuinatorio correptos, sacrificos, uaniloquos, amarulentos, simulantes sapientiam, stultos, superbos, commentores, incantatores, incompositos, multa scientes & memoriæ tenacis, ad docendum habiles, minimeq; impuris cogitationibus obnoxios.

Martis sydus quando solum animi formandi munus nanciscitur in situ felici, generosos facit, animoq; ad principatũ propenso, diuitiarum cupidos, uersipelles, fortes, multis sese periculis exponentes, temerarios, nulli parcentes, sine discrimine inter homines agentes, peruicaces, acutos, audaces, fastidientes aliorum, tyrannicos, ad pugnam procliues, iracundos, ad exercitum ducendum idoneos. Sin aliter, crudeles, contumelioſos, sanguinis profundendi & tumultus concitandi cupidos, prodigos, uociferatores, percussores, temerarios, temulẽtos, raptores, infestos, immisericordes, perturbationibus obnoxios, furiosos, familiæ & domesticorum negligentes, impios.

Veneri cõciliatus, in prospero situ amabiles, beneq; tractabiles, socio rum studiosos, suauiter cõuiuentes, lętos, lusui deditos, simplices & apertos, modestos, saltatores, amatores, liberorum amantes, imitatores, uoluptuarios, cultum corporis non spernentes, in uenerea uitia pronos & fa-

laces, sed sine incõmodo aut damno, quiq; uitia sua tegere norint, proui dos, reprehensionem & iudicium siue censuram aliorum non incurren tes, iuuenũ amatores, masculorum æquè ac fœminarũ, sumptuosos, ira cundos, & zelotypos. Si secus se habet, natos facit oculis emissitijs, se gnes, procliues ad uenerea, omniũ securos, cauillatores, adulteros, con tumelioſos, mendaces, astutos, corruptores domesticorũ, & alienorum, utq; festiuos ad satisfaciẽdũ cupiditatibus, ita facilè satiabiles mulierũ ac uirginũ cõstupratores, crebro se periculis obiectãtes, callidos, immode ratos, insidiatores, periuros, faciles ad lapsum & dementiã interdũ etiam seipsos ornare gestientes, audaces, peruersos, & insolenter petulantes.

Mercurio cõciliatus situ felici uehementes reddit ih dicendo, militares strenuos, agiles, indespectos, uerſipelles, habiles, sophistas, laborioſos, ueteratores, lingua promptos, ad inuadendũ faciles, doloſos, incõstan tes, ex insidijs hominem adorientes, malis artibus imbutos, ingenioſos, deceptores, simulatores, insidiatores, malè moratos, curioſos, malorum amantes, prosperè tamen agentes & cũ æqualibus & similibus facilè, iu cundeq; conuersantes, amicè recipientes, ac omnino ut inimicis incõmo dantes, ita amicos prouehentes. Si aliter situs est, decoctores, alienorum usurpatores, crudeles, periculis se exponentes, audaces & quos non raro actorũ pœniteat, faciles ad uerbera, immoderati motus, mendaces, sures, impios, periuros, irruptores, seditioſos, incẽdiarios, histriones, infestos, latrones, sepulchrorũ effossores, truculentos, falsarios, mala fide rem tra ctantes, incantatores, magos, ueneficos, homicidas.

Venus sola animi gubernaculo prẽsidẽs, honorifico loca sita, blãdos, bonos, uoluptuarios, omnibus expositos, cordatos, puros, saltãdi studio ſos, affectatores, lętos, laboris fugiẽtes, artiũ amãtes, decẽtes, deorũ mire reuerẽtes, habiles, in somnijs felices, pio affectu erga liberos & neceſſarí os, beneficos, misericordes, liberales, lucroſos, ac deniq; Venereos. Sin ali ter, ignauos, amatores, effœminatos, muliebres, timidos, p̃cipitabũdos, in rẽ Venereã procliues, neq; infames, neq; claros, sed obscuros & latẽtes.

Mercurio cõciliata felici situ, reddit ad opificia manuaria prõptos, ani mo philoſophico & scientijs apto, ingenioſos, opifices, poëtas, elegãtes, bene moratos, uoluptuarios, delicatos, lętos, sapiẽtiæ amãtes, amicis ami cos, pios, prudẽtes, uaria machinãtes, meditabũdos, aptos mẽte, gauden tes officio, celeriter atq; adeò libẽter discẽtes, idq; sine magistri opera, e mu latores optimorũ, affectãtes eorũ quę pulchra sunt, ore honesto, gratiarũ affatim plenos, sermone amabili, moribus moderatis, probos, arena dele ctatos & palestra, iudicãdi acumine nõ destitutos, magnificos. Quãtũ ad Venerea pertinet à mulierũ cõsuetudine abstinentes, ad puerorũ cõgreſ sus propẽsiores et zelotypos. Si secus irruptores, machinatores, ore impu dico, nũc harũ nũc illarũ partiũ, peruersis sentẽtijs, deceptores, perturba

tores,

tores, mẽdaces, calumniatores, periuros, penitus peruersos, insidiatores, incompositos, inhospitales, falsarios, mulierum constupratores & puerorũ. Amplius, cultui corporis deditos, molles, infames, quicq; in ore sint omni populo, omnibus se immiscentes, interdum rectè iudicãtes, interdum secus, turpia perpetrantes, & pro uario affectionum motu unumquenq; contumelia afficientes.

Mercurius sine collega animum gubernans feliciter situs, solertes, ingenioso, mentis ui prædito, multarum rerum peritia instructos, ad inueniendũ idoneos, experientes, bene ratiocinantes, coniectando scopum ferè attingentes, naturę rerũ peritos, bonæ indolis, imitatores, beneficos, contemplandi ui prædito, mathematicos, arcanorũ conscios & prospere hęc omnia. Si aliter positus est, uafros, impræmeditatos, obliuiosos, impetuosos, leues, uariabiles, inepte elegantiam affectantes, insipientes, facile per errorem peccantes, mendaces, nullo discrimine utentes, inconstantes, infidos, alienis imminentes, iniustos & omnino mente labili & in errores seductili.

Notandũ primo quod Ptolemæus semper in omnibus causis præterquã in Aphetis tria proponit & considerat, scilicet quod est, in quo est, & quod pręest. Quod est, fermè quia iam est, parum aut nihil afficitur, seu benè, seu malè se habeat. Quod pręest, summa habet authoritatem. In quo est, mediocrem. Exemplum in causa qualitatum animæ Mercurius & Luna sunt quod est, id est, subiectum & res ipsa. Et ideò Ptolemæus parum curat: curat tamen aliquantisper an sint combusti, an ualidi, an Mercurius retrogradus, an orientalis &c. Aliquid etiam facit: nam Mercurius uelocissimus efficit maximè inconstantes, retrogradus hæsitãtes, sub radijs absconditus, ut mihi, tractantes obscuriora & inutilia: Lucens autem quæ sunt in communi usu & utiliora: orientalis liberior: occidentalis dissimulator. Planeta uerò qui pręest maximam habet potestatem: Velut in genitura nostra Venus proculdubio primo, inde Saturnus, & Mercurius, & Iupiter, & Luna, & Mars. Sed id in quo est, est locus Mercurij & Lunę qui plus habet potestatis quàm Mercurius uel Luna, minus tamen quam Venus, gratia exempli, seu dominus loci.

Notandum secundo quod unum est generale in omnibus his tribus, scilicet substantijs, domínis & locis, ut inter se configurent amico aspectu uel alia ratione conuenienti: Et hoc est optimum quod possit esse: ita ut Luna Mercurio & dominis loci configuretur, fiatq; commutatio dignitatum & etiam inter dominos.

Tertium est quod in dominis quando soli sunt considerat quod sint bene dispositi quo ad orbem, id est, quo ad angulos: nam de signifero & Sole & comparatione ad alios Planetas superius locutus est. De conciliatione autem Solis ac Lunæ inferius loquetur. Hæc igitur quartum & quintum membrum superius adductum continent. Nam illa in quibus Planeta tam benè quàm malè dispositus conuenit, ad substantiam Planetæ pertinent: & ideò ad quintum membrum: in quibus uerò dissident ad Planetæ situm in comparatione ad angulos seu ad mundum, & est quartũ mẽbrum.

Rursus in mistionibus oportet considerare maximè duo, primum in conuenientibus quis superet aut superetur: Veluti si Saturnus cum Venere sit mistus & Venus dominetur magis quàm Saturnus & potentior etiam illo sit, tunc considera decreta Veneris separata, scilicet quando sola dominatur, & illa augebis: quæ uerò sunt propria Saturno, minues. Alia uerò quæ non sunt propria nec Saturno, nec Veneri, manent non adeò uariata.

In eisdem considera mistionem ex tribus & quatuor Planetis satis diuersam à na-

tura singularium. Considera etiam duas cõbinationes quas relinquit, nam fieri potest, ut tam primus quàm secundus dominus sint bene constituti uel ambo malè: & has duas ponit: fieri etiam potest, ut primus sit bene positus, & secundus malè: uel contrario modo, & has relinquit.

Rursus quãdo sunt duo domini, uel ambo possunt esse participes in ambobus locis fermè æqualiter, & hoc est melius: uel ut unus dominetur plenè in loco Lunæ, & alter in loco Mercurij, & tunc istud est deterius, quia nisi Mercurius Lunæ configuretur tales erunt ualde incompositi in actionibus suis. Sunt igitur tres status, scilicet quando unus solus Planeta utriq; loco simul dominat & hic facit mores sibi undecunq; consentientes, tã in bono quàm in malo. Secũdus est cũ duo uel plures Planetę in ambobus locis dominant: & tales habebũt mores mistos nõ tamẽ uarios in diuersis tẽporibus sed eosdẽ semper. Tertius est cũ ille qui habet dignitatẽ in loco Mercurij, nõ habet in loco Lunæ, & ille qui habet dignitatẽ in loco Lunæ, nõ habet in loco Mercurij: & talis status, ut dixi, facit mores ualde uarios, incõstãtes, & incõpositos.

Nota etiam quod Planeta dicitur solus dominari qualitatibus animi trifariam, uel quia non commistus aljs solus in ambobus locis plenè dominatur, uelut si Luna & Mercurius orientales, Luna sub radijs latitante, Mercurio uerò splendente sub Solis ortum in finibus Mercurij, Venere etiam latitante sub Sole, celebraretur coniunctio Lunæ ac Mercurij in Virgine, tunc Mercurius esset solus dispositor. Et generaliter hic modus fit quando Planetæ latitant sub Sole & relinquitur unus solus dominus illorum locorum. Secundus modus est cum Planeta unus solum dominatur in utroq; loco & licet alij Planetæ uires maximas habeant singuli in singulis locis, nullus tamen habet uim in utroq; loco simul, tunc qui uim habet in utroq; loco simul is est solus dominator, si alij non commisceantur illi, nec sint in ascendente iuxta centrum. Tertius modus est cum Planeta unus dominatur in utroq; loco, nec deest alius qui etiam dominetur in utroq; loco, sed tamen parum dominatur utpote si sit solum secundus dominus trigoni uel finis, alius aũt habeat carpentum in utroq; loco, tunc ille alius qui habet carpentum in utroq; loco dicetur solus dominus qualitatum animi. Et reliquus non exhibebit nisi umbram quandam morum.

Notandum ultimo quod licet Sol & Luna possint sortiri dominium in utroq; loco, scilicet Lunæ & Mercurij, & significare qualitates animi, quia tamen significant solum qualitates animi ualde communes ut declaraui in præcedenti libro, ideo oportet accipere alium Planetam pro domino qualitatum animi. Quod si deesset quod raro tamen contingit (non enim fieri potest nisi omnes fermè Planetæ lateant sub radijs Solis in Ariete, uel Leone, uel Sagittario, uel in Tauro, Cancro & Virgine, Scorpione, Capricorno & Piscibus, Luna extra radios Solis posita) tunc talis homo erit omnino rudis, agrestis, & simplex, quales fuisse referunt aureo sęculo.

TEXTVS LXXIIII.

Cum his ita constitutis, conferenda etiam erit Lunæ constitutio. Nam si in flexuris extiterit austrini & borei limitis, cooperatur ad mentis animiq; naturam, quod efficiat omnia uariabiliora & indolem plurium machinatricem ac deniq; inconstantiorem. In nodis uerò, acutiorem, magisq; industriam & agiliorem. Amplius ascendens & aucta lumine, nobiliorem, illustriorem, ac solidiorem, liberioremq;: Si minuta lumine aut Solis iubare oppressa est, tardiorem, hebetiorem, & ad pœnitudinẽ propensiorem, obscuriorem & tectiorem quoq;. Sol etiam ad partes uocatur quocunq; tandem modo animæ gubernatori conciliatus in felici constitutioni, eo quod omnia reddat æquiora, rectiora, perfectioraq; & plus dignitatis siue maiestatis præ se ferentia, magis deniq; pia. Infeliciter si-

tus,

tus, neque hospitio receptus, humiliora, difficiliora, minus præ se dignitatis, minus maiestatis ferentia, simpliciora, seueriora, magisq; cruda, intractabiliora, atq; omnino correctu asperiora.

Hæc est comparatio luminarium ad qualitates animi sed diuersa, in Sole enim requiritur quod gubernatori concilietur, in Luna uerò cũ dominetur qualitatibus animi per se, hoc non est necessarium: sed si præter id id contingat, adhuc erit ualidius. Igitur considerat duos status oppositos, quorum primus est quod sit in uentre Draconis, uel in extremitatibus: Ventrẽ Draconis uoco ubi maximã habet latitudinem borealem uel australem: Et cum ibi mutet motũ suum, nam si sit ascendens fit descendens, & si descendat, paulo post ascendit: Et est ualde remota à uia Solis, ideò, significat debilitatem cerebri & rationis: Quamobrem uarietatem inconstantiam & dolum. Talia enim ab imbecillitate intellectus proueniunt. Est enim sapientis dictum omnis malus ignorans. Si uerò in extremitatibus fuerit draconis seu nodis, seu Capite uel Cauda, significat acutum intellectum & industriam ob robur: sed quia trãsmutatur de una parte in aliam, id est, à septentrione in meridiem, uel à meridie in septentrionem. Et ibi multum aquirit de latitudine plus quàm in omnibus alijs locis, adeò ut in una die superet quãdoq; gradum unum cum quarta parte latitudinis, ideò facit agiles & promptissimos ingenio. Promptissimi enim sunt responsis quicunque Mercurium habent uelocissimum & orientem, id est, qui non lateat: tardissimi qui retrogradum & latentem, ut ego habeo in genitura mea. Promptissimi uerò ingenio & consilio quicunque habent Lunam in nodis. Promptissimi uerò ad negotia & actiones quicunque Martem habent in primo orientis statu & in angulo. Promptissimi ad musicam & iocos, dicteriaq; scurarum quicunque Venerem sic habent dispositam, ut de Marte dixi. Per hæc igit̃ habes reliquos status Lunæ, ut fuerit proximior nodis & uentri Draconis. Et quia Luna in nodis, ut superius uisum est plerunq; significat gibbos uel claudos & corpore læsos, & ibidem posita promptos & acuto ingenio, ideò tales gibbi & claudi & strabi sunt prompti & fallaces & maximè quia hoc plerunque contingit ex commistione Lunæ cum maleficis: ideò bene dictum est in prouerbio: Caue à signatis à Deo. Secũdus uerò status Lunæ est quod sit aucta lumine & ascendens uel contrario modo. Quid intelligat per auctam lumine facile est assequi, quoniam intelligit quando est iuxta oppositionem: tunc enim plus habet luminis quod remittat in terram, licet in ueritate minus habeat luminis in se quanto magis est oppositioni Solis propinquior. Scriptum enim est in Opticis quæ pater meus Facius Cardanus emendauit, quod quanto Sol propinquior Lunæ fuerit illius maiorem partẽ illuminat, ualidioribusq; radijs. Sed quid intelligat per ascendentem, non adeò clarum est: Ego autem omnibus quinq; modis quibus ascendere dici potest Luna intelligerem. Primus est ut ascẽdat in latitudine, id est, quod ueniat à meridie uersus septentrionem. Secundus quod ascendat in mundo generaliter, id est, ab ascendente usq; ad cœli Medium, & à septimo loco usq; ad imum cœli. Tertius quod ascendat, id est, sit in angulo: tunc enim semper ascendit ad centrum, seu lineam quæ initium anguli describit. Quartus ut ascendat ad apogeum epicicli, id est, moueatur uersus ipsum, non quod in ipso sit: quia tunc tardior est motu. Quintus quod ad eccentrici absidem ascendat, atque hunc modum (si modo unum tantum Ptolemæus intellexit) ueriorẽ esse existimo, quia is est status Lunæ à prima quadra ad oppositionem: tunc enim plena est iam luminibus & in singulas horas magis augetur donec ad perfectam uenerit oppositionem, & ascendit uersus absidem eccentrici, quia dum Luna est in media quadratura (liceat mihi claro potius & usitato uocabulo uti quàm Latino) semper ipsa est in opposito absidis eccentrici sui seu perigeo. Cum uerò iuncta Soli uel opposita illi est in apogeo eccentrici: concluditur igitur quod Luna est in optimo statu à prima quadra ad oppositionem, & maxime in quatuor ultimis diebus qui sunt ante oppositionem. Tunc enim habet quatuor cõditiones: Prima est quod abundat lumine copioso: Secunda est quod lumen augetur in

dies & horas: Tertia quod superauit longitudinem mediam, & est in parte superiore eccentrici: Quarta & ultima quod in dies & horas magis ascendit in ipso eccentrico ad ipsius apogeum, quare est optimè disposita. Per contrarium igitur pessimè erit disposita in ultima quadra, quæ est ad coniunctionem & maximè in quatuor ultimis diebus, qui sunt proximiores ante coniunctionem ipsi coniunctioni. Seu quatuor proxime antecedentes coniunctionem: hi enim sunt pessimi quatuor contrarijs rationibus dictis inter omnes dies totius mensis lunaris. Iuxta hoc ergo ordinabuntur quatuor status lunares. Primus est & perfectissimus à prima quadra usq; ad oppositionem, & maximè quatuor dies ultimi illius. Secundus est quatuor dies primi post oppositionem & quatuor ultimi ante primã quadram. Tertius est quatuor ultimorum ante secundam quadram & tres primi post Lunæ uisionẽ à coniunctione, id est, tres primi primæ quadræ incipiendo à tempore in quo incipit apparere. Quartus est ab ultima quadra ad coniunctionẽ, cuius deterior pars, ut dixi, sunt ultimi quatuor dies. Et ita si bene animaduertis uerè sunt sex status potius quàm quatuor iuxta Ptolemæi sententiam.

Circa quod notanda est una regula pulcherrima & generalissima, omnes Planetę iuxta apogeum eccentrici & epicicli sunt puriores & meliores, non tamen robustiores: sed in oppositio sunt robustiores & deteriores, præter Lunã ratione epicicli, quæ in oppositio absidis illius nõ solum est robustior, sed etiã melior & purior: Est enim naturæ magis elementaris cæteris Planetis. Ideò cũ sit uelocior motu ibi & gaudeat quasi natura elementari & sit proximior terræ est robustior & melior. Cæteri uerò Planetæ sunt robustiores quãto terræ propinquiores: quia omne agens naturale tanto ualidius agit quanto proximius est passo. Gaudent tamen & sunt puriores & felicíores & meliores, quanto magis appropinquant apogeis suorum eccentricorum & epiciclorum, quia magis appropinquant primæ sphæræ quæ est perfectio omnium.

Circa Solis decreta textus est clarus. Quòd uerò de Lunę nodis pro Luna dictum est, intelligi uult Ptolemæus in alijs Planetis cum suis nodis: Et similiter de uẽtribus.

Caput decimumoctauum.

TEXTVS LXXV.

De uitijs & morbis animi.

QVandoquidem post animæ explicatã peculiarem naturam, proximè sequitur de præcipuis eius affectionibus seu morbis tractatio: In genere igitur rursus obseruare expedit Mercurium & Lunam, quo pacto habeant se ad inuicem, adq; angulos, & malefaciendũ idoneas stellas. Vt si ipsi inter se in cõiuncti sunt, & apud orientalem finitorem à maleficis aut malè affectis stellis supplodũtur, aut circundantur, aut ex opposito feriuntur, multorum animi morborum authores sunt, quorum temperatio & mistura, ex præcognitis syderum his locis conciliatorem proprijs conditionibus intelligenda est. Bona igitur pars mediocrium & minutiorum animi morborum explicata in præcedentibus est, & potest eorum intentio aut remissio ex eorum authoribus maleficis stellis colligi.

Iam uerò quid polliceantur astra quæ sub radijs latent ex his manifestum est, nam
Cap. 14. non penitus nihil, uelut Arabes existimant, sed in casu uitæ, ut superius uisum est nihil possunt, nec nocendo, nec iuuando: in animi autem qualitatibus aliquid posse uidentur: Faciunt enim hebetiores & ad pœnitentiã propensos: consilij quoq; obscu-

ri &

ri & recti, aptiq; ad occulta tractanda. In filijs autem negat Planeta qui sub radijs est. Igitur ex ijs regula colligitur triplex hoc modo: Planeta sub radijs Solis in maximis rebus utpote uitæ uel occidendi, uel filiorum, nihil præstat neq; potest. In cæteris autem quę ad actiones pertinent nihil fermè, sed in his quę iam sunt, debiles significat effectus ut in qualitatibus animi & corporis. In corporis tamen temperatura & qualitatibus significat adustionem, similiter & in morbis. Præcipuè autem Mars.

Quod uerò ad præsentis textus expositionem attinet facilis est intellectus nã tria iubet considerare locum Lunæ & Mercurij, angulos, & maleficas: Cum igitur ambo illa, scilicet Mercurius & Luna inconiuncta opprimuntur in angulo à maleficis & maximè in orientali, deinde in occidentali, post in sexto loco, morbos animi significãt, & maximè si una malefica duos locos oppresserit, aut duæ maleficę unum, aut duæ duos uel coniunctione uel oppositione uel quia circundent, uel quadrato quod est ultimum & minus malum.

TEXTVS LXXVI.

Verum enimuero quæ insigni interuallo à mediocritate dissidẽt, eam uidelicet aut superantia, aut non attingentia, ac ueluti morbosa ex omni parte, ac secundum uniuersam mentis constitutionem, hanc habent uelut in tabula explicatam summatim considerationem. Epileptici plerunque fiunt, cuotquot Luna & Mercurio nulla familiaritate cohęrentibus, in orientali finitore, Saturnũ perdiu, Martem uerò noctu sustinent, intuentem prædictam figurationem. Furiosi uerò, quando præter ea quæ dicta sunt è diuerso Saturnus nocte, Mars die, figurationi dominatur, potissimum in Cancro, Virgine aut Piscibus. Dęmonio plecti nascũtur & Lunatici quando sic constitutæ maleficæ Lunam præhendunt ad Solis radios properantem, Saturnus quidem cum Sole congredientem, Mars uerò oppositam, maximè in Sagittario & Piscibus.

Obseruandus est ordo quoniam comitiales minus affici existimat, furiosos deteriores, dæmoniacos pessimos. In comitialibus igitur tres conditiones requiruntur: quod Luna & Mercurius non simul configurentur: secunda quod Saturnus de die uel Mars de nocte sint in ascendente: tertia quod malefica quæ est in ascendente uel aspiciat Mercurium & Lunam, uel eleuetur super illos, uel dominetur locis eorum. Manifestum est autẽ quod cum Mars sit nocturnus & Saturnus diurnus, minus male agunt, quàm Saturnus de nocte & Mars de die. Nam Saturnus de nocte immẽsam generat frigiditatem, & Mars de die caliditatem: Ideò solum facta cõmutatione habemus per tres easdem conditiones signa stultitiæ: quæ tamen augentur per Cãcrum Virginem & Pisces: quia talia signa scilicet Cancer & Virgo significant studiosissimos, quia in Virgine geminatur uirtus Mercurij, ob domum & altitudinẽ, & Mercurius significat animã rationalem, ut dictum est & Cancer est domus Lunæ & altitudo Iouis & Luna significat animam imaginantem & sensibilem, & Iupiter significat cultum, & ideò Cancer significat eos qui excolunt propriè animam, & studiosos disciplinarum & rerum publicarum, sicut Virgo potius rerum artificiosarum & minoris utilitatis. Cum igitur corruptio accidit in his signis significat stultitiam: sicut studiosi frequentius & magis insaniunt quàm cæteri. Et etiam quia ista signa non sunt fixa neq; sanguinea, quæ duo maximè à stultitia remota sunt. Similiter etiã Pisces quia cũ sit domus & exaltatio beneficarũ, corruptio quæ accidit in illo est maior, & maximè quia Pisces sunt signum stultum & absque sensu. Et ideò furor qui cõtingit à Piscibus non est eiusdem rationis cum furore qui contingit à Cancro & Virgine: quia à Piscibus contingit quidam stupor & amentia, à Cancro uerò & Virgine insania & furor uerus. Causa uerò cur hi qui boni sunt magis insaniant & frequen-

Lib. 6. probl. 4 tius, tum studiosi, uisa est in problematibus nostris. Dæmoniaci uerò, cũ sit deterior affectio, indigẽt quarta cõditione, scilicet quod Luna sub radios Solis uadat ad coniunctionem uel ad oppositionem. Si ad coniunctionem, cum sit frigida deterius affligitur à Saturno qui frigidissimus est. Si uerò ad oppositionem cum calida sit deterius affligitur à Marte. Mars enim calidissimus, simile autem simili iunctum facit furorem. Quòd uerò à Piscibus & Sagittario magis causa est quia dæmoniaci sibi duplices esse uidentur: Hæc autem signa bicorporea sunt & ratione etiam carent, cum sint opposita signis in quibus dominatur Mercurius. Iupiter quoque uidetur corrupta natura eius adiuuare hãc dispositionem, ut inferius uidebitur: hoc autem facit ut existimo propter simplicitatem & fatuitatem quam propriè significat cum malè dispositus est: & quia diuinationes etiam ostendit & sanguinem mouet & religionis author est. Hic autem morbus maximè à religionis opinione ortum habet, nam philosophi negant.

Lib. 4 cap. de opificio.

TEXTVS LXXVII.

Solæ igitur maleficæ prædictum ad modum uictoriam schematis nanciscentes immedicabiles reddũt quos diximus morbos fertos tamẽ, neq; passim in populum fama dispersos. Si uerò cõciliatis Ioue & Venere maleficæ in occidentalibus partibus sint, beneficę uerò beneficis locis & angulis sitæ, medicabilia quidem, sed illustria nimis hęc uitia constituunt ac ueluti publica exempla. Iupiter enim Medicorum opera sanabilia significat: Venus oraculis & deorum subsidijs.

Tria genera casuum declarat. Primum est quando simpliciter luminaria à maleficis opprimuntur absq; alio auxilio: istud iam declaratum est. Secundum cum maleficæ sunt in occidentali angulo & beneficæ in orientali uel in Medio cœli. Hoc autem hic declarat. Tertium cum maleficæ sunt in orientali angulo & beneficæ in occidentali, de quo in sequenti textu. Nũc igitur proponit quod erunt illustria sicut & in sequenti casu propter beneficas. In primo autem erunt magis occulta hæc uitia. Sanatio enim propter eos qui sanauerunt palam facit persæpe morbos qui latebãt. Quòd uerò (Fertos) dixit quasi occultos & latentes, ac à ferendo secum, ut puto qui uertit Ptolemæum sic appellauit.

TEXTVS LXXVIII.

At si contra maleficæ in orientali angulo consistunt, beneficis ad occasum reiectis, incurabilia iuxta ac illustria, maximeq; omnibus inuulgata. Epilepticis continuitatem morbi afferunt, uociferationes, & mortis sæpe terrores inijciunt. Ad insaniam & stuporem adijciunt, in domesticos incoërcitam licentiam, denudationem crebram & blasphemias, hisq; cognata. Ad dæmonoplexiam aut cerebri uuiditatem, bacchantium cõsuetudinẽ, occulta passim prodendi morẽ, uerberationes & his similia exempla. Peculiariter uerò ex locis, quæ figurationem comprehendunt, Solis & Martis loca ad insaniam efficacia in primis sunt. Iouis & Mercurij ad comitiales. Veneris ad numinis adflatus & archanorum reuelationes. Saturni & Lunæ ad humorũ copiam, ac dæmonoplexias, id est, dæmonum uexationes.

In primo genere de quo superius dictum est, nec illustria, nec sanabilia, nec insanabilia uitia portenduntur: In secundo illustria & sanabilia: In tertio quod pessimũ est, quia maleficæ sunt in oriente atq; ideò ualidæ, beneficæ uerò in occidente atq; ideò debi-

debiles, illustria & insanabilia non solum facit, sed singulis morbis aliquid addit ut in textu. Præterea quatuor facit combinationes quarum tres singulæ augent morbos singulos: Solis & Martis insaniam, Iouis & Mercurij comitialem, Saturni & Lunę dęmoniacos: Quarta quę est Veneris cõfiguratio ad diuinationes et archanorum reuelationes cõmunis duobus morbis ultimis insaniæ scilicet, & dæmoniacis: nam comitiales non diuinant. Cæterum Sol & Mars insaniam augent, furoresq; ac clamores & uerbera, ob uehementẽ caliditatẽ cũ siccitate iunctã. Saturnus uerò & Luna dæmoniacos ob frigiditatem magnam, copiamq; humoris crudi. Vnde talis morbis in utilibus potius quàm in nobilibus, & in fœminis quàm masculis sæuit. Iupiter uerò & Mercurius comitialem morbum magis excitant: quod cum ille sacer dicatur ab occulta quadam proprietate oriri uidetur, & diuina ira sicut etiam recitat Hippocrates. Ideò magis conuenit iste morbus Ioui & Mercurio: nam Iupiter diuinitatem quandam significat, & Mercurius occultas causas. Mercurius quidẽ quia fermè semper latet sub Sole & propter uarietatem motus: Iupiter uerò diuinitatem refert propter beneficentiam & probitatem: Hæc enim duo propriè Deo conuenire uidentur.

TEXTVS LXXIX.

Hi sunt ferè morbi qui circa uniuersam agentis animæ cõstitutionem eueniunt, & ex his figurationibus colliguntur. Quæ ad eius partis quæ affectionibus percellitur naturam pertinent, è potissimo genere ęstimata uident maximè circa masculini aut fœminini sexus excessum ac defectũ iuxta utriusq; naturam uersari. Iudicantur uerò simili cum prædictis ratione, nimirum cum Luna Solem in Mercurij locũ surrogantes, & Martis cum Venere ad illos configurationem.

Hi sunt qui dicti sunt morbi rationalis animæ: nunc uerò de his tractat qui ad animam pertinent inferiorem, ita tamen ut non credas hos solos esse morbos aut uitia quæ ad eam animam pertineãt, sed etiam gulam, iram, ac reliquas animi perturbationes: sed tamen de his solum tractat quæ uehementiores sunt. Circa quod notandum est quod amor & ira sunt affectus maximi qui animum perturbent: quoniam epicli horum Planetarum maximi sunt, & iuxta magnitudinem eorum fiunt affectus uehementes: Veneris quidem maximus omnium est, quamobrem amor plurimum potest & homines obcæcat, inde Martis, unde furor & ira. Quod igitur de amore Ptolemæus dicit pro Venere, idem de ira intelligendum est pro Marte, de timore & auaritia pro Saturno, est enim auaritia timor quidam, Iupiter quoque facit, ut ita dicam nimis probos. Et ita per unam regulam propriam de Venere quo ad amorem, Ptolemęus ostendit nobis quinq; regulas quæ omnes affectus animi sub se continent. Igitur dicit quod si pro Mercurio substituamus Solẽ, & ita pro Mercurio & Luna obseruauerimus Solem & Lunã: Et pro Saturno & Marte Venerem & Martem, ita ut pro Saturno Venerem obseruemus, affectus animæ quæ procellit, id est, sensitiuæ, & quæ intellectiuæ subiacet, circa amorem & concubitus desiderium intelligemus.

Itaq; hic non leuis dubitatio incidit: Cur sit quod uitia animi superioris, ut comitialis, insania, dæmonium ubiq; inueniantur, generaliterq; stellarum cõcursibus subiaceant: Et apud omnes gentes astrorum decretis subijciantur: non sic cõcubitus nefarij: nam apud Germanos, Christumq; colentes uix unum inuenias qui puerorum concubitu delectetur: etiam si palam illud astra decernant? At uerò apud Aegyptios Maumethiq; cultores etiam si non id palam atque constanter astra decernant, nihilo secius facile his uitijs detinentur. Dico igitur causam esse quoniam anima sensibilis rationali subijcitur, iccirco talia uitia legibus subiacet: stultitia uerò & dæmonium & comitialis morbus cũ uitia sint animæ rationalis, subiacent ipsis astris, nec ab ulla ui possunt auerti cum suprema uis ipsius hominis concussa sit & afflicta. Quamobrem de prioribus quidem uitijs uelut & de corporeis quod animæ rationali non

subia-

subiaceant absolutè pronunciabis: de his autem quæ hic describuntur, quæq; ad Venerem pertinent, non similiter, sed alia quidem non omnino euenient, alia uerò aliter, quoniã legibus & consuetudinibus obediunt: Apud Germanos gratia exempli puerorum concubitor propriis manibus se polluet, aut cum alio talia patrabit, uel cum ancillis, utilibusq; personis concumbet. Et ut breuiter rem absoluam, morẽ gentis in talibus nouisse necessarium est.

TEXTVS LXXX.

His ita oculis expositis si lumina sola in masculinis signis sunt, mares naturam masculinam superant, fœminæ ad uirilem nimium indolem, naturamq; transeunt.

Luminaria sola faciunt affectus aut masculinos aut fœmininos nimis, cum ambo fuerint in signis eiusdem generis, scilicet masculinis ambobus, aut ambobus fœmininis: sed hoc discrimen non graue erit. Si uerò Sol in masculino, Luna in fœmino signo fuerint: hoc erit exactè secundum naturam. Si autem contrario modo, scilicet Sol in fœmino, Luna in masculino signo, tunc erunt similes naturalibus hominibus non tamen adeò exquisitè tales: sed & quandoq; magis masculi quàm oporteat, quandoq; magis effœminati, & hoc si Mars in masculino signo fuerit, Venus uerò in fœmino.

TEXTVS LXXXI.

Si uerò Mars quoq; & Venus, siue uterq; siue alteruter masculini fuerint, uiri ad conuenientes naturæ congressus procliues admodum fiunt, adulteri, incoërcibiles, & nunquam non accincti ad turpem & illegitimam commiscendorum corporum uoluptatem. Fœminæ uerò coitus præter naturam institituti appetentes euadunt, salaces, oculis emissitijs, & quas tribades appellant, uirilia sibi munia sumentes. Et si quidem sola Veneris stella masculafuerit, clancularia hæc & latentia uitia significat. Sin etiam Martis, aperta: ut legitimarum uxorum loco habeant nonnun quam quibus cum commiscentur.

Per illegitimam Venerem intelligit stuprum, adulterium, incestum, & cõcubitum cum pueris ac cum fœminis alieno modo, non tamen ipsi erunt extra naturã, id est, concubitum patientes. Fœminæ uerò potius qualitate quàm quantitate peccabunt, masculino modo se commiscentes: quę uitia quãdoq; apud monasticas seu sacratas uirgines regnare solent: sicut & masculorum concubitus apud monachos, non quidem omnes, absit, sed apud eos, illasq; tantum, quisq; non sponte, sed decepti decepteue, aut à parentibus compulsi, compulsæue, ui intruduntur. Piget me talia dicere, sed ueritas me compellit. Cæterum quod ad textum attinet, Venus sola si delinquat cum luminaribus quia benefica est minora mala facit atq; ideò latẽtia & occulta: sed si Mars misceatur præter id quod malefica est, clamosus etiam est & petulans & inuerecundus: ob id omnia sponte detegit: Maiora etiam prædicans quàm fuerint, turpitudinem omnem & flagitium non solum dedecori non esse existimans, sed laudi & gloriæ. At uerò si inimicus fuerit facit ab inimicis accusari & æmulis: Reliqua nota sunt.

TEXTVS LXXXII.

E diuerso cũ luminaria in prædicta figuratione in locis fœmininis inueniuntur, fœminæ in ijs quæ sibi natura conueniunt modũ non sciunt, uiri præter naturam ad fœminarum mollitiem & cuirationem propen-

dent.

dent. Cum ad hæc Venus quoq; fœminina est, fœminæ procliues in uenerem, adulteræ & salaces fiunt, uenereamq; operam & inconuenientes potissimum sexui suo congressus, neq; ullo tempore, neque hominũ ulli recusantes, turpe aut illegitimum sit, nihil pensi habentes. Viri uerò molles & ad naturæ ignotas coitiones præcipites & concitatos, quicq; muliebres sibi partes cõgrediundo uendicãt, occulte id sane & tecte. At si Martis quoq; stella effœminata fuerit, aperte ac libere, & urbana prorsus fronte quæ diximus exercebũt, meretriciam illam & publicæ prostitutorum turpem & execrabilem personam induti, usque ad communem populi indignationem & deuotionem infames.

Duobus uerbis res constat, quatuor hi significatores, Sol, Luna, Mars, Venus, in similibus sexui nati signis immoderatam in quantitate libidinem efficiunt: non tamen inconuenientia aut contraria sexui nati efficiunt. In contrarijs uerò sexui nati signis immoderantiam libidinis in quantitate non adeò augent, uerũ ad contrarias sexui proprio cõmistiones incitant. Eo fit ut neq; tribades tam frequenter cum puellis agere desiderent, nec pueri pati uenerea sicut mulieres, aut sicut uiri agere. Intelligenda quoq; sunt ea quæ hic dicuntur de perfecta ætate, nam ut dixi, puellæ, pueriq; persæpe in uiolẽtas dominas aut dominos incidunt, à quibus flagrorũ maximè metu, tum simplicitatis causa, alij etiam auaritiæ multa nefanda perpetiunt absq; astrorum indicatione, nisi subtili coniectura potius quàm hac generali regula id deprehendere uelis. Hoc autem discriminis interest, quod si astra consenserint iam adulti facti & liberi & compotes sui in eisdem uitijs perseuerant: Si uerò absq; astrorũ generali decreto hæc contingant, ubi adoleuerint & compotes fuerint sui, ab his uitijs abstinebunt. Docet enim Aristoteles in Moralibus hæc uitia maximè à pueritia contrahi, cũ contigerit improbis dominis seruire. Et quæ cũ cruciatu fiunt diuturna consuetudine transire in uoluptatem: quæ tamen non succedet si astra non cõsenserint. Verum Ptolemæus de sua ætate, regione & lege intelligit: in quibus procliues magis etiam erant absq; seruitute, uiolentiaq; nec illa indigebant: Veluti & nunc Tuneti ut narrat Ioan. Leo in Africana historia, ubi mulieres passim, pueriq; nulla uiolentia, sed modica solum pecunia se prostituunt. Vt contra apud nos non eadem licentia in masculis. Verum in fœminis magis apud Anglos & Gallos quàm apud Italos atq; alia ex ratione.

TEXTVS LXXXIII.

Conferunt etiam orientales & matutinæ figurationes Martis & Veneris, ut hæc omnia uiriliora sint & illustriora, notioraq;, occidentales autem & uespertinæ mulicbria magis & tecta. Haud dissimiliter Saturnus his accedens, ut sint insolentiora & impuriora hæc omnia & cum maiori turpitudine ac dedecore coniuncta. Iupiter uerò ut decentiora, uerecundia quadam uelata & tutiora. Deniq; Mercurius hæc reddit uulgo notiora, agiliora, milleq; modis uaria, & cautius instituta.

Tres facit cõtrarias comparationes orientalis ad occidentale: & orientalis significat actus masculinos, & ob id etiam maiorem impudentiam: nam & masculi fœminis sunt impudentiores: & in Problematibus scriptum est cur pati magis quàm agere turpius ducatur: fateriq; magis uerecundentur: causa ex Astrologia clara est quoniam orientales stellæ agere significant & palàm, occidentales autẽ occultè atq; pati. Secunda comparatio est Saturni & Iouis: Saturnus facit omnia fœda & turpia & impura, non tamen adeò palam ut Mars, quia Saturnus frigidus est, Mars uero calidus

dus Iupiter autem omnia moderatiora reddit cum sit undequaq; utilis & beneficus. Tertia comparatio est Mercurij qui propter tot multiplices orbes, tamq; uarios motus & humilitatem naturæ, abscondit, detegit, miscet, uariat omnia: et nisi metus adesset satis palam faceret. Inuenit etiam mille modos inusitatos libidinum: eorũ proprie author qui olim Spintriæ uocabantur.

Circa quod notandæ sunt duæ regulæ, quarũ prima est Halí, scilicet quod omnes regulæ dictę de morbis corporis aut uitijs, seu morbis aut uitijs animi, seu sanitate utriusq;, seu de uita, filijs, honoribus, diuitijs, atq; alijs rebus, intelliguntur eodẽ modo in progressionibus seruatis tribus conditionibus. Prima est ut non repugnet natiuitati talis effectus omnino. Secunda ut directio significet talem effectum generaliter. Tertia ut adsit in progressione propria significatio talis effectus: tũc in illa progressione eueniet res significata, quæ raro tamẽ erit perpetua. Exemplũ, in nostra genitura non est repugnãtia lucri; anno 51 peruenit Iupiter ad quadratũ Solis & trinum Lunæ & Sors ipsa per directionem etiam ad sextilem Solis & oppositum Martis & quadratũ Lunæ, & significabat generaliter itinera propter ascendens, & bonum in rebus ad fortunã pertinentibus: eodem igitur anno Luna fuit propè Iouem & Iupiter in trigono Veneris & Mars in quadrato Lunæ. Præstitit igitur iter illud prolixũ & honoratũ in quo fui cũ Regibus & Principibus, & accepi multa dona ab eis: & propter quadratum Martis & directionẽ ad oppositũ eius partis fortunæ: Et quia Luna in natiuitate est in quadrato Martis, significat pericula ab aquis & ab hominibus, & maximè quia Luna est cũ capite Gorgonis in uno circulo. Aliud exemplũ: aliquis nõ habet indicia quod non possit esse dæmoniacus, cõtingit quod per directionẽ Solis aut Lunæ, aut ascendentis significatur morbus eo anno: in illo anno Luna cadit in septimã profectionis oppositã Soli, & Mars eleuatur supra illam in eodem angulo: Tunc ille fiet dæmoniacus eodem anno & posset etiam mori ex illo morbo & sanari iuxta magnitudinem detrimenti. Quod si natiuitas repugnaret & reliqua maneant, incidet in magnum morbum illi affinem, ut conuulsionẽ uel iram. Si uerò natiuitas non repugnet sed directio desit, significans generaliter bonũ uel malum, tũc apparebit aliquid sed erit exiguũ. Si uerò directio generaliter significet & genitura nõ repugnet, progressio autẽ sit contraria, uel reuolutio, erit sicut dictũ est superius. Memineris etiã quod cum directio & progressio in unũ contra natiuitatem consenserint, apparebunt eo anno quædam umbræ talis effectus, nõ autem ipse effectus qui per directionem & reuolutionem significabatur.

Secunda regula in sciendo quemcũq; effectũ, dirige semper significatores positos à Ptolemæo in tali causa. Veluti uolo scire statũ animæ, dirige Lunã & Mercurium pro rationali, & Solem & Lunã pro inferiore anima, & primos duos ad Saturnũ & Martẽ, & secundos ad Martẽ & Venerẽ. Et ita pro morbis corporis Solem, Lunã & ascendens ad maleficas: Recordando quod Mercurius persæpe cũ ab initio fuerit in aspectu inimico significatorũ, aut dominus loci oppositi eorũ, aut in aspectu amico maleficarum, aut dominus loci earum, aut ipsæ maleficæ dominæ loci eius, tunc ipse habet uim maleficæ. Et hæc regula de directionibus ad unguem etiam est intelligenda de progressionibus.

FINIS TERTII LIBRI.

CLAV-

CLAVDII PTOLEmæi Mathematici, de Iudiciis, Liber quartus, Caput primum quod est Prooemium.

TEXTVS I.



Væ igitur genituram præcedunt illiúe cõnexa sunt, amplius ea quoq; quæ eam comitãtur, cuiusmodi sunt universæ animi & corporis constitutionis propria, hæc ferè sunt quæ diximus. Eorũ uerò quæ aliunde accedunt & deinceps explicandorum primus est de opibus & dignitate, existimationeq; nati sermo. Cohęret enim ut rerum possessio ijs quæ corpori propria sunt, ita honoris quæ ad animum pertinet.

COMMENTARIVS.



Vatuor proposuerat superius tractanda: scilicet genituram antecedentia, ut parentes, & connexa ut sexum ac numerum, concomitãtiaq; ut uitam, formam, mores, & de his omnibus tractauit simul & de his quæ & præcedere possunt & sequi uelut de fratribus, nunc reliquũ est, ut de his quæ sequi tantum solent: uerum tamen, & de hac diuisione aliâs dictũ est dum doceremus ex Ptolemæo quadruplicem tractationem principiorum, uniuersaliũ, connexorum, & succedentium quæ fermè ad fortunam pertinent. Nam de primis tribus dictũ iam est, de quarto autem in hoc libro iam dicemus. Cap. 3.

Hic Hali docet oportere philosophum esse qui rectè uelit iudicare, generaliaq; præcepta cognoscere atq; intelligere diligenter, aliter operam omnem frustrari. Idq; rectè omnino dictum. Nec debere quenquam dubijs uerbis polliceri aut prædicere, sed clarè atq; perspicuè & singulariter quæ futura sunt. Itaq; & generalia scire oportet, & in philosophia eruditissimum esse, nec hæc sufficient nisi duo alia etiam cognouerimus, quorum primum est de consuetudinibus proprijs gentium atq; hominum, uelut de ira Germanorum, Parthorum feritate, mercatorum bonis uerbis, artificum mendacijs, talibusq; innumeris. Secundum est ut sciamus quomodo homines generalibus effectibus subijciantur: Nam multi occidunt absq; signis uiolentę mortis: multi iuuenes moriuntur qui ad senium peruenire debuerant: multi ditant absq; diuitiarum signis. Vt uerò huius ultimi exemplum afferamus, nam de alijs supra locuti sumus & de omnibus malis, dicamus de hoc uelut & de honoribus & magistratibus atq; alijs bonis quod certum est amicos non decerni ita à genitura, ut quis eos ab initio qui futuri sint & quales dignoscere queat, constat autem quod amici principes & diuitias, & honores, & magistratus afferũt: Igit cõtingit quod ex amicitia (quæ ex genitura deprehendi qualis futura sit nõ potest) homo natiuitate satis humili ad magnos status perueniet. Sicut contingit de Maximiliano Stampa, qui cũ haberet infelicem genituram, quia tamen inter illam & genituã Francisci secũdi Sfortiæ Ducis Mediolani fuit cõmutatio, factus est ditissimus, honoratus et potentissimus, in alijs rebus tamen infelicissimus, quia genitura talis erat & non fuit in alijs commutata. Et similiter quarta genitura licet sit per se felix, eò tamẽ est felicior quo ascendens suum & fortunæ partem alternatim cum fortunæ parte & ascendente primæ cõmutat. Rursus genitura Ludouici Ferrarij per se egregia est, quoniam tamen Lunę locus illi est,

nobis ascendenti proximus, & Iouis loco, adiutus est à nobis. Et hoc est in quo plus habet Fatum quàm Astrologia. Hęc autem commutatio cum Principibus pars est & similis ei quæ est cum generalibus constitutionibus. Nota igitur quod si generales constitutiones debiles fuerint, exaltabuntur solum qui bonas habent genituras & commutant loca principalia. Si uerò ualidiores qui commutãt nec repugnantem bonis habent genituram. Si adhuc ualidiores, qui præclaras habẽt genituras & commutant in processibus. Si uerò ualidæ multum fuerint quicunque commutãt ex processibus. Si uerò adhuc fuerint potentiores, qui bonas genituras habent omnes, etiam si non commutent. Vltimo cum fuerint ualidissimæ cõstitutiones omnes eius loci exaltabuntur, ut in Mecha propter Maumethi aduentum. Ita in cladibus & pestilentijs, omnes moriuntur quãdo constitutiones ualidæ fuerint admodum, quibus solum ascendens absque auxilio Apheta fuerit, etiam si nullo modo cum constitutione concordauerint. Hæc igitur causa est cur qui infelices habent genituras, modo non sint uiolentæ & biothanatæ, debent adhærere Principi, nam si concordauerint poterunt esse felices, si non concordauerint, nihilominus non fiunt deteriore conditione, cum etiam si non adhæsissent infelices futuri erant. Contrario igitur modo qui solum ascendens Aphetam habent, omnes calamitates generales uitare debent. Quod autem dixit (Eorum uerò) declarat ordinem dicendorum hoc argumento: sicut tractatio de corpore præcedit tractationem de animi qualitatibus ut superius uisum est, ita tractatio de opibus tractationem de honore: nam ita se habẽt opes ad corpus, sicut honor ad animũ. Sicut enim opes exornant corpus, ita honores animum.

Caput secundum.

TEXTVS II.

De nati fortunis.

QVæ igitur possessionis sunt, à Sorte siue parte fortunæ petenda, sunt tantum illa ob quam Solis à Luna distantiam ab horoscopo abijcimus tam in diurnis quam nocturnis genituris, propter eas quas, ubi de uitæ spatio egimus, causas attulimus.

Magna fortuna in genituris octo modis habetur quo ad diuitias. Primus est cum Sors cum Ioue bene fortunato coincidit, tunc enim undique diuitiæ affluunt. Secundus cum Venus est in cœli Medio, præstat enim beneuolentiam, elegantiam, sermonis gratiam popularem, morumq; facilitatem, unde opes affluunt. Tertius cum Iupiter in secundo loco extiterit: Cœli enim Mediũ trigona radiatione aspicit, ad horoscopumq; ascendit: Cum igitur non possit uitæ fauere fauet proximiori rei uitæ, scilicet diuitijs, quibus uita incolumitas, honores, amiciq; habẽtur. Quartus est cum Luna fuerit in ascendente: Facit enim accommodatos, & negotijs tractãdis faciles. Quintus Sol in occidente, illustrat enim ascendens ex aduerso radijs temperatis, facitq; graues atq; iucundos, quo nihil melius est in homine. Sextus est defluxus Lunæ & applicatio accommodata: cuius ratio statim subijcietur. Septimus est coniunctio Iouis cũ Venere, uel Capite draconis, uel Luna, uel fixa stella benigna, uel fixa stella benigna cum Sorte, uel Sole, uel Luna & maximè in angulis. Octauus commutatio Sortis aut luminarium, aut ascendentis cum felicibus genituris, ut in præcedenti capite diximus.

Clarum est autem quod diuitiæ multis causis sequuntur, præcipuè ob honores. Quis enim honoribus & magistratibus fungi potest qui nõ ditescat, nisi sit alter Aristides, Phocion Cato? Sequuntur etiam ob industriam, mortem affinium, gratiam

principi

principum, artis excellentiam. Cum igitur ita sit, quæcunque ingens aliquod bonum pollicentur, pollicentur & diuitias: ut in sexto & septimo modo.

TEXTVS III.

Videre igit̃ oportebit eos qui signi hac ratione inuenti gubernationem sibi uendicant, ut ualeant, an commodis & familiaribus in locis sint, sicut in principio differuimus. Amplius consulendæ sunt stellæ quæ eis configuratæ sunt aut supra eos euectæ eiusdem sectæ aut contrariæ.

Non ut in animi qualitatibus, semper stellas quæ supra dominos loci eleuant̃ refugit, sed solum cũ contrariæ fuerint dominis quæ supra illos eleuantur. Causa est quia in animi qualitatibus immoderata omnia mala sunt, ut nimia bonitas aut improbitas: non sic in diuitijs, quia nullus excessus nocet. Oportet igitur & dominos loci & qui supra eos eleuantur benè disponi, atq; inuicẽ consentire. Quamobrem si eleuentur stellæ quæ consentiãt cum dominis Sortis etiam melius est, quàm si solæ sint quæ dominantur. Et ob id raro contingit, ut præclaro ingenio & liberali euadant ditissimi. In locis commodis igitur à Sole à mũdo atq; familiaribus. Vt orientales à Sole in angulis, uel saltem secundo uel undecimo loco, quod hi succedant alteri nobiliorum angulorum alterum aspiciant amico aspectu in domo, altitudine uel alia propria dignitate.

TEXTVS IIII.

Si ualidi sunt ij qui fortunæ Sortem gubernant, diuites efficiunt, maximè si à luminibus testimonio familiaritatis corroborentur.

Diuitiæ splendorem magnum afferunt apud mortales, & ob hoc indigent & iuuantur testimonio luminarium, non sic filiorum multitudo aut ingenium. Status igitur diuitiarũ ex quinq; rebus habetur. Prima ut domini loci Sortis sint à Sole orientales: Secunda, ut in angulorum centris: Tertia ut in propriis dignitatibus: Quarta Planetæ qui super ipsos eleuantur cum eis concordent: Quinta, ut domini loci Sortis cum Sole uel Luna conueniant. De conuenientia autẽ superius qualis sit & quot modis fiat dictum est. Planetæ igitur dominãtes Sorti in angulis maiores dant diuitias quàm in propriis dignitatibus: Sed eo minus stabiles, quo celerius ex angulo Planeta exit quàm è propriis dignitatibus, etiam si finis extiterit. Loquitur autem hic propriè de diuitijs omnibus præterquam paternis: nam illæ in certis regionibus ad filios necessariò deueniunt maximè natu maiores: & præcipuè Feuda uocata, ut arces. Quid si ubi primogenitus Feudis succedit, ut in Gallia & Scotia natu maior habeat dominos Sortis oppressos, secundus autem natu uel tertius illustres & à luminarium consortio etiam firmiores factos: Dicemus legem humanam plus posse quàm cœlestem in talibus, uelut contraria ratione in his quæ ad animum & corpus pertinent, cœlestem plus humana. Nihilominus primogenitus Feudi reditus pignori semper habebit datos, contra alter reditibus aliunde aquisitis affluet. Antequã tamen primogeniti conditionẽ superet aut æquet, non paruo tempore indigebit quantumuis felicissimè natus. Nam & lex primogenitorum ad generales pertinet constitutiones.

Sortem igitur sub Solis radijs latere parum aut nihil refert ad malum, sicut & cum Luna esse ad bonum, dominum aũt plurimum, sub Sole tamen propriè, si bene fuerit constituta publica præmia & Regum dona pollicetur: sicut in Solis quadratis & magis oppositis iacturam & amissionem bonorum ob fiscum. Similiter sub Luna cum Sol in ascendente fuerit uitam robustam & incrementa patrimonij ex contractatione cum hominibus decernit. Et si in trigono Lunæ aut sextili fuerit bene collocata & per rationes publicas. Velut in oppositio eius aut quadrato in signis nõ familiaribus iacturas ex contractationibus publicis et cõductione. Sol enim administrationes & magistratus significat, Luna eos qui conducunt opera publica. Idem uerò

& certius continget si loco Sortis illius domini ita fuerint collocati: Sed dices Ptolemæus uult quod dirigamus Sortem pro habendis euentibus diuitiarum, hic omnia tribuit dominis Sortis & nõ loco? Respondeo oportet intellígere ipsum per ipsummet. Cum uult, ut dirigamus Sortem ostendit debere tamen considerare dominos illius principaliter non locum ex hoc capitulo: Cum hic dicit considerandos esse dominos, ostendit ex Capite ultimo quarti libri habendam esse ipsius loci considerationem. Vnde qui occurrũt in directione etiam radijs quadratis aut oppositis, ut ibi docet sunt administratores loci. Attamen si ab initio fuerunt contrarij puta domini loci oppositi nocent. Qui uerò nocent ab initio utpote si Sors sit in Scorpione et Sol in Tauro paribus gradibus Sol non nocet Sorti, & hoc bene nota, sed est illi inimicus, ita ut cum directione uel processu uel per ingressum deuenerit dominium Sortis ad Solem bona deuoluentur ad fiscum. Non ergo Sol nocet Sorti, quia ab initio radijs oppositis illam afficiat: sed quia cum radijs oppositis illam afficiat ubi ad illũ deuenerit dominium offendet illam, non quæ est in radice sed directione uel processu aut ingressu. Hoc autem tantum interest quod si Sors afficeretur perpetuò, pauertas & detrimenta significarẽtur sicut si domini malè afficerentur. Non affecta autem Sorte sic, sed solum inimicis Planetis in occursationibus detrimẽta solum eueniunt non semper. Idem de beneficis.

Eadem uerò regula, ut dixi, in processibus tenet. Sed etsi secundum locum & Iouem considerabis, multũq; illis tribuas, non errabis. Aliter me nihil lucratũ omnino fuisset necesse, cum tamen non tam parum sum lucratus quàm parum mihi ex lucro superfuit. Si igitur ad partẽ fortunæ respicias Venus, Mercurius & Saturnus in octaua genitura illi dominantur. Qui cum sint cõcordes & in propríjs locis & absq; maleficarum testimonio stabiles & nunquam defuturas opes decernunt. Quia tamen absq; testimonio luminarium & in cadentibus locis omnes, paucas & minus quam mediocres. Et ita semper fuit.

TEXTVS V.

Verum Saturnus diuitias largitur per ædificia, nauigationes, agriculturã. Iupiter per ea quæ ipsi concredita sunt per præfecturas, per sacerdotia. Mars per militiam & exercitus ductationem. Venus amicorũ & & fœminarum donis & beneficijs. Mercurius per eloquentiam & negotiationem. Peculiariter autem Saturnus fortunarum Sorti conciliatus si cum Ioue configuratus fuerit, hæreditates donat, maximè quando in supernatibus angulis hoc acciderit Ioue occidente in bicorpori signo, aut applicationem ad Lunam habente, tunc enim ad liberorum procreationem deducti alienorum hæredes scribuntur.

Quod per se significant clarum est. Cum uerò nihil sit quod adeò & repẽte & multum diuites reddat homines quàm hæreditates, ob id causam huius tam cõspicuæ rei & ab hominibus desideratæ docere uoluit. Magnarũ igitur opum & tardè uenientium ac cum multis difficultatibus, duos Planetas maximè diuitiarũ significatores causas esse docuit & tardos: hi sunt Saturnus & Iupiter. Et quia per hæreditatem bonũ hæredi & malũ morienti aduenit, Saturnus pro malefica, Iupiter pro benefica assumendus est, & hæc est prima conditio. Secũda quod ambo sint in angulis superioribus: quia hæreditates sunt res magnæ & cõspicuę præsertim integræ & locupletum, ideò ut sint magnæ indigent locis potentibus quales sunt anguli & cõspicuæ indigẽt angulis supra terrã, qui sunt cœli Mediũ & occidens. Occidens propter mortẽ eius qui hæreditatẽ relinquit, cœli Mediũ ob magnã felicitatem. In occidẽte Iouem, in cœli Medio Saturnũ cõstituit. Hæc enim est ars Ptolemæi, ut commutationẽ & participationẽ maximè obseruaret. Cũ enim hoc ex cõcordia Saturni et Iouis, pueníre deberet oportet ut alter alteri cedat mutuo, ut etiã mortales in consilijs facere solent. Quòd si

omni-

omnino in talibus angulis non essent, sed puta in undecimo loco pro cœli corde: legata pro integris hæreditatibus, & in nono minora etiã significaret: idem in octauo pro accidente. Id uerò ad secũdum pertinet necessariũ. Tertiũ est, ut Iupiter in signo sit communi uel Luna illi applicet uel ab eo separetur. Hoc enim significat duo in unum coëuntia: Fit autem multis modis: unum: Enarrat consuetum Lacedæmoniorum tempore, uir infœcundus deligebat iuuenem qui cum propria uxore concumberet, itaq; filius natus duos habebat patres, legitimum non naturalem maritũ matris. Et naturalem non legitimum, iuuenem à quo erat procreatus. Mortuo legitimo, naturalis cum filio succedebat. Alius modus hoc tempore honestior: frater permittit fratri ut uxorem ducat, filiq; & ipse maiori in hæreditatem tum lege, tum consensu succedunt. Alius modus duo contrahunt fraternitatem & eorum altero mortuo alter succedit. Vt Mediolani Marcus Antonius Iacobo Baldouino, quos ambos nouimus. De aliis forsan etiam intelligit qui adulterini filij à matribus coniugi supponuntur. Eodem modo alias mixtiones interpretaberis. E quibus est quod Saturnus Marti commixtus eos facit Chyrurgos optimos si bene dispositi sint, & eorum alter opificio præfectus.

TEXTVS VI.

Ac si quidem stellæ eiusdem sectæ cum ipsis gubernatoribus, gubernationis testimonia ipsæ cõtulerint possessiones illabefactatas conseruant. Si uerò stellæ contrariæ sectæ eleuantur supra loca dominium exercentia, aut ijs succedunt labefactationem significant futuram bonorum.

Istud totum declaratum est superius. Si enim dominis opum maleficæ felices concordent: rapinis assiduis opes augebuntur. Si discordent à latronibus, furibus & publicanis diripientur. Si fortunæ causæ discordent iudicijs peribunt. Si auxiliabũtur iudicijs & fide augebuntur. Proprium autem est Marti & Veneri disperdere opes. Mars per rixas & ludos, & uenationes ac dilapidationes: Venus ob luxum, scorta, delitias, incuriam, uestes, & talia. Saturnus cum Marte & Mercurio facit Alchymistas. Qui tandem in monetæ adulterinæ fabricatores transeunt: plerunq; pœnas dantes. Et scias quod Saturnus solus propriè paupertatis imò mendicitatis auctor est: ut Iupiter non solum diuitiarum sed opum & affluentiæ.

TEXTVS VII.

Cuius euentus tempus in genere accipere licet ex stellarum id efficientium ad angulos & succedentia loca annutu.

Annuunt siue innuunt tempus generale stellarũ tam dominarum quam superearum eleuatarum constitutiones ad angulos. In angulis in iuuentute, in centris statim: in succedentibus media ætate: in cadentibus sero & in senectute. Vnde etiam in cadentibus habentes fortunarum significatores non omnino de diuitijs desperare debẽt: Verum cum etiam hęc ætas sit breuis & inepta laboribus, in paucis admodũ id contingit, & etiã plerunq; parum. Itaq; pauci sunt qui si ad summam senectutem perueniant, non uideant uariam in diuitijs fortunam. Idem uerò dices de occidentalibus quartis & orientalibus mundi. Et rursus de earum situ in cõparatione ad Solem. Manifestum uerò est quod pro propijs temporibus in Sorte professionem & directionem obseruare conuenit, ut infra docebit, non dominum illius: ita ut generalia tempora dominis, propria locis ipsis tribuantur. *Cap. ultimo.*

Sed dices quonam pacto aliquis ex sceleribus diues fiet: cum neque beneficæ scelera significent, nec maleficæ bene dispositæ? Sed uelut cum Saturno Mercurius Architecturam, & cum Marte fabrilem excellentem. Malè autem dispositus maleficus miseriam nuntiat: nullus igitur locus diuitijs ex flagitijs comparandis relinquetur, cum tamen plurimi sic ditentur etiam in immensum: Vt illud Iuuenalis.

Criminibus debent hortos prætoria mensas
Argentum uetus & stantem extra pocula caprum.

Nostra autem ætate non minus quam antiqua sunt frequentes. Respondeo maleficas potentes & bene dispositas hoc facere. Nec artem significant nisi dominę sint opificij. Cum uerò multitudo opum paratur, necesse est, ut dictum est, de hęreditate, beneficam maximè autem Venerē fauere, etiam si scelere id fiat: Nam malefica scelus, Venus autem aquisitionem opum significat. Quòd si nulla adsit benefica maleficæ uerò opificium non significent, & sint extra proprias dignitates, ualidæ tamen in angulis, tunc puro scelere & à legibus uetito diuitias parabunt. Quamobrem tales diuitiæ rarissimè perseuerant, diuturnæue sunt. Vt cum furto, latrocinio, moneta adulterina, falsis testamentis, paratur res. Duobus uerò modis res scelere paratur, & non à legibus punito, uelut fœnore, iniustitia, seplasia, alijsq; in tertio de sapientia, technis, dictis: uel cum maleficę opificio non præsidentes fuerint ualidę & bene affectæ sine fortunarum testimonio: uel cum ualidæ fuerint & malæ dispositæ cum testimonio fortunarum. Maximè uerò opes parabunt si ualidæ & benę dispositæ fuerint maleficę cum fauore beneficarum. Maximè autem in diuitiarū aquisitione concursus & in genitura & in temporibus obseruare expedit.

Caput tertium.

TEXTVS VIII.

De fortuna honoris & dignitatis.

QVæ ad diguitatem & ad hanc beatitatis partem pertinent, à luminarium statu & satellitum astrorum accipimus, obseruātes eorum familiaritates, nam si in masculinis signis fuerint ambo lumina & in angulis, siue alterum horum maximè conditionariū & stipatim quinq; erronibus erga Solem quidem matutinis, uespertinis uerò erga Lunam, reges erunt qui nascentur.

Septem genera status hominum quasi extrema inuicem quod maximè distēt declarat: per ea reliqua omnia, quæ infinita sunt intermedia, nobis insinuās. Nec comparando loquitur, sed simpliciter, ita quod etiā filius rustici hāc nactus genesim modo uiuat, ad regnum perueniet. Vt autem intelligamus ueritatem huius rei, debes scire quod luminaria in masculinis signis simul esse contingit secundū distributionem singulis quatuor hominibus, & cum hoc habere Venerem & Mercuriū orientalem singulis 16 hominibus. Sed de Saturno ut sit in primo statu cum habeat quinq; status singulis 80 hominibus. Igitur ut habeat tres superiores in primo statu singulis 2.M. hominibus continget. Vt uerò sit in angulis continget ex 6 millibus uni. Igitur per statum Regium intelligit statum eius qui præsit 3 millibus hominum. Nam cum de Luna uel Sole loquatur ad dimidium numeri reducitur. Intelligit ergo per reges regulos, more antiquorum & Arabum qui Reges faciunt atq; appellant unius oppidi dominos. Qualis sine numero sunt nunc in Africa & India.

Itaque Ptolemæus hoc in negocio maximè obseruat rerum ipsarum rationē. Cum enim sub eadem non solum Saturni & Iouis coniunctione sed etiam Solis & Lunæ innumeri nascantur quorum uaria est fortuna, rem hanc ad momentum transtulit. Nam qui in angulis sunt Planetæ plurimum possunt, quod res hæc breuissimo tempore duret. Eoq; magis quo in ualidioribus angulis scilicet ascendente & Medio cœli: Et in eorum centris. Hoc aūt ut rarissimum est, & in immensum augetur & excrescit donec ascendente luminari in ipsomet fuerit centro, non ita facile quenquam ad regnum magnum admittit. Ergo Ptolemeus hic per angulos simpliciter intellectos etiam Regulos decerni proponit. Quod si non in angulis solum sed etiam in cētris eorum fuerint ambo luminaria, tunc de magnis regibus intelliget. Atq; ita sermo hic

de primo

de primo statu omnium regum, qui tamen nõ sunt supremi, ut Rex Gallorũ, aut Hispaniarum, uel Turca, uel Anglorũ, uel Pannoniæ, & multo minus de Cæsare qualis est noster, est intelligendus. Pro regis nomine autem hic si Principem dicas iuxta consuetudinem nostri sæculi, clarius rem percipies. Erunt ergo tales Reges, ut Comes Flandriæ, Dux Austriæ, Dux Mediolani, Rex Bohemiæ solius, & hi inter maximos huius status, ut etiam Rex Aragonum, Dux Florẽtiæ. Inter mediocres autem Reges huius status, Dux Ferrariæ, Dux Mantuæ. Inter minores, Princeps Bisignanæ, Princepsq; Salerni, Dux Parmæ. Inter minimos autem comes Vgubij, Marchio Istonij. Iam igitur habes quid per Reges Ptolemæus intelligat & quomodo: nunc modo causam sententiæ illius exponamus. Luminaria in hoc casu obseruat quod dignitates Regiæ omni hominum generi imperent: non sicut alij Planetæ sic & luminaria certo hominum generi præsunt, sed generaliter omnibus. Nam Saturnus infimę plebi, Iupiter diuitibus & magistratibus, Mars militibus & artificibus durioribus, Venus mulieribus & mollioribus artificibus, Mercurius studiosis. Quod uerò in masculinis signis sint hoc facit ut efficatiores & promptiores ad negotia obeunda euadant. Quo etiam docemur nihil tam facere ad honores & dignitatem retinẽdam quantum efficatia et promptitudo in negotijs. Hæc autem ut ad regnum utilia sunt, non tamen in alijs rebus adeò. Nam primum malos mores in Venereis præstat plerunq; hæc cõstitutio, si modo Venus astipuletur, ut superius uisum est. Facit & aliorum contemptores & plerunq; boni & æqui. Et nil curantes nisi quod ad magnitudinem sui status faciat & explendum desiderium. Sũt enim tales immodici semper in cupiditatibus & actionibus suis. Nocet etiam quo ad uitam Lunæ constitutio in signo masculino. Ita nihil est ex quaq; parte beatum: multo minus Principum uita. De orientalibus uerò Planetis à Sole, occidentalibus à Luna, rationem superius declarauimus. Similiter & de angulis. Ergo si in Regis filij genitura quę dicta sunt contingant, non solum Rex, sed maximus euadet Rex, & regnũ suum tanquam ad id munus natus summa cum facilitate tractabit.

TEXTVS IX.

At si satellites Planetæ uel in angulis ipsi fuerint, uel ad superiorem cœli cardinem configurati, magnam decernunt & stabilem potentiam, orbisq; imperium: quæ quidem maior erit felicitas si hæ configurationes dextræ fuerint.

Si per orbis imperium intelligas totius orbis, absurdum hoc erit, quandoquidem ne ullus unquam toti orbi imperauit: neq; fieri posse, ut quisquã imperet in libris de Aeternitatis archanis demonstratũ est: sed nec de maiore parte, ut Cæsaris aut Alexandri Magni, cum constitutiones hæ quas hic Ptolemęus proponit frequentes sint, tales aũt principes rarissimi. Quòd igit antea diximus de regibus paruis, hic de magnis est intelligendum. Scilicet ut hæc constitutio Regem mũdi, id est, qui titulos ferat totius aut maioris partis orbis significet. Quales, ut dixi, Cæsar, Turcarũ Princeps, Aethiopum Rex, Rex Scytharum nostro tempore magnus Cham dictus, Rex Gallorum, Rex Anglorum, Persarum Rex Sophi appellatus, Cambaiæ etiã alijq; toto orbe celebres. Si tamen luminaria in centris præter id horum sint angulorum, fient tunc Reges maioris partis orbis ut olim fuit Augustus.

Illud etiam animaduertere decet, quod Ptolemæi tempore Romani Imperatores orbis hoc modo erant principes, sed hoc à generali constitutione Imperij Romani ortum trahebat. Quo fit ut ueri simile sit Ptolemæum uidisse genituram Augusti & & Tiberij quam habuerat Thrasibulus mathematicus, & C. Caligulæ & Neronis & Claudij & Domitiani. His enim omnibus ab astrologis prædictum fuerat imperaturos. Fuerant autem hi proximi ætati Ptolemæi & paulò ante illum. Credendum est igitur Ptolemæum obseruasse in illis hoc commune, quod dixit. Similiter & forsan in geniturís regum Persarum Xersis, Artaxersis, tum Aegyptiorũ Ptolemæo-

rum atq; etiam Mithridatis Antiochiúe & forsan Alexandri Magni. Nam nō tamen absolutè de mundi regibus pronuntiasset sola ratione absq; experimento fretus. Fuit enim Ptolemæus magnus supputator & temporum & motuum astrorum, iamq; condiderat libros Magnæ compositionis, ut in procœmio huius libri apparet. Itaque dictum hoc de mundi regibus tamē ad centra angulorum tum ad constitutionem generalem illius ætatis referendum erit. Poterit enim iam maximum imperiū in unum coisse & hereditario iure transferri in successores, & tunc erit difficillimum alteri qui ex ea familia nō sit hoc obtinere. Poterit rursus non coisse imperium in unū ut Nini tempore, & tunc erit difficile, perfecit tamen hoc Ninus Assyriorū Rex, ut regnum maximè partis orbis occuparet. Sicut Alexander magnus Persarum, quod iam uni familiæ tributum erat: licet Darius ille quem Alexander uicit non fuerit è stirpe Xersis uel Artaxersis. Vnde difficilius fuit Alexādro imperium illud occupare quā Nino: nam à generali constitutione sub qua Persarum Imperium coaluerat, Alexāder prohibebatur. Difficillimum autem est generalem constitutionem à priuati genesi, ut in secundo libro superius docuimus, superari. Quandoque autem imperiū coaluit in unum nulla certa familia dominante, ut Romanum post extinctum Neronem qui Iuliorum ultimus fuit, & tunc longè facilius est ex genesi imperiū orbis assequi, ut Nerua, Traianus, Galba, Otto, Vitellius, Seuerus, Alexander, Seuerus Afer. Maximinus, multiq; alij.

Sed iure merito dices, cum eodem momento tot in orbe nascantur, multi erunt totius orbis domini, quòd & experimento & rationi repugnat. Imò neq; unquam uisum est duos uel tres ad unguē unius ætatis uel simul uel altero alteri succedente maxima regna occupasse. Quod tamen necessarium esset ubi uera essent quæ à Ptolemæo dicuntur. Respōdeo quòd natura ordini uniuersi prouidit, raroq; tales primum eueniunt constitutiones: Et eorum qui nascūtur tunc pauci supersunt, quod superius declaratum sit, eos qui in centris habent luminaria plerunq; non nutriri, aut oblæsos esse uitijsq; tum animi, tum corporis detineri. Vnde prohibentur à maximis non solum negocijs sed sæpius etiam à mediocribus ac minimis. In eadem etiam regione non contingit fermè duos eodem momento nasci. Neque ego in uita uidi duos qui eodem horæ momento nati essent, nedum postmodum duos tam claris genituris. Plurimi etiam ab infantia pereunt propter parentum, ut uidebimus geneses. Eorum uerò qui tandem supersunt eodem momento geniti ob natalium discrimen; alij quidem momento obtinent regnum, ut Seueri Afri tempore Albinus & Pescenius Niger: Et Galieni tyranni triginta, quorum quilibet nomen Cæsaris usurpauit: Alij uerò non per se assequuntur imperium sed uices eorum qui possident, gerunt.

Quo uerò ad textus explicationem attinet, difficile uidetur intelligere Planetas esse à Sole orientales & in angulo cū Sole & sub radijs non esse, nisi Sol in ipsius anguli extremo fuerit, quod uix uerisimile uidetur, cū tunc non ualidus esset sed imbecillis? Respondeo quod primo hoc in occidentalibus Planetis à Luna nullā habet difficultatem: Rursus si ijdem in alio angulo præcedente fuerint, ut Sol in ascēdente, satellites in cœli Medio. Tertio contingere potest cum ipsi cœli Medium respiciūt ex secundo loco uel tertio, Sol aūt fuerit in imo cœli, uel satellites in duodecimo, Sol in ascendente. Neq; uetat quin in regionibus finitoris obliquioris Sol sit ualidus in angulo, & in eodem uel quinq; gradibus anterioribus: Planetæ & fixę (nam & de his quando fuerint nobiles intelligimus) appareant orientales in primo statu & ualidissimæ, tamen maximè ob latitudinem. Quę autem sint ualidissimæ docuimus in libris astronimicis. Neq; etiam uetat quin quando Planetæ sub Sole fuerint, licet sui ratione sint imbecillissimi uiribus omnibus Soli traditis, regnū decernere non possint. Nam Sol uel Luna, ut in initio huius capitis docuimus, regnorum possunt esse authores, non alij Planetæ.

Cur autem dextros radios sinistris præposuerit, non est ut putat Hali quod generaliter sint ualidiores, cum superius sit declaratum inter Planetas radium dextrum esse imbecilliorem. Sed hic cum loquatur de aspectu Planetarum ad cœli Medium

ad quam

ad quam defertur non proprio motu sed firmamenti, constat dextrum radium sinistro esse ualidiorem: cum de radijs loquimur Planetarum ad domos, cū uerò ad Planetas uel fixas siniſtri sunt præponendi. Superius dictum est quod radij dextri contra successionem signorum tendunt, ut ex Tauro in Pisces, siniſtri secundum, ut ex Tauro in Cancrum. Cum igitur motu primi mobilis Planeta qui est in Tauro in prima, uadat Piscium locum in undecima, patet propositū. Vnde liquet Ptolemæum uelle quod Planetę in hoc casu ualidiores sint in duodecimo loco quā octauo, in primo quam septimo, in secundo quam in sexto, in tertio quam in quinto. Ex his enim locis cœli Medium respicere contingit, licet non ubicq; gentium nec semper.

TEXTVS X.

Si uerò alijs ita habentibus solus Sol in masculino, Luna uerò in fœmi nino signo & angulare alterum lumen solum extiterit, duces tantum nascuntur uitæ, necisq; domini. Si ad hæc ne laterones quidem Planetæ angulares fuerint, neq; cum angulis aut configurati, magni tantummodo & natalium splendore conspicui, aut præfecturis, aut exercituum ductationibus, minimé uerò ducatibus illustres. At si luminaria quidem in cardinibus non sint, cardinales tamen satellites Planetæ extiterint, aut cum angulis configurati, in illustrioribus quidem dignitatibus non cōstituentur, in ciuilibus tamen hi promotionibus, & in sui generis uitæ mediocritate excellent. Si neq; stipatrices stellæ cum angulis coniunguntur, obscuros homines & nullis honoribus promouentes decernuntur. Extremæ uerò abiecti & infelicibus animis nascuntur, quibus neutrum luminare in cardinibus neque in masculino signo reperitur, neque stipatur à beneficis.

Declaratis duobus statibus principalibus quorum præcedens est sublimis & potentissimus nunc declarat quinq; alios status. Nec in ulla alia causa tam diligens fuit Ptolemæus quam uitæ & hac. Vitæ quidem quod ea sit omnium aliorum fundamentum: & etiam quod pulcherrimum de Astrologo exemplum præbeat. Honorū uerò quod illis omnia bona succedant, diuitiæ, amici, gloria, coniugia nobilium, inde, ni steriles fuerint, præclara soboles. Denique post corporis incolumitatem felicitas in humanis gloriæ comes est. Et quanquam Aristides & Phocion & Camillus, & Cincinatus & Fabritius & Scipio maior et alij multi honores adepti sint maximos cum summa paupertate: constat tamen potuisse illos si uoluissent omnino diuites esse. Phocion enim magna auri talenta quæ salua authoritate accipere poterat, oblata ab Alexandro spreuit. Sic cuicq; horum occasio affulsit diuitiarū, sed illi gloriosius duxerunt tantos magistratus gerere in summa paupertate, quam cum diuitijs: Non solum ob raritatem, sed quod hoc esset certum testimonium ingentis uirtutis datos honores pauperrimis, & singularis innocentiæ pauperes abdicasse se à magistratibus summis. Tertius modus à secundo differt quod unum tantum luminare habet in angulo ac in masculino signo. Memineris uerò, ut dixi, hic loqui Ptolemęum de his qui propria uirtute emerserunt: Vt Franciscus Sfortia primus, Castrutius, Iacobus Triultius, Hieronymus Moronus, Iacobus Medices, omnes pręter secundum ciues nostri. Non de his qui concordia cū potentibus genituris creuerunt, ut Cosmas Florentiæ princeps qui partim successione partim consensu genituræ suæ cum Cæsaris genitura adeptus est regnum. Et Maximilianus Stampa consensu genituę, ut diximus, cum genitura Francisci Sfortiæ secundi iam Principis Mediolani. Itaque te iterum monuisse uolui quemadmodum de diuitijs feci: aliter uel in magnos incideres errores, uel falsò Ptolemæum damnares. Sicut enim contingit mori in magna clade

multos

multos quorum genituræ longam uitam pollicentur. Et direpta urbe euadere paupe-
res qui dominos Sortis in cœli Medio habent: Ita in constitutione cõmuni uni gen
ti quæ recipit principes ex una familia, contigit ex eadem causa quæ est cõsensus ge
nituræ cum cõmuni illa constellatione nõ simplex ut quidam crederent & egregiè
rursus deciperentur, sed deductus per perpetuos concursus directionũ & progres-
sionum ac reuolutionum in quibus continua successione fit commutatio locorum
principalium, fieri quosdam principes, quorum genituræ uix mediocri fortunæ suf-
ficere uiderentur. His igitur hoc contingit ut si filij egregijs geniturís suffulti succe-
dant, regnum non minus quam uirtute partum roboratur & augetur: Si uerò filij ge
nitura patris genituræ similis est, eisdem artibus regnum retinetur quibus partũ est,
non tamen augetur: Quoniam iam deductio illa cum generali constitutione inter-
rupta est. Si autem filij genitura discors sit parenti, ut Dionysij iunioris olim cum
Dionysij parentis, & filiorum Pysistrati cum patre, & filij Periclis cum patre, & no
stra ætate Ferdinandi filij cum Alphonso patre Rege Apuliæ & Neapolis, & Ludo-
uici Sfortiæ cum Francisci primi patris, semper regnum illud corruet, & filius eo pri
uabitur etiam si pater non consensu sed uirtute parauerit. Quamobrem cum pluri-
mi sunt filij, si Regnum habenti meliorem genituram & magis concordem cũ geni-
tura parentis, & hora in qua regnũ adeptus est pater, re ut aliàs dixi & potestate non
cæremonijs, tunc regnũ illud proculdubiò in illa familia seruabitur. Et hoc est quod
Ottomanorũ familia tamdiu seruat regnum illęsum quod fortiori & promptiori at-
que efficatiori pater filio relinquit. Id autem ex experimento dignoscit. Sunt etiam
qui dicant peritos astrorum consulere. Nam ea gens, ut par est, astra diligenter ob-
seruat ut audio. Quicquid sit si ea regula seruetur, regna nec trãsferent nec desinẽt.
Quod si plures habeat pater filios & primus adeptus regnum minus congruentem
genituram regno habuerit & minus efficacem (nam ut dixi clarum est sententiã Pto
lemæi esse regnum efficatia constare) secundo aut tertio filio, tunc nisi concordent
genituræ efficatioris cum principis fratris genitura, regnũ illud proculdubiò euer-
tetur. Ideò tutissimum regnũ est in quo hæres regni est filius efficatior, seu qui habet
genituram, ut dixi, cum illis tribus conditionibus, congruentem scilicet primi Re-
gis genituræ, primæ horæ qua regno potitus est & luminaria in signis masculinis &
angulis, cũ Planetis alijs orientalibus à Sole, uel occidentalibus à Luna, in angulis
uel cœli Medium respicientibus. Et hęc omnia ut etiã Hali aduertit Ptolemæus in-
Tex. 1. clusit in tertio libro in his uerbis (Et plurimũ ualet in peculiarium prout uniuscuius-
Tex. 2. que conditio requirit casuum decretis) Et in secundo rursus ibi (Iam cum necesse sit
summitti imbecilliores naturas ualentioribus &c.)

Quartus ergo status est (ut ad ordinem redeam) cum unũ luminare est in signo ma
sculino & in angulo, aliud in fœminino & extra angulum. Idem fermè esset sed pau
lo debilius, si quod est in fœminino signo esset in angulo, & quod est in masculino
extra. Ex hoc patet causa quod effœminati, ut Sardanapalus, & Pathici, ut Helioga-
balus nõ sunt omnino idonei regno, quia tales habẽt ambo luminaria in fœmininis
signis, ut in præcedenti capite uisum est. Et ego cognoui principem muliebria patien
tem, & certe uiuus quod rarò contigit, regno exutus est. Et hoc est uerum de regno
quod solum proprijs uiribus, non alia authoritate, suffultum sit. Ex hoc etiam mani
festum est, cur plus possit ad amissionem regni effœminata conditio morum, quàm
auaritia uel crudelitas. Vt etiam nostra ætate in quibusdam uisum est.

Quintus status ad unguem ad primam pertinet genituram, ubi nec Sol nec Luna
in angulo est, Saturnus tamen & Iupiter & Venus in angulis. Hi ergo non nouũ adi
piscentur regnum sed suam conditionem à parentibus relictam retinebũt, sutor su-
toriam, eques equestrem, Senator Senatoriam, Rex Regiã: Et in sui generis medio-
critate excellent inter cõpares, scilicet sutor inter sutores diuitijs & authoritate præ-
ualebit: Rex inter reges sapientia, diuitijs, apparatu rei bellicæ, obedientia, regnique
amplificatione.

Sextus status est eorum quod honores nõ sunt apti sed in suo genere sunt obscuri:

atq;

atq; quodammodo incogniti. Contingit hic cum neq; luminaria nec stipatrices stellæ in cardinibus fuerint. Tales enim omnino abiecti & humiles sunt inter suæ conditionis, ut dixi homines. Nec ex duodecim exemplaribus genituris ni fallor ullam excipere nossem huic congruentem statui præter nostram. Status enim uniuscuiusq; describentur. Ex quo liquet non debere homines desperare, maiora quam pro astris expectentur, cum Ptolemæus hos status ad hominum existimationem ac cæcā fortunam referat, non ad eam quæ ex uirtute oritur, gloriam tum etiam honores. Itaq; cum ego repugnantibus astris nomen quidem inter eruditos essem consecutus non tamen mihi pro tot laboribus, uel semel eligi ad ullum officium inter collegas collegij contigit: nec apud aliquem principem in aliquo esse gradu, cum tamen tot nebulones dignitates apud illos sint consecuti: Et qui omnino non solum imperiti sint & habeantur, sed etiam in opere infelices. Vt contra de nobis cuius doctrinam non solum fatentur sed opera admirantur, & tamē consuetudinem, mirum certè dictu, non solum negligunt sed abhorrent. Ita liceat nobis astrorum uim non solum fateri sed admirari. Si ad causas inferiores referas, uix queas inuenire. Sunt maleuoli, sunt inuidi: nemini desunt obtrectatores & qui uerē habeant illis quod obijciant cum mihi non possint. Sunt alijs amici & qui laudarent, at nec mihi defuerunt. Quid igitur? ex astris hoc est. Quo factū est ut æquo animo ista uiderim semper tulerim: intelligens nec uitio meo nec aliorum crimine ista contingere, sed superum uoluntate. Sed iam ad septimum statum transeamus.

Hic adeò miser est, ut etiam si in potentis uiri filium incidat, eum adeò deprimat, ut omnino abiectus sit. Atq; ideò ad unguem primo & secundo cōtrarius qui etiam mendicorum filios euehere possunt. Constat autem hic status ex tribus. Primū horum est ut utrunq; luminare ab angulis cadat. Hoc præcipuè ad corpus pertinet: tales enim plerunq; morbosi sunt & debiles: & præsertim si in sexto uel duodecimo loco fuerint. Vnde ob hoc & ad labores inhabiles & contempti habentur. Hoc uerò & nobis nocuit cum minus firma ualetudine nec seruire Principibus possem, quibus boni species plus placet quam bonum: & obsequiū quàm artis excellentia. Facit etiam eos qui in assidua peregrinatione uersentur & exules, quod etiam existimationi obest. Secundum ut luminaria sint insignis fœmininis. Hoc animū deijcit à magnarum rerum cogitatione nec sinit prouincias magnas aggredi, reddit́q; inefficaces, quo uitio ad gerenda negotia magna nihil est deterius. Facit etiam cōtemptos nec tales ut ab his aliquid magni iure possis expectare. Tertium ut luminaria à nullis stipentur beneficis aut concordibus syderibus. Facit hoc ut ab omnibus deserantur & contemnātur, amicorum omnium præsidio destituti. Pertinet hoc igitur ad fortunæ bona. Cum igitur tales ex prima conditione bonis corporis careant: Ex secunda autē animi bonis: Ex tertia etiā fortunę, meritò hi in extremo miseriarū sunt collocati. Suspiciet etiam quandoq; ad septimi status constitutionē extrema quædam animi aut corporis calamitas ut cæcitas innata, resolutio totius corporis aut linguæ, amentia, aut immoderata peruersitas cum timiditate. Habes igitur septimi status non solum conditiones sed & causas. Ita egregia aliqua animi conditio, ab extremis existimationis statibus aliquot, contraria ratione, liberat. Quod facile, si ut oportet non tantum uerba Ptolemæi, sed etiam causam & rationem illorum diligenter perscrutatus fueris, intelliges. Vnde etiam educatio plurimum potest in corrigendis ac leniendis astrorum decretis: modo non tantum illi tribuas ut ex uno extremo in aliud posse transferre speres. Verum animi innata uirtus, cum educatione plus satis potest. Et licet non uerè, specie tamen quadam ad contrarios extremos status & quasi per umbram nonnunquam transferre solet. Non tamen tales sunt. Iuxta hos status duo digna animaduersione diligenti notanda sunt, quorum alterum est quod luminaria significant ipsam dignitatem & statum: laterones autem eos qui illius statui atq; existimationi suffragantur. Qui si in angulis fuerint potētes erunt, alibi debiles pro loci conditione: beneficæ, fidæ, maleficæ, inconstantes & quandoque infidæ. Alterum quod quilibet status cōparādus est statui parentū hora natiuitatis & ei qui per leges

necessa-

necessario ad filium ipsum post illorum obitum deuoluitur.

TEXTVS XI.

Hæc igitur in genere propositæ cõsiderationis descriptio dignitatum ueluti excellentiam quandam constituit. Mediocres uerò constitutiones quæ infinitæ sunt, coniectari oportet de forma ipsa tum luminum tum stipationis ipsorum propria uariatione, decp satellitij dominio.

Generales constitutiones tanquam terminos propriis finibus distinctos intelligit. Vt non sint excellentes hi termini per se singuli, sed ut spatijs manifestis ac magnis distinguuntur. Sed mediæ constitutiones sunt inter hos fines, inter quos cum sint septem termini, erũt sex spatia, quorum unumquodcp egregiam & manifestam habet latitudinem. Hi igitur intermedij status ex tribus cognoscũtur: Primus est modus quo luminaria sunt disposita in centro anguli, in medio, in fine, in initio succedentis medio fine, in cadentis initio uel medio in decimo, uel septimo loco, infra terram uel supra: Quodcp sint in dignitatibus suis, Sol in igneis, Luna in aqueis: uel contrario modo Luna supra terram maximè nocte uel infra: Luna in masculino, Sol in fœminino, uel contrario modo: quæ ordines non mutant, sed in eodem ordine eleuant aut deprimunt. Secundus est ex qualitate satellitij beneficarũ uel maleficarum, concordantium aut cõtrariarum in suis dignitatibus aut casibus potentium uel debilium, multarum aut pauciorum, dominantium locis luminarium uel inimicarum congruentium situ & tempore, uel dissidentium. Tertius est qui decernit qualitatem & causam existimationis: Et hic sumitur à domino signi satellitij. Præponatur carpentum, inde qui respicit locum & dominatur in loco, post dominus domus si nullus aspiciat locum satellitij ex dominis, nec ibi carpentum habeat. Quod si dominus domus sub radijs Solis fuerit, dominum trigoni in honoribus domino altitudinis iuxta Ptolemæi sententiam præponemus. Vltimo loco est dominus finis. Atcp ita ubi plures dominarentur atcp respicerent, ordo statuendus est.

TEXTVS XII.

Nam hoc si constiterit circa beneficas eiusdemcp conditionis stellas maior ipsis dignitatibus authoritas & constantia accrescit. Si uerò circa contrarios aut maleficos humiliora & incertiora omnia.

Satellitij dominus si sit benefica & cõcordet cum satellitibus est primus ac firmissimus status. Inde si concordet nõ sit autem benefica. Tertius cum benefica quæ non concordet. Quartus si benefica discordet. Quintus si malefica non concordet. Vltimus & pessimus cum malefica discordans dominabitur. Tunc enim omnia bona peruertet & turbabit, mala augebit.

TEXTVS XIII.

Futuræ dignitatis genus de stipantium astrorũ peculiari natura coniecturabimus. Quãdo quidem Saturnus satellitij præfecturam nactus ex opum cupiditate & reconditis diuitijs, potentiam conciliat. Iupiter uerò & Venus gratia donis, præmijs ac magnificẽtia. Mars expeditionibus, uictorijs, subditorum terrore. Mercurius intelligentia, eruditione, cura, ordinecp suarum rerum.

Verbum λαμπροφόντων & κυρείαν τ' λαμπροφόρας ἔχων magnã attulit ambiguitatem. Videtur enim à stipantium natura sumendũ genus causæ dignitatis: Inde in sequentibus uerbis potius à natura domini satellitij. Illud etiam difficillimum uidetur, ut à natura satellitij causam sumamus quæ pluribus conuenit necessario atcp diuersis:

Quo-

Quoniam non potest esse satellitium nisi plures sint Planetæ luminaria circundantes. Nec causa dignitatis à pluribus sumenda est, sed ab uno plerunq; Hali ob id more Arabum & etiam quia iure meritò hoc omnes torquere posset uerè exposuit omnia concilians digniorem in satellitio qui etiam illi præsit: Sed sæpe accidit ut qui præsit è satellitio non sit. Ob id igitur recipiendam Hali sententiam existimo ut qui præest è satellitio eligatur. Si nullus præsit: potentior in satellitio. Vltimo si omnes debiles extiterint: dominus satellitij. Vel si dominus satellitij sit, alter uerò in eo potentissimus, uterq; habendus erit. Exemplum in secunda genesi (nam ut bene Frimicus dixit Imperatorum & Regum geneses quoquomodo astris nõ adeò subijciũtur: Et uerè, quoniam etiam Regni initio subiacent, non tantum propriè genituræ: Iccirco fit ut de Regibus circa corpora & animos prædictio extendatur. Rex uerò magnus augere potest & minuere existimationem, mutare non potest, quæ cum regno ipso coniuncta sit. Quanquam, ut dixi, ea maxima futura sit etiam præter regni ordinem, quia tamen non adeò conspicua est genesis uis in regibus propter regni maximam illustrationem eam silentio nũc transmitto) Satellites sunt Iupiter, Mercurius, Venus, ex his Venus præficitur, nam est sublimis & in suo trigono orientalis matutina, Mercurius occidentalis uespertinus, & Iupiter in ultimo statu. Sed & Venus præest loco Iouis. In prima Saturnus est proximior Soli, Venus centro, utrunq; sumẽdum existimarem, æquali fermè authoritate. In tertiæ satellitio præest Sol, Mars, Iupiter, Mars Iouí commiscetur. Sol autem cum præsit illustrem facit natalibus, hoc est communi ratione. Ita intelligendum est quod Ptolemæus prætermisit. Nam si Luna præsit erunt uelut cursores, ac tales qui uulgari comitate omnibus noti fiunt.

Caput quartum.

TEXTVS XIIII.

De actionibus seu opificio nati.

QVis uerò opificij moderationi præsideat è duobus colligitur: Solenimirum & signo quod cœli fastigium obtinet. Videre enim oportebit stellam quæ matutino primo radios Solis exit. Et eã quæ cœli culmini conciliatur, maximè quando Lunæ se applicat. Et si idem Planeta utroq; iure potiit hoc solo utendum. Sic si utrunque neuter habet eo qui alterum habet, contentum esse oportet. Si uerò unus proximè apparuerit & alter Medio cœlo aut Lunę conciliatus sit, uterque in consilium adhibendus est. Primas tamen partes tribuemus ei qui plura ad dominandũ suffragia adeptus est. Quemadmodum in prioribus diximus. At si nullus reperitur huic muneri idoneus, nec mane uisus, neque in cœli culmine constitutus dominum Medij cœli accipiemus ut officium aut exercitium, studiumq; nati cui uacare consueuit, quando scilicet commodum est cognoscamus. Solent enim ex huiusmodi constitutione ocioſi plerunque pronasci. Hac igitur ratione inuestigauimus quænam stella actionibus, opificioq; nati formando idonea sit.

Illustrem conuenit esse statum stellæ quæ opificium decernit quo homines uitam ducunt, existimationem retinent, & totum uitæ tempus in eo consumũt. Quod in nulla alia humana actione aut adiuncto inueniri potest. Illustres autem stellæ status magis esse non possunt quam si nuper ante Solem oriatur pura & syncera iam substan-

tia, & omnibus conspicuæ, aut si cœli Medium teneãt. Quo fit ut talibus opificium assignetur. Vt quod magis moueat hominẽ ad studium illud. Quare stellæ quæ sub radijs latent studia non opificia decernunt. Tales uerò non adeò inclarent quamuis ea in disciplina celebres mathematici, naturales Grammatici & qui scribendo noua comminiscuntur, ut solent pictores, sculptores, medici & prioribus longè utiliores. Quamobrem distinguere hic oportet. Nã si debeat quis nomine exercitationis multum inclarescere & simul scire necesse est, ut Planetam unum opificij authorem habeat sub Solis radijs, alterũ in primo ortu. Velut in quarta genitura Iupiter est in primo ortu, Mercurius autem sub radijs, ut ex tabula ortus & occasus adiecta uidere licet. Qui uerò Planetam sub radijs tantum constitutum habent erunt nec uidebũtur, ut in octaua genesi. Quòd si in cœli Medio uel primo ortu author opificij extiterit, uidebuntur quidem nec erunt. Cuius rei exemplũ ponere superfluum existimo, cum nullibi copia horum desit. Et si unquam aliâs nunc etiam magis, ubi uerissimum est illud Horatij

Scribimus indocti, doctiq; poëmata passim.

Verum si nullus Planeta sub radijs optimè collocatus fuerit, nec etiam in primo ortu, aut cœli culmine, nec sciet ille prorsus quicquam nec exercebit. Ptolemæus igitur quatuor ordines eligendi officij dominum proponit: Primus cũ idem fuerit Planeta radios Solis exiens qui & in cœli culmine: Et eo magis si etiam Lunæ se applicuerit. Secundus cum unus tantum Planeta uel Solis radios exierit, uel in cœli Medio fuerit: Ille enim efficax erit & solus eligendus, quia solus est. Tertius est cũ diuersi Planetæ diuersas ex his tribus habuerint cõditiones uelut quod unus primum de sub radijs Solis exeat, secũdus sit in cœli Medio, à tertio Luna defluat (Hoc enim est Lunæ illum se applicare) omnes eligemus: potẽtior tamen est primus, inde secundus, demum tertius ultimus est: Sed uidendum est etiam ex his qui in loco Medij cœli & Lunæ præter id plures habuerit dignitates, atque is præponendus est omnibus. Quartus est cum nec primo oriens Planeta est, nec in cœli Medio, tunc enim eũ qui plus in eodem cœli Medio potestatis habet accipiemus. Ex quo patet quod eum à quo Luna separatur Ptolemæus contemnit quasi præponitq; uicem gerentẽ eius qui est in uertice (is est qui cœli Medio dominatur) ei à quo Luna separatur. Admonet aũt nos quod tales quibus nec Planeta radios Solis exuit primũ nec in cœli est Medio, plerũq; uacui sunt ab exercitatione, solis intenti studijs aut delitijs. In nostra genitura Mars exercitij est significator. Est enim in aspectu Lunæ dominus cœli Medij & orientalis à Sole. Quia tamen neque primum è Solis radijs exit nec est in cœli Medio, significat non pro studijs exercitationis assiduitatem. Quod impedimẽtum & ab astris & à contemplatione contigit. At dices, Reges officijs & artibus carent, hi uerò plus alijs ut in præcedenti capite usum est, Planetas primo orientes in angulis habent? Respondeo quòd oportet per officia & artes intelligere publicã actionem qua minus Reges carent quàm alij. Quidam enim administrant ius ut Claudius Imperator: Quidam exercent se corpore & pugna ut Maximinus: Quidam musica ut Nero: Quidam machinis conficiendis rei bellicæ, ut C. Cæsar: Quidam ociosi, ut Domitianus: Quidam pictura, ut Alphonsus Rex Aragonum: Quidam torno, ut Hercules Ferrariæ Princeps: Alij studijs, ut Antonius philosophus. Igitur exponit qui sint ociosi. Oportet autem consentientes artes dignitati tribuere. Ob id enim caput de dignitate statim subsequitur caput de opificio. Hæc igitur sunt quæ opificium & quantitatem eius significant & genus. Propriam aũt quandam fortunã sic describit.

TEXTVS XV.

Quales uerò futuræ eæ sint ex propria trium stellarum Martis & Veneris, & Mercurij, signorumq; in quibus uagãtur natura censendum est. Mercurius enim opificium gubernans, ut ita per exemplum dicam, scribas efficit, grammaticos, à rationibus, doctores, mercatores, nummularios,

rios, uates, astrologos, sacrificos, ac omnino in literis & interpreatione uel in datis & acceptis occupatos. Et si illi Saturnus suffragat alienorum bonorum moderatores, somniorum interpretes, in templis desidentes ibiq; uaticinijs ueluti furore diuinitus sint correpti uictitantes. Si Iupiter, legumlatores, rhetores, sophistas, cum magnatibus conuersantes.

Venus quando actiones regit efficit homines odoribus florũ aut unguentorũ, uino, coloribus, tinctura, aut aromatibus, alijsq; id genus operam nauantes. Qui uidelicet unguenta uendant, texant corollas, hospites recipiant, mercatores pharmacopolas, textores, qui aromata distrahant atq; pigmenta, pictores, uestiarios. Si illi Saturnus suffragatur mercatores rerum ad uoluptatem fruitionem & ornatum pertinentium: Incantatores uerò & ueneficos, lenones, & hinc uictum quæritantes. Si Iupiter, athletas, uictores in certamine, honoratos, mulierum opera euectos. Mars uerò cum Sole configuratus, ignibus operantes efficit: coquos uidelicet, fusores, ustulatores, æramẽtarios, fabros. Si Sol abest forte: Perferrum operantes ut nauiũ compactores, fabros, agricolas, lapicidas, quiq; lapideas structuras ędificent, gemmarios, lignorũ fissores horúmue ministros. Et si Saturnus ipsi suffragatur, nautas et qui sentinam exhauriũt, cloacarum expurgatores, milites, coquos, qui balneis & lotionibus præsint. Si Iupiter, milites, calones, publicanos, hospites, publicos portitores, uictimarum cæsores.

Omnis ars quadam cum felicitate tractatur, nec tarditate tãta indiget, ut Iouis aut Saturni circuitus peragatur. Ob id à qualitate opificij decernẽda, duo superiores Saturnus & Iupiter explodũtur. Sed & luminaria tum ob nobilitatẽ, tum ob communem naturam ut in secundo huius apertè explicauimus. Cum igitur quatuor Planetas è septem exemeris, iure merito tribus solis Planetis opificij qualitas est ascribenda. Hi sunt qui reliqui sunt, scilicet Mars, Venus, & Mercurius.

Opificiorum autem genera tria sunt, laborioſa, industrioſa, uoluptuoſa & delicata. Laborioſa soli Marti conuenire poterant, qui est Planeta superior & magnæ molis & rudis. Ideò etiam à talibus opificijs sumuntur boni milites. Mercurius ob paruitatem, Venus ob mollitiem non poterat præesse agricolis aut fabris ferrarijs. Industrioſis Mercurius præest: & maximè his quæ ad animam solum pertinent ut supputare, metiri, persuadere, mederi, disputare, et si quę sunt affinia his, leuiq; labore perficiuntur: ut scribere, & docere. Hæc enim corpore licet perficiantur, maximam tamen partem in anima repositam habẽt. Mercurius uerò animæ præest, ut uisum fuit. Quæ uerò mollia sunt & delectant, Veneris sunt opera.

Rursus quia in opificijs est substantia & quantitas quæ determinatur à Planeta, ut dictum est primum exeunte Solis radios, aut cœli Medium possidente, Est etiã qualitas quæ ab uno horum trium decernitur, contingit ut quilibet Planeta ex his tribus commisceatur alteri uel idem sit & qualitatis & quantitatis significator atque substantiæ. Voco substantiam quod quis uelit opificium exercere. Relinquitur igitur ut si solus non præsit, ut alteri commisceatur non ex dictis tribus, nam mixtum fiet opificium aut multiplex, igitur Saturno & Ioui poterunt solum commisceri. Cum igitur sint tres significatores, & quilibet solus, aut cum Saturno uel Ioue possit misceri, erũt nouem modi: Inde unus cũ Sol & Mars miscentur, fient igitur modi decem simpliciũ opificiorũ, qui positi sunt in textu. Nouẽ uerò cõpositos infra explicabit, ut sint in uniuersum 19 modi. Vnũ præterea Ptolemæus insinuauit inter simpli

ces sed non explicauit, quem Hali exposuit, cum Venus ita aptè Lunæ sicut Marti Sol misceatur.

Dixit igitur in quadam genesi Venus fuit opificij significatrix in Libra quæ est propria domus & exaltatio ac trigonus Saturni. Et Venus iuncta fuit Lunæ debili & ibat ad Saturni sextiles radios in fine signi & sexto loco. Quia igitur erat Venus, significauit texturam rerum pictarum, & ob Lunam lotionem taliũ, & ob Saturnum & domus casum uilium. Et ita texebat & lauabat res pictas uiles & parui pretij. Eodem modo duos alios in compositis intelligere expedit, ut sint 11 simplicia opificia, totidem composita. Et postmodum mixta erũt tria alia simplicia, ut Mars, Saturnus & Iupiter & totidem composita, ut sint omnia 28. 14 simplicia & 14 composita. Et post mixta ex tribus qualitatibus, scilicet Marte, Venere, Mercurio solis, aut cum Saturno uel Ioue uel utroq; : Et ita quatuor modis. Vt sint modi in uniuersum 32.

Quomodo autem misceantur, non dixit: Et Hali causam errandi dedit, quia ponit principalem significatorum unũ ex tribus, scilicet Martem, aut Venerẽ, aut Mercurium, inde commiscere uidetur Saturnum uel Lunam ut in exemplo: Sed neq; Ptolemæus hoc uoluit nec Hali dixit. Primus significator est generalis ut mihi Mars, & in quarta genesi Iupiter & euidentius. Inde uidere oportet quis ex tribus Planetis dictis alius commiscetur principali: in nostra etiam si nullus commisceretur, Mars esset significator quia est unus è tribus illis, tamen miscetur Soli, Lunæ, Mercurio & Ioui. Iupiter enim finis est dominus: Finis autem hac in causa plurimũ est obseruandus: quia est proprius & multum potest. Et in quarta Iupiter Soli & omnino Mercurio commiscetur. Atq; ita in alijs.

Mercurius cum Saturno facit alienorum bonorũ procuratores: & qui emunt etiam pro dominis: Seruilia enim hæc & ad opes pertinent quæ Saturno conueniunt, & tamen cum industria & supputatione. Somniorum interpretes ob Saturnũ qui inanioribus studet. Vnde etiam senes somnijs plus operam dant. Desidebant olim in templis phanatici. Saturnus enim mendaciorum author præsertim Mercurio cõmixtus, hoc autem genus uatum fallacissimum, mendacissimum & inane. Hæc monstra & superstitiones cum multis alijs pernitiosas, sancta lex nostra sustulit. Venus per se hospites significat, uersantur in popinis, sunt blandi & bonorum morum. Veneficium præstat mixtio Saturni cũ Venere, si quid aliud. Sunt enim timidi ambo hi Planetæ, & suspitione pleni, præsertim occidentales. Ideò quod ui non audent aggrediuntur dolo. Incantatoribus Saturnus fucum & mẽdacia subministrat, Venus quid occultum, & ut eis credatur facit, & ut prodesse possint. Lenones seruile & infame est officium ob Saturnum, cũ mulieribus uersant ob Venerem, ob id impudentissimũ, spurcissimũq; hominũ genus. Athletę corporis robore eximio pollẽt, & honorabantur olim: Cæterum præter robur corporis eximiũ, nihil in anima boni. Ideò ab ambarum beneficarum mixtione proueniunt. Indulgent autem tales genio mirum in modum. Martem abesse oportet cum non essent sanguinolenti, nec crudeles, nec pro uita certarent, sed desides & luxui diditi pugnabant honoris causa. Iupiter robur illud egregium, Venus honores illos inanes, uterq; uoluptuariam uitam præstabat. Exoleuit hoc genus hominum tam inutile. Mars gemmarios illos solum significat qui magnis laboribus trusatiles uersant rotas. Qui scalpunt ad Mercuriũ & Venerem cũ Marte pertinent. Vt enim labor non est exiguus & assiduus, opus est Martis: ut egregia industria indiget, ad Mercuriũ pertinet: ut in pulchro & pretioso subiecto uarias & formosas mentiẽ imagines, ad Venerem. Cum Saturno non coquos carnium, sed aquarium in balneis. Calones facit Iupiter Marti cõmixtus malè dispositus. Sicut in omnibus duas differentias intelligere oportet & medium. Velut Saturnus cum Marte malè dispositus cloacarũ expurgatores, bene chyrurgos: nã utriq; fœdam rem tractant: illi laninarũ retrimenta, hi saniem & pus. Sed hi cum honore & lucro magno, illi cum exiguo & omnino inhonorati. Calones igitur militũ partes sunt. Benè dispositus igitur milites fecit. Cauponas etiam sicut & Venus, sed non adeò gratiosos. Venus enim hospites significat (qui olim habebantur & nunc etiam

apud

apud Scotos solum) benignos: Emũt peregrini quod uolunt, illi obsonãt, panem & uinum tribuunt, considentq; simul in mensa cum hospite, cõmodo magno peregrinantium. Ob id hospitis nomen olim gratum & sanctum, quod uiolare nephas erat. Caupones omnia tribuunt, pecunias exigunt. Genus hominũ pessimũ, & infame.

TEXTVS XVI.

Rursus si duo sint qui actionibus præsint atq; uiuendi instituto, ut Venus & Mercurius, negotiosum reddũt in cantilenis, musicisq; instrumentis, concentu, carmine. Ac potissimum cum loca sua mutuo permutant: Efficiunt enim cytharœdos, mimos, mangones, quiq; organa musica fabricent, fides tractent, saltatores, textores, qui etiam ex cera conficiãt imagines, pictores. Quod si Saturnus rursus ipsis astipuletur, quos diximus, & muliebres ad hæc mundos distrahentes. Si uerò Iupiter, causidicos & à rationibus primos, Reipublicæ operam nauantes, puerorũ magistros, multitudini præfectos.

Mars cum Mercurio simul imperium adepti officiorum, statuarios efficiunt, armorum opifices, sacrorum monumentorum, fusores, luctatores, medicos, chirurgos, delatores, falsarios, maleficos, scalptores. Saturno uerò illis adiecto, carnifices, alienarum uestium direptores, raptores, latrones, abactores, malis artibus uictum quærentes, Ioue autem loco Saturni, industrios & agiles, uehemẽtes, curiosos, aliena opera subeuntes, & inde uictitantes.

Sin autem Venus & Mars officijs moderandis præficiantur, tinctores, unguentariosq; producunt, qui æs, plumbum, argentum & aurum tractent & fundant, agricolas, pyrrhicam saltantes, medicamentarios, medicos. Si illis Saturnus suffragetur sacrorum animalium curatores, uespillones, funerum designatores, quiq; nænias præcinant, diuinos, & ubi arcana sacrorum luctus & mactationes fiũt, uersantes. Si Iupiter, homines in sacris uersantes, augures, sacrificos, fœminarum cœtui præfectos, nuptiarum & connubiorum interpretes, & ex his uiuentes, uoluptuarios iuxta ac temerarios, & proinde periculis obiectos.

Simplicibus opificijs declaratis addit nunc mixtos, Mercurius, ut dixi, significat industriam & Venus labores leues. Vt uerò Venus clarior extiterit, musicos facit, si occidat, poëtas aut saltatores uel textores: Mimi & scurrę & comœdiarũ actores, scenicíq; uiri omnes ex eodem genere sunt. Mangones olim erant qui pueros expoliebant ut ob formam ad flagitium uenales haberẽtur. Cytharœdorum nomine omnes qui instrumentis pulsant intelligit. Textores, pictores, plastici, & qui quomodo fingunt ad hoc genus pertinent, si leui labore id agant. Saturnus illis adiectus facit uestium muliebrium mercatores: nam Saturnus laboris leuis quippiam addit. Iupiter facit ludi magistros, imperiũ enim quoddã & sapientiã declarat, quæ sunt ludi literarij magistris cõmunia. Vnde referũt iuniorẽ Dionysiũ, relicta tyrãnide, ne tęderet uitæ, ut quoquomodo imperiũ exerceret, Corinthi aperuisse ludum. Eadem ratione præficit etiam multitudini. Marte autem Mercurio mixto cum malefica mediæ iungatur, fiunt plerunq; mali, eoq; magis si Saturnus se illis addiderit. Non sunt autẽ hæ artes, cum artes omnes aliquid boni contineant, hi uerò authores omnes mali sunt. Medicos igitur & statuarios efficiunt bene dispositi & in locis beneficarum posi-

ti. Sic & fabros atque alios. Iupiter iunctus his loco Saturni uehementes efficit, quia tres Planetæ sunt omnes calidi masculini, duoq; ex his robusti. Mars autem Veneri mixtus cũ altera stella malefica sit, altera benefica, facit eos medicos qui pharmaca miscẽt, quos nos uocamus aromatarios. Vnde facile si his Saturnus misceatur in ueneficos degenerant. Et sua sponte etiam tales mali sunt. Quoniam Martis & Veneris natura dissimilis est, nec aptè miscentur. Olim cum sacrificarentur boues & alia animalia sacra talia uocabantur: nunc uerò desierunt. Mixtio etiam Saturni cum Venere facit diuinatores, &, ut supra uisum est, uetitis & dãnosis artibus deditos. Cum Ioue autem cum duæ beneficæ uincant felices faciunt satis, unde augures & sacrificos. Nullum enim genus hominum magis obseruatum aut felicius extitit in quauis lege sacerdotibus. Hi igitur à Ioue, Venere ac Marte significãtur. De Ioue quidem ac Venere causa clara est, & quod diuitias & reuerentiam & securitatem & opinionem diuinitatis significent: unde malè fecerunt qui Saturnum illis miscuerunt, unde paupertas & contemptus, quamobrẽ nullus ordo talis perpetuus, sed omnes eò diuturniores quo potentiores: Nam in talium constitutione beneficæ plurimum potuerunt. Sed de Marte causa est sacrificium & mactatio animaliũ, & nunc loco eorum curant funera hominum.

Quod uerò dixit loca sua mutuò permutant, tanti ponderis est hæc ratio, ut sine illa nihil in Astrologia ueri possit haberi. Quamobrẽ regula hęc declaranda est, cuius cognitione profunda artis mysteria declarantur. Sciendum est igitur Planetas cum se inuicem aspiciunt aut iungantur necessario esse ambos in propriis potestatibus, aut in communibus, seu trigonis, aut in mutuis dignitatibus, tuncq; recipere se inuicem dicũtur, aut peregrinos, aut in casibus propriis, aut mutuis, aut in communibus casibus: quod est esse in trigonis diuersis. Erunt igitur hi modi simplices & similes septem. Exemplum horum in propriis erunt Mars in Ariete, Iupiter in Cancro. In communibus Mars & Luna in Piscibus. Mutuò se recipient Luna in Virgine, Mercurius in Cancro. Peregrini ambo, Mars in Geminis, Luna in Leone. In casibus ambo, Mars in Libra, Iupiter in Geminis. In casibus mutuis, Luna in Piscibus, Mercurius in Capricorno. In dissidentibus trigonis, Mars in Geminis, Saturnus in Virgine. Dissimiles autem fiunt 21 modis, uelut quod unus sit in proprio loco alter in opposito, uelut Mercurius in Geminis, Saturnus in Leone. Sunt igitur modi simplices 28. Compositi autem similes decem ut in propriis & cõmunibus: Velut Sol in Ariete, & Iupiter in Sagittario. In propriis recipientibus, ut Iupiter & Luna in Cancro. In communibus recipientibus, ut Sol in Sagittario, Iupiter in Leone. In propriis & mutuo cadentibus, ut Luna in Cancro, Mars in Scorpione. In propriis dissidẽtibus, ut Mars in Ariete, Iupiter in Cancro. In dissidentibus & mutuis, ut Luna in Ariete, Sol in Cancro. Sunt præterea compositorũ dissimilium modi 30. tres pro unoquoq; simplici: nam unus aut alter deficit aut commutant. Veluti si ambo sint in propriis locis, unus autem recipiat: ut Ioue in Cancro, Luna in Tauro positis, uel si ambo mutuo se recipiant, unus autem in proprio loco, ut Ioue in Tauro, Luna in Cancro, uel si unus recipiat, alter in proprio sit loco, uelut Iupiter in Piscibus, Luna in Sagittario. Erunt igitur modi compositi similes 10. dissimiles 30. Simplices similes 7. dissimiles 21. Horũ itaque summa est 48 præter decõpositos, qui uix numerari quæũt, ut Sol in Leone, Iupiter in Ariete, nam sunt in communibus ambo, & unus etiam in propriis, & alter est receptus. Similiter Iupiter in Piscibus, Luna in Virgine: unus est in communibus, alter in propriis, & alter etiã in alterius casu. Ita decompositus est modus Martis in Piscibus, Veneris in Cancro: Et Mercurij in Scorpione, Lunæ in Virgine. His ita expositis, ut scias horum decreta per capita, animaduertere debes quod Planetæ in propriis locis ualidi sunt. Et si unus tantum sit alium superat & uincit. Et si in propriis locis se inimico aspectu intueãtur, aut mutuo casu sint, inuictum malum erit hoc. In casibus suis Planetæ debiles sunt. Sed si alter eorum solum in casu extiterit, qui erit in casu resistet & impediet alium, etiam si abillo recipiatur. Velut si Venus ex Cancro Martem in Tauro positum respiciat, Mars Veneris decretis resistet.

sistet. Quod si mutuo se recipiãt erunt firmi & expediti in decreto suo. Sed si unus tantum recipiatur, qui recipitur fouebitur à recipiente, sed tamen obediet illi. Et erit receptus uelut seruus in domo domini sui. Sed si unus sit in alterius casu, uelut Sol in Tauro, Mars in Virgine, Mars impediet Solem, & Sol Martem, sed non tantum. Planetæ in communibus significant consensum & præter id populi fauorem: Vt quasi res illa ab omnibus ad quos pertinet negocium illud, comprobetur. Si Planetæ sint in mutuo casu, erunt hostes, ideò uix consequetur quippiam boni per alterutrum eorum promissi. Si Planetæ sint in diuersis trigonis, discrepabunt media ad cõsequendum talem finem. Et iudicia hominum de eo erunt diuersa. Si solum unus Planeta est in suo trigono, alius autem non, claudicabit res promissa, quia non undique eãdem habebit existimationem apud eos ad quos pertinet. Peregrini difficultatem perficiendi uel assequendi intentum arguunt. Atq; ita de alijs. Exemplum in prima genitura, Venus est in communi dignitate & in suo casu, Saturnus peregrinus. Casus igitur proprius facit ut operationes Veneris sint debiliores, & hoc est bonũ, quia non erit adeò lasciuiæ & uoluptatibus deditus. Erit etiam satis hilaris, mãsuetus, & blandus, quia Venus uincit Saturnum ex trigoni dignitate. Quia tamen Venus cadit, & Saturnus est peregrinus, impedientur aliquot promissa Veneris, & difficulter perficientur quædam promissa Saturni.

Dicit igitur Ptolemæus quod si in mutuis fuerint dignitatibus, tunc euidenter & & firmiter suos effectus ostendẽt, & claros (intelligit) futuros eos in talibus artibus.

TEXTVS XVII.

Conferunt etiam signorum propriæ uires, in quibus gubernatores actionum & opificiorum Planetæ extiterint, nonnihil ad operationũ officiorumq; uariationẽ. Nam humanæ figuræ signa & operationes & opificia quæ arte, scientiaq; cõstant, & ad hominum usus instituta sunt, conducunt. Quadrupedia uerò ad res metallicas, negociationes, ædificationes, artesq; fabriles. Tropica & æquinoctialia ad res translatitias, ad interpretationes, ad rem geometricam, rusticam ac medicam. Terrestria & aquatilia ad res aquaticas ac humidas, ad herbariã ac naualem. Amplius ad res funebres, ad salsamenta, ad piscatum.

Duo esse de quibus apotelesmatũ liber tractat, superius docuimus: Scilicet quod significat, & quod significat. Quod significat, bifariã diuiditur: uel ratione substantię, & ita in quatuor, erraticas, inerrantes, figuras octaui orbis, & spacia noni. Vel ratione modi, & ita trifariam: in id quod significat, & id in quo est, & quod præest. Quòd uerò significatur, in tria diuiditur ut superius uisum est: Qualitatẽ, quantitatem, & tempus. Additur uerò modus ex secundo libro. Vt igitur hic habeatur ratio dictorum, sciendum quod absolutis duobus primis significatoribus, aggredit tertium, scilicet loca noni orbis, nam de his signis loquitur quæ spacio 30 graduum distinguuntur. Acquirunt tamen uim quandam iuxta similitudinem loci cum figuris quæ illis suberant tempore magnæ coniunctionis capitum, Arietis & Libræ octauæ & nonæ sphæræ tempore Christi: Hoc autem fuit parum ante Ptolemæum. De humanæ quidem figuræ signis parua est dubitatio, cum humanos affectus & studia circa homines significent. Quadrupedia humanæ naturæ sunt propiora cæteris, ut quę sensum habeant integrum, ideò mechanicas significant. Sicut humana liberales. Ex mechanicis quatuor magis necessarias demõstrat, metallicã, fabrilẽ, ædificationem, negotiationem, sine quibus humana uita omnino constare non posset. Ex his tamen tropica & æquinoctialia sunt duo, Aries & Capricornus: unũ est humanum Libra, aliud Aqueum, Cancer, medium quasi significant inter liberales artes & mechanicas, ut medicinam, geometriam, interpretationes, rem rusticam. Harũ enim omnium

Lib. 3. com. 9.

Lib. 3. com. 5. Tex. 25.

R. PENNSYLVANIA VENETA

initium est contemplatio, finis mechanicas. Terrestria & aquatilia significant quæ sequuntur. Sed nihil uetat quadrupedia significare mechanicas artes, terrestria tamen quæ sunt Taurus & Capricornus ut talia sunt etiam res aquaticas & humidas. Vel dic τὰ δὲ χερσαῖα, id est, fera & quasi humi repentia: Velut colubres & Scorpio. Nam & Arabes fera legũt, nos propius humi repẽtia. Quod uerò dixit herbariam, quia herbæ ab humida terra nascũtur. Naualis & ipsa ad aquas pertinet. Similiter & piscatio. Salsamenta quoq; humido atq; in humidis fiunt. Sal enim aqua quędã congelata est, & in eam resoluitur. Deinde si nõ ad illa signa pertineret hæc ars, ad quæ transferri cõmodè posset: Funebria uerò ad hæc pertinent, quia & olim & hunc mortui & uestimenta & lecti illorum, lauari solent.

Notandum circa hoc quod Ptolemæus diuisit artes in quatuor contẽplatiuas quę debentur signis regnis, tropicis scilicet & æquinoctialibus. Morales quę sunt practicæ & ad humana hæc signa pertinent: ut magistratus, iurisprudentia, docere pueros, & mores instituere. Expolientes quæ expoliunt opera naturę: ut metallica, negociatio, ædificatio, fabrilis. Et hæc quadrupedibus conueniunt signis. Et quæ opera naturæ imitantur ut herbaria. Et hæc ad aquatica signa pertinent. Sed omissis duobus primis membris diuisionis quæ bene se habent, dicemus cũ Galeno in libro de constitutione artis medicæ, quod artes quædam faciunt uel resarciunt, ut metallica, ædificatoria, & hæ ad quadrupedia pertinent: quædam facta à natura acquirere docet: ut uenatio, piscatio, aucupium, lignorum excisio, lapidum & metallorum inuẽtio, & hæ ad aquatica animalia & serpentes taliaq; pertinent.

TEXTVS XVIII.

Rursus si Luna propositum locum gubernet, à congressu cum Sole properans cum Mercurio, in Tauro, Cancro & Capricorno, uates facit, sacrificos, per peluim diuinantes. In Sagittario & Piscibus ex mortuis uaticinãtes & dæmonum prouocatores. In Virgine & Scorpione Magos, Astrologos fururorum consultos præscita edoctos. In Libra, Ariete & Leone diuinitus furore correptos, ex somnijs coniectantes, coniuros, id est adiuratores.

ἐξορκιστὰς. Coniuros uertit, seu eos dicas, quibusdam uerbis expellere dæmones è corporibus hominum profitentur. Additis etiam nonnunquam suffumigijs & notis occultis, tum amuletis, scilicet his quę collo suspendi solent. Intentio uerò eius est docere quod Luna est causa diuinationis, cum quatuor habuerit conditiones: Prima ut exeat Solis radios appareatq; iam tum: Secunda ut ad Mercurium uadat. Manifestum est autem occidentalem oportere esse Mercurium: Tertia ut Luna præsit cœli Medio, uel loco Planetæ opificium significantis. Hali solum de cœli Medio intelligit, & non de loco Planetæ præfecti officio: Quarta ut sint in signis cõuenientibus: Nec ex his putat aliquod non esse præter Geminos & Aquarium. Igitur Lunam esse diuinationum parentem experimento didicimus. Et licet in genitura Caroli Quinti Cæsaris hoc non significet, id contingit quod corpore non loco sit in ascendente: Ideò fortunam, non mores significet. Cur uerò author sit diuinationis multæ sunt causæ: Est enim multiformis, & ui continens omnium stellarum uires, & noctis tempori præest: Et per se phanaticos significat. Nec uerò solum cum hæc omnia affuerint diuinationis causa est, sed & si unũ ex his etiam deficiat. In Tauro igitur pròpriè facit uates, quia Venus occultam diuinationem facit, & in Tauro Venus & Luna gaudent. In Cancro quod aqueum sit signum, per aquam: in eo autẽ Luna & Iupiter dominantur, à beneficis autẽ diuinatio procedit. In Capricorno uerò quod Luna ibi trigonum habeat & Venus, & opponatur Cãcro: Sed quia in Capricorno Saturnus et Mars dominantur, significat immolationem, unde aruspices. Ptolemæi autem tempore hæc experimento comprobabantur, quod frequẽs esset hoc genus hominum,

minũ. In Sagittario & Piscibus, ut patri meo, necromanticos. Hoc experimento primo compertum est. Deinde uis Iouis cum naturæ Mercurij aduersetur, facit ut Mercurius ibi deiectus sit, & contrarium naturæ humanæ significet. Quare mortuos & dæmones. Sunt etiam signa bicorporea ideoq; duplicem mentem significant: hoc autem quomodo dęmones & mortuos referat, in libris de Rerum uarietate, de Subtilitate, deq; Animi immortalitate demonstratum est. Rursus in Virgine quod ibi Mercurius solium habeat & Luna gaudeat, nobiliorem scientiam diuinandi significant Planetæ. Hæc autem Astrologia & Magia est, ut aliâs docuimus. Sed in Scorpione quod Luna & Venus ibi trigonum habeant, & Scorpio, Tauro, ubi Luna & Venus dominantur, opponatur. Ignobilissimum igitur diuinandi modum decernunt ut de Capricorno & Cancro diximus. Hic autẽ est ut futura sciant, & prędicant solo quodam animi instinctu. Tales enim pro stultis habentur, cum sine ratione loquantur. Cum etiam plerunq; fallantur. Vt de quodam carpentario paucis ante annis phanatico contigit. Qui si alium habuisset dominum præter Cæsarem mitissimum principem, poterat meritò plecti. Audax & phanaticus, & seditiosus sine ratione: demum successurerum falsus omnino. Tales igitur Scorpij signum decernit. Diuinãt tamen quãdoq; ut dixi, propter uim Lunæ & Veneris in eo & oppositio signo. Sed in Libra facit eos qui ex somnijs diuinant propter uim Saturni & Veneris contrariã. In Ariete autem furore correptos obuim Martis: Sicut in Leone exorcistes ob Solis potentiam, quæ natura Lunę aduersatur. Ideò Luna dęmonis, Sol exorcistæ uim habet. Manifestum est igitur ex his, omnia hæc esse secundum naturam.

TEXTVS XIX.

Hac igitur uia qualitatem, naturamq; actionum, exercitiorumq; ex horum commistura colligere oportet. Modum uerò eorum & amplitudinem ex astrorum gubernantium ui. Nam orientalia cum sunt aut in angulis opificia sua authoritate & fama minime caritura pronunciant: occidentalia uerò aut à centris delapsa, hæc sub alterius manu, imperioq; fore. Superata etiam à beneficis magna significant opera, illustria, lucrosa, inculpabilia, uenusta: A maleficis uerò, uilia, obscura, minimè frugifera, utq; in quibus error commissus sit. Impedit uerò Saturnus tarditate & tepiditate: Mars calore nimio, temeritate, importunaq; diuulgatione. Vterq; autem ob uastationes seu euersiones.

Verbum τεφάτας ἀναστατικὰς Gogaua uertit uastationes seu euersiones, Arabes habent multa mala tota uita sua Qui sensus est magis ad rem & etiã literæ Græcæ conueniens, legatur aũt (uterq;) uerbum cõiunctim: id est si Saturnus et Mars impediãt. *Com. 15. huius*

Postquam igitur declarauit naturam opificij & substantiam de quibus dictum est superius, modum hic subiungit duplicem, unum qui consequitur naturam opificij, quod uerè artifex sit inclytus aut uulgaris, & hic sumitur à duabus qualitatibus Planetæ opificium gubernantis. Scilicet quod sit orientalis & iuxta alicuius anguli lineam, aut in altero horum deficiat uel utroq;: ut sint quatuor modi, duo extremi, totidem medij. Sed quid per astra gubernantia intelligat, an tres illos tantum dominos qualitatis, an omnes, substantiæ scilicet, an eos qui locis horum dominantur, quemadmodum in alijs causis distinguere solet dubium est: Alijs certè in causis quòd solum essent tria genera. Quod est, in quo est, & quod præest, nullam habebat dubitationem. Annectimus autẽ semper ei quod præest, & quod est, & in quo est, commune id quod super ipsum eleuatur, hac igitur in causa quinque erunt, quoniam dupliciter dicitur id quod est, commune scilicet & proprium: commune uerò quod eleuatur & supereminet totidem modis dicitur, scilicet quadrupliciter. Sed de communi solum loquitur ibi (superata etiam) relinquitur igitur ut de propriis intelligat. Hæc autem

autem, ut dixi, trifariam accipi possunt, at non uidetur de dominis substantiæ opificij intelligere, cum illa iam supponat in angulo esse cœli Medij, uel orientalia à Sole, quare non oportuit distinxisse de illorum statu orientali uel occidentali, in cētris uel ab his delapsis: Relinquitur igitur ut intelligat de dominis qualitatis, quos etiã præesse dominis substantiæ, declarauimus.

Quando igitur Mars uel Venus uel Mercurius ille ex his qui aspectu uel potestate loco Planetæ Medio in cœli posito uel primo orienti, id est, nouissimè ante Solem præest orientalis à Sole fuerit (intellige uel occidentalis à Luna) uel in anguli cētro, erit ille egregius in suo opere uerè: oppositio modo contrarium decernunt. Hi uerò qui super hos eleuantur Planetæ fortunam opificij declarant. Vnde manifestum est multos esse egregios in arte qui tamen nõ lucrifaciunt, nec sunt illustres, nec carent reprehensione, iusta non dico sed uulgari: Tales igitur uenustate carent tametsi inclyti. Alij contra nihil scientes, glorioſi & uenustè opus tractantes et apud populum cum laude artem, diuitias ex ea acquirunt. Necesse est autem in omnibus quandã esse uenustatem ad uulgarem opinionem. Et hæc si desit uili ars & artifex extimatur. Hoc autem discrimen exiguum est in artibus quæ industriæ parum habent ut cerdonibus, maximũ autem ubi plurimum est industriæ: uelut in medicina, nam in ea imperitissimus maximè consequitur persæpe laudem, negligitur peritissimus, ut Galenus conqueritur. Saturnus igitur si quis alius Planeta impedit omnes artes, omnes disciplinas, & studia, si eleuetur super dominũ opificij. Orientalis quidem fructum eius tollit, occidentalis omnino inhabiles, desperantes & à discendo abhorrentes. Quod ego etiam obseruaui. Ita ut quidam quibus Saturnus eleuabatur supra significatorem, officij omnino coacti potius ferrent uerbera quam quod discere uellent. Deterior autem Saturnus est in septimo loco, inde in ascẽdente, inde in decimo, ultimo in imo cœli: Mars uerò in decimo, inde septimo, post ascendente, inde imo cœli. Atq; hic ordo est in omnibus fermè causis. His igitur absolutis ad tẽpus declarandum accedit dicens.

TEXTVS XX.

Tempus augumenti & decrementi in genere coniectandũ est ex astris horum accidentium authoribus, ex eorum uidelicet ad orientalem & occidentalem angulum inclinatione.

Orientalis angulus significat initium uitæ, occidentalis finem, cœli medium uitæ ipsius constitutionem robustiorem ut pote à 30 ad 40 annum aut circa. Hoc autem in capite de temporibus euentuum exquisitè ostẽsum est. Huic autẽ capiti congruit pars tractationis de animi uitijs ac morbis, ueluti sequentis etiam capitis ultimæ parti dum de illicitis agit congressibus sequentia.

Lib. 2. com. 6. Lib. 3. tex. 76. Lib. 3 à text. 80 ad finem.

Ex his omnibus colligitur dari quatuor genera geniturarum: bonas quæ bonæ uideantur, ut cum luminaria & benefica in angulis fuerint. Bonas quæ malæ uideantur, ut cũ Planetæ ab angulis decidunt benefica tamen eleuatur super omnes. Velut in nostra genesi ubi Sol, Luna, Saturnus, Venus, Mercurius, decidunt non solum à centris angulorum sed ab angulis ipsis, Mars quoque debilis est: Sed Iupiter super omnes eleuatur: unde finem in omnibus rebus bonum decernit cum difficultate tamen maxima quod sit retrogradus, & bona ipsa tenuia, quia est peregrinus: Qui si esset in primo statu & suis dignitatibus, egregia bona præstaret cum tamen genesis egregiè mala uideatur. Sic Luna cum eleuetur supra Martem offensas & umbras periculorum decernit, cum tamen sit cum capite Gorgonis in eodem circulo. Quæ si cum illo constituta in quadrato Martis esset sub terra in loco Martis, Mars autem in loco Lunæ supra terram quamuis ab angulo cadens, capitis detruncationem polliceretur omnino, atq; præstaret. Tantum interest nouisse quis Planetarum in cõgressibus superior sit. At malæ quæ malæ uidentur, sunt in quibus omnes Planetę cadunt mutuisq; radiationibus aduersis se conficiunt. Cæterum malæ quæ bonæ existimantur, in quibus luminaria sunt in angulis, cæteriq; Planetæ, sed malefica omnibus imperat

perat locis illorum præposita, aut super omnes eleuatur. Deterius si utrunque contingat. Pessimum si utraq; malefica utroq; modo præposita sit. Atq; hæc in omni genere euentuum.

Caput quintum.

TEXTVS XXI.

De coniugio.

PRoximum est his ut de cõiugio agamus. In legitima igitur uiri cum fœmina coniunctione ita coniectandum est. Si de uiris agitur ad Lunam respiciemus ut affecta sit. Primum quidem quando in orientalibus quadrantibus reperitur, uiris in adolescentia matrimonium decernit. Aut post ætatem consistentem iuuenculam ducet mulierem. Si in occidentalibus tardè contracturum matrimonium, aut tempestiuè quidem sed cum uetula. At si radijs oppressa fuerit, Saturnoq; configurata, prorsus uxore carebit.

Partes ex quibus domus componitur, inquit Hali Boëthij authoritate, quatuor sunt: Diuitiæ, uxor, filij, ac serui. Cum igitur de proprijs omnibus iam tractauerit, de quibus ab initio proposuerat, reliquumq; esset ut de coniũctis ageret, egerit autem de diuitijs, relinquitur tractatio de uxore, inde filijs atq; seruis. Quibus peractis ad quædam transit propria quidem corpori & animæ, sed tamen quasi extra naturam ac fortuita, ut itinera & Mars: inde dè temporibus agit. Pro his autem omnibus atq; alijs notanda est regula generalis. *Cap. 3. lib. 1. in initio.*

Regula iudiciorum.

Cum tibi proposita fuerit genitura, considera hæc septem principalia. Primum locos & Planetas congruentes unicuiq; rei. Velut pro uxore Lunam, pro diuitijs Sortem. Pro animi qualitatibus Lunam & Mercurium. Secundum potentiores Planetas secundum substantiam: Et sunt hoc ordine Sol primus, inde Luna, Iupiter, Saturnus, Mars, Venus, & Mercurius. Tertium illum qui dominatur locis principalioribus, hunc uocant Arabes Almuten genituræ. Quartum potentiorem, id est, propiorem centro anguli nobilioris. Quintum an qui dominatur aut potẽtior est sit benefica uel malefica. Sextum dispositionem illorum in mundo, id est, quo ad Solem & proprium eccentrici apogeum: item quo ad Lunam & latitudinem, & in quo loco sit, scilicet ubi dominetur uel in Solio, uel loco peregrino, aut casu. Septimum commixtionem cum Planetis, quibus modis fiat, & qui quales q; sint. Quibus considera tis diligenter uide Planetam aut Planetas qui super alios eleuantur secundũ quatuor modos superius declaratos, & si talis Planeta est beneficus & bene dispositus secundum mundum, & potestatem in loco habet super quem eleuatur, tunc hoc est optimum & glorioſum in hac causa uel causis. Quod si maleficus sit contrariæ qualitatis aut loci, & bene dispositus secundum mundum, hoc est pessimum in hac causa uel causis declaratis à natura Planetarum super quos eleuatur. Quòd si beneficus aut maleficus sit malè dispositus secundum mundum, maleficus minus nocebit, beneficus autem minus iuuabit. Quòd si maleficus dominatur in loco super quem eleuatur: erũt magis perpetua & frequentia damna quæ inferret, minora tamen: Sed si aduersetur, erunt maiora & frequentia. Si peregrinus magna quidem sed non adeò frequentia. Gratia exempli si quis maleficã habeat eleuatam super dominũ opificij & loco illi præsit, ille negligetur in ea arte & contemnetur: Si sit peregrinus malefi cus comparatione loci super quem eleuatur habebit nonnihil existimationis & utilitatis, non tamen magnæ, & multa illi contingent infortunia. Si autem locus super *Lib. 3. com. 10*

quem

quem eleuatur malefica fuerit casus eius: tunc rara quidem sed maxima contingent infortunia: Existimationem tamen retinebit & lucrum consequetur. Hæc autem minuuntur & augentur mixtione. Exaltatio & potestas secũdum genituram, id est, appropinquatio centris angulorum semper suspecta est in maleficis non ita secundum mundum, id est, eccentrico uel ratione loci ubi dominetur, uel latitudinis aut ratione Solis aut Lunæ. Ergo si idem Planeta super omnes eleuetur, ille erit felix aut infelix in omnibus nisi ratione temporum. Nam in his contingit uarietas propter diuersas comparationes.

His uisis cum res coniugij maxima sit & communis, alteri luminariũ ascribi necessario debet propter secundum modum regulæ prædictæ. Sed cum Sol significet masculos, & masculus masculo coniugio copulari non possit, oportetut in masculorum coniugijs Lunam consideremus, ut in fœminarum Solem. In his uerò prius tempus consideratur quoniam prius oportet coniugium celebrari quam ut determinetur de qualitate eius qui uel quæ coniugio copulatur. Trifariam igitur contingit hoc esse, aut ut copuletur in iuuentute, aut senectute, aut nunquam. Hæ autem regulæ non tenent ubi plures uxores simul haberi possunt, ut apud Maumethanos: Nec ubi multi ex constitutionibus in cœlibatu uiuunt, ut apud Christianos: Nec ubi nepharium est, non nubere, ut apud Iudæos: Sed in quibus omnino liberum est utrunq; ut olim apud gentes omnes, & nunc apud eos qui se uocant Euãgelicos. Ad alios tamen adhibita solerti ratione applicari poterunt: Vt quod Maumethanus cœlebs erit cum omnino Luna damnata fuerit: aut Christianus nubet cum ab utroque Planeta libera fuerit. Luna quibus modis orientalis aut occidentalis dicatur, uisum est superius. Et inferius etiam docebit. *Lib. 3. com. 9. Com. 25.*

Notandum etiam quod Saturni impedimenta in actionibus naturalibus sunt frigiditas, in propriis segnities, in communibus auaritia. Martis autem impedimenta in communibus ira, in propriis festinatio inconsulta, in naturalibus autem non per se impedit. Atq; hæc contingunt cum supra alios eleuantur.

TEXTVS XXII.

Ad hæc si in signo unius figuræ aut uni alicui stellarum applicãs sereperta fuerit uno coniugio contentum esse demonstrat. Si uerò in bicorpori aut multiformi signo aut pluribus stellis in eodem signo applicet sæpius coniugium iterabit.

Tempore explicato, numerum decernit: Sensus est, una uxor habebitur, cum Luna in signo fuerit unius figuræ seu uni applicet Planetæ seu nulli. Plures, cum uel in signo bicorporeo uel multiformi, seu applicet uni Planetæ aut pluribus, aut nulli, seu etiam fuerit Luna in signo figuræ unius pluribus autem applicet Planetis aut saltem duobus, duæ aut plures significantur uxores. Hic autem contingunt quædã notanda & dubitationes.

Notandum quod pro numero Planetarum habebimus numerum uxorum ut si in bicorporeo signo sit. Et duobus applicet Planetis, tres habebit uxores: & si quatuor applicet Planetis, & sit in signo unius figuræ, quatuor uxores decernet. Notandum rursus applicationem esse debere ex eodem signo, non Luna signum commutante. Dubitationes autem quas reliquit tres sunt.

Prima si in signo duorum corporum uni tantũ Planetę applicet, duas ne an unam uxorem significabit? Respondeo quod licet ex primis uerbis una uideatur significari, in sequentibus tamen docet quod duæ. Igitur debet numerus Planetarum adiungi numero figurarum signi, & ab hoc aggregato detrahatur unitas si detrahi possit: Et relinquetur numerus uxorum. Sed si nulli sint Planetæ numerus figurarum signi docet numerum uxorum. Si uerò adsit unus Planeta cui Luna applicet, nõ auget numerum decretum à signo, sed facit ut firmius numerus ille custodiatur.

Secunda dubitatio est, an applicatio illa ex eodem signo sit intelligenda corpore tantum

tantum an etiam aspectu? Videtur Hali sensisse de utroq;. Et non solum de Planetis sed fixis cum fuerint in eadem longitudine & latitudine. Et breuiter dico quod numerus est incertus: Sed coniectura sic assequemur. Considerabimus primo an unam aut plures uxores sit habiturus: Item quo tempore an in iuuentute an senectute. Facilius enim plures habebit qui in iuuentute quàm senectute copulabitur. Tertio uitæ longitudinem mariti & etiam uxoris. Quarto stellas quibus corpore Luna applicat in eodem signo, seu errantes seu non, dummodo corpore illis iungatur. Illas etiã errantes quibus applicat radio exquisitissimè, maximè si fuerit quadratus radius, & Planeta ille Lunam recipiat.

Tertia dubitatio est an uerba illa, aut multiformi, debeant legi alternatim aut ut sint præcedentium expositiua. Velut dicamus multiformi, id est, bicorpori, aut multiformi, id est, multiplicis corporis, ac plurium quàm duorum: Et uidetur quod intelligit de uerò multiformi, quia fuisset occasio decipiendi. Ergo ita intelligit etiam de signis extra zodiacum, quandoquidem quæ intra illud sunt, sunt tãtum bicorporea. Multiplicia igitur sunt uelut Centaurus, & Auriga, Bootes, Hercules, atq; Hydra.

TEXTVS XXIII.

Cæterum si astra quibus Luna applicat seu loci propinquitate, seu testimonio, fuerint bona, bonas uxores ducet: Si mala, malas. Nam si Saturno applicuerit, erunt laboriosæ & tetricæ: Si Ioui, uenerabiles & familiam gubernantes: Si Marti, audaces & rebelles: Si Veneri, formosæ, gratiosæ, hilares: Si Mercurio, sagaces, & acuminæ præditæ. Amplius Venus cum Saturno, Ioue aut Mercurio, uictui quæritando utiles, coniugis amantes & liberorum: cum Marte, animosas, instabiles, uariabiles.

Qui de profunda uetustatis caligine talia uindicarunt, certè egregia laude digni sunt. Estq; boni uiri officium uertendo sensum pro sensu reddere, etiamsi falsissimus sit. Ob id tamen expositor ea lege non tenetur, sed quæ admodum absurda sunt uitare debet. Licet igitur legatur ἔτι δὲ ♀ μετὰ μιᾶ διὸς, ἢ μετὰ ἑρμοῦ. Quod est amplius Venus cum Ioue, uel Saturnus cum Mercurio, nos tamen quia nullum hęc uerba habent sensum, congruenti oratione uertimus ut in textu habetur. Hoc etiam in explicatione maritorum, dum Venerem alijs rursus comparat Planetis, perspicuum est. Sed cum de Luna agat, quid attinet ut Venerem comparet? Nisi esset quod Venus in coniugibus utrinq; multa placat, etiam si inuicem dissideant natura. Ob id igitur astrum cui Luna applicat aut Sol, coniugis propriam naturam ostendit: Cui uerò Venus, naturam illius ut ad coniugem se habebit. Multi enim boni natura sunt aut bonæ, cum coniuge tamen mali aut malæ. Aliqui etiam licet pauci uel aliquæ mali malæue natura sunt cum coniuge tamen quiete uiuunt seu ob Veneris dilectionem seu morum similitudinem.

Declaratur autem ex hoc textu quod applicationem etiam radio admittit dummodo testimonium præbeat. Præbet autem si in loco dominetur. Mulierem autem bonam intellige ut hominem pictum, non simpliciter, sed cum adiectione. Manifestum est autem & hoc gentibus contingere. Nam apud Belgas uiri quiescũt, mulieres negotia tractant. Apud hos igitur & horum similes Saturnus Lunæ ab initio consuetudinis commixtus fuit. Neq; uerò dubium est tam beneficas quam maleficas iuxta status diuersos magnum discrimen etiam in eodem astro efficere. De astris aũt agit hic quemadmodum diximus, non tantum de Planetis.

TEXTVS XXIIII.

In mulierum autem coniugio spectare oportet Solem. Is enim repertus in quadrantibus orientalibus, eas significat uel in prima adolescentia

nuptui dari: uel post ętatem consistẽtem cum adolescente matrimonium contrahere. In occidentalibus uerò tardè nubentes, aut maturè, sed cum seniculo. Et in signo unius formæ aut cum Planeta uno matutino deprehensus, semel tantũ nubentes: in multiformi aut pluribus matutinis configuratus, sæpe coniugium iterantes. Ac si Saturnus hoc modo Sole configuratus sit compositos maritos habebunt ac commodos & industrios. Si Iupiter, uenerabiles & magnanimos. Si Mars, immorigeros, strenuos, à liberis & uxore alienos. Si Venus, iucundos & formosos. Si Mercurius uictui consulentes & agiles. Venus autem cum Saturno ignauos facit & Venereis frigidos. Cum Marte calidos, ad congressum procliues, adulteros. Cum Mercurio liberorum amantes.

Si omnia quæ in hoc capite dicta sunt de uxoribus ex Lunæ statu in tribus proximis sectionibus, ad maritos referantur ex Solis statu in mulierum genituris, plana erit sententia. Hoc solum interest quod in Sole matutinos Planetas considerat loco uespertinorum à Luna. Nam & in Luna & Sole considerat Planetas quibus applicant an matutini sint an uespertini, seu quo ad Solẽ seu quo ad genesim ipsam. Præterea eadem ambo etiam de Luna animaduertit. Ex hoc alius dissoluitur scrupulus, nam cum Saturnum dixerit in Lunæ applicatione significare eos qui uxorem non ducunt, postmodum subiecerit, Lunam illi applicãtem significare maritos frugi, intellexit Saturnum solum efficere cœlibes cum Luna fuerit sub Solis radijs in mulieribus, quemadmodum in uiris cum fuerit à Sole occidentalis: aliter coniugium minimè impedit. Cur uerò prætereat coniunctionem Veneris cum Ioue in maritorũ qualitate decernenda cum in uxorum nõ præterierit, causa est quoniam liquet ex dictis illos futuros bonos, moderatos & modestos: cum docuerit Saturni & Martis uires hac in causa quasi esse contrarias.

TEXTVS XXV.

Orientales quadrantes hoc loco accipimus cum de Sole agimus antecedentes, & signũ signiferi ascendens & occidens. Cum de Luna à nouilunio & plenilunio eo usque ubi Luna diuidua est. Occidentales autem his oppositos.

Commune omnibus Planetis est, ut quod est ab initio cœli Medij usque ad orientem: Et ab initio imi cœli usque ad occidentem pro orientalibus. Occidentales intelligit his oppositas. Et ut magis talibus initijs proximæ stellæ fuerint, eo magis orientales erunt. Sicut contraria ratione in occidentalibus. In comparatione autẽ eorum ad Solem tam à coniũctione ad oppositionem Solis, quam ab illius oppositione ad coniunctionem, uniuersum uitæ statum censet contineri. A coniunctione quidem postquam peracta est humidum recens infantis, donec omnino in oppositione sit totum absolutum. Et rursus ab oppositione humidissimam infantis naturam, quæ in senio exarescit ut sub coniunctione instante, Planeta. Ob id igitur primæ quartæ & à nouilunio & à plenilunio significant dimidium primum ętatis usq; ad 35 annos uel circa: reliquæ ultimum dimidium. Non intelligo nunc de dimidio exacto numeri annorum: Sed per primam ætatem eam quæ augetur, per secundam quæ minuitur. Sicut & in his quemadmodum & in Sole dictum est ratio habenda sit partiũ utriusque, penes maiorem & minorem distantiam Lunæ à Sole. In inferioribus autẽ cum ad oppositionem non perueniant tota etiam uita à coniunctione ad coniunctionem cum Sole continetur. Verum quæ fit dum Planeta est retrogradus oppositionis in superioribus uicem gerit. Vera coniunctio est cum Planeta est uelocissimus. Cum igitur

vide lib. 3. com. 9.

igitur à coniunctione radios Solis exit, infantiam & pueritiam refert, facitq; ad discendum promptos. Cum in maxima elongatione, ualidos & robustos atque perfectos. Cum redeunt ad Solem & iuxta illum sunt, senibus assimilantur, ideò prudentes sunt. Cum sub Sole nullum statum habent sed totos se Soli dedunt. Tales maximè humana ob id sapiunt. Porrò ut dictum est totus status qui est à cõiunctione quæ fit dum Planeta retrocedit, alio statu prioris coniunctionis deterior est. Innuit ergo duos status, quo ad mundum communem omnibus Planetis, & quo ad Solem communem omnibus Planetis præter Solem.

Regula prima.

Notandum quod in uoluntarijs quædam ita decernuntur ut omnino quasi necessaria uideantur. Velut si quis habeat Lunam in Cancro in cœli Medio liberam à Sole, & Saturnum in tertia domo, ille proculdubio nubet. Rursus si Luna sit in septimo loco sub radijs Solis in Leone cum Saturno, pronuntiabis illũ proculdubio uxore cariturum. Atq; in his uoluntarium quasi in necessitatem Fati transit. Ita ut uiderim quosdam tempore quo uxorem ducturi erant adeò rapi ad hunc effectum, ut de nulla alia re cogitarent. In alijs intermedijs qui longè plures sunt his, caue ne tibi contingat quod olim Apollini. Tenebat quidam, tentaturus oraculum, sub digitis caput passerculi, ipsum autem in manu abditum, interrogans Apollinem an quod in manu teneret uiuum esset an non? Respondit dæmon uti uolueris, intelligens ipsum qui interrogabat utrouis modo respondisset ostensurum oppositum. Ita in talibus decet Astrologum imitari oraculum, nec uelle se sapientiorem illo ostendentem, artem ipsam prodere, sed in manifestis tantum atque euidentibus, aut quæ à uoluntate non pendent clarè & determinata sententia respondere. Ita ego interroganti in simili causa amico nostro Andreæ Vessalio respondere non erubui.

Regula secunda.

Rursus nec illud credendum est, solum eos uxore carituros, qui Lunã sub radijs coniunctam aut configuratam Saturno habent: Neque etiam omnes. Sufficiet enim quandoque Saturni coniunctio malè dispositi absq; Sole: quandoque Luna sub radijs proxima uisioni in Cancro quamuis Saturno configurata admittet uxorẽ. Consideranda etiam est familia: in nostra nemo, solis sacerdotibus exceptis, qui ad legitimam peruenerit ætatem, uxore caruit. Cum etiam sacerdotes ualde pauci fuerint, neque ullus tamen monachus. Quod igitur de medicis Galenus pronunciauit, id nos & magis necessario dicemus de astrologis: Scilicet oportere illos esse eruditos & natura prudentes. Cum autem hoc in omnibus, id maximè in his ueritatem habet quæ à uoluntate libera pendent.

TEXTVS XXVI.

Omnino uerò constantes & diuturni cõuictus permanent, quando in utriusque coniugis genitura luminaria contigerit configurata esse concorditer: Hoc est quãdo inter se ipsa triquetra aut hexagona radiatione sese respexerint. Et maximè cũ huc mutua receptio accesserit. Multoq; magis quando quæ uiro Luna est, fœminæ Sol fuerit. Dirimuntur uerò leui occasione matrimonia, aut coniugum animi dissident, cum prædictæ luminarium conditiones, uel in signis inconiunctis acciderint: uel sint ex opposito aut quadrato.

Miram artem regulamq; nobis his in uerbis insinuat Ptolemæus, quam plerique ignorantes, dubitant de Astrologiæ scientiæ ueritate. Dicunt enim si tegula incidit in caput unius, illumq; interficit, quomodo fieri potest ut hoc in genitura illius cernatur, cum casu tegula tunc ceciderit. Rursus qui ueneno à cõiuge intermittur, quo modo potuit præsciri, cum factum non sit ipsius sed coniugis: Propterea Ptolemæus nobis in hoc secundo hic insinuat esse Fatum, atq; concursum quendam quẽ Astro-

logus nescit: & si nouit, tantumcasu nouit. Idemq; de amicis atque inimicis. Consensus igitur atq; dissensio non ex propria genitura sciri poterunt, sed ex consensu geniturarum mariti atq; uxoris. Sed talis consensus à Fato pendet: Necq; ut dixi, electio temporis quicquam proficit, quoniam ex primo animi motu, non ex electione sumenda est. Quòd si quis uxorem eligat uidetur forsan aliquid proficere: Sed rarissimè contingit ut genitura & reliqua conueniant: fiatq; eligendo imparem astrologus ridiculus. Dici enim solet. Si bene uis nubere, nube pari. In alijs uerò casibus, Anæreta similis est hosti qui hominem occidere decreuit, ubi hoc animo firmauit occasionem expectat: Ea oblata perficit quod decreuerat. At dices ergo non exquisitè momentum mortis sciri potest? Respondeo quod non in omnibus: Veruntamẽ in plerisq; cõcursus causarum externarum coincidit cum concursu causarum Anæretæ quæ sunt potissimæ, directio, progressio, & loci Planetarum.

Apponit autem tres gradus concordiæ: Primus cum Sol in uiro, & Sol uel Luna in fœmina, aut Luna in utrisq;, fuerint in locis se respicientibus trigono uel hexagono aspectu. Secundus cum in uiro Luna, in uxore Sol, eodem modo disponunt. Tertius, si cum hoc alter alterum recipiat. Dirimuntur matrimonia re ut apud Iudæos & Maumethanos, uel solum animo & ut dicunt tori separatione & cohabitatione, ut apud Christianos, cum luminaria fuerint in signis quadrato uel opposito se respicientibus aut etiam inconiunctis. Quæ autem sint inconiuncta signa uidisti in primo libro. Hæc uerò & ad amicos transferri possunt. Com. 49.

TEXTVS XXVII.

Deinde si concordes luminum configurationes, beneficæ stellæ aspexerint, iucundos, blandos & utiles conuictus significãt. Si maleficæ: contentiosos, inuerecundos, inuidos. Similiter in discordi statu luminarium, beneficæ ijs suffragantes, non penitus conuictum rescindi permittunt, sed redintegrant placant & conseruant coniugale illud blandum, & natura nobis inditam in comparem propensionem. Maleficæ autem non sine contumelia & execratione conuictus perturbant & demoliuntur. Si quidem Mercurius cum eis solus extiterit, uociferationibus, improperijs & accusationibus inuoluit. Si Venus, adulterijs, incantationibus & his similibus.

Quatuor status explicat coniugum: primus cum luminaria utriusq; genituræ consenserint, & beneficæ illa aspexerint, maximè eleuatæ & receptæ, & hic est optimus. Pessimus cum luminaria dissenserint & maleficæ supra illa eleuantur. Duo sunt mali status medij, scilicet cum luminaria quidem consentiunt sed maleficæ respiciunt & prædominantur, & hi uiuunt absq; suspitione diuortij, sed tamẽ in perpetua contentione & miseria. Alter status medius est cum luminaria dissentiunt cum aspectu beneficarum, & tunc de diuortio agitur attamen recõciliantur, & quietius prioribus uiuunt. Pessimo statui, atq; etiam duobus medijs Mercurius commixtus cum sit author sermonum & linguæ significatu, ideò meritò adiungit alijs malis uociferationes & reliqua. Venus maleficis commixta iam exuit beneficæ naturam, & uicẽ agit sacchari cum ueneno miscetur, ob id igitur causam dissidij ostendit, adulterium, incantationem, & talia. Intelligit per adulterium non solum uxoris sed etiam quandoque rarius concubitum uiri cum aliena: seu sit incestus, seu concumbat cum pueris, & ita de alijs. Et postquam locutus est de legitimo coniugio, loquetur modo de quadam cohabitatione flagitiosa, quæ multis modis fit.

TEXTVS XXVIII.

Quæ uerò alio quouis pacto cõiugia contrahuntur reijcienda sunt in utro-

utrouis genere in astrum Veneris, & Martem ac Saturnum. Congredientibus enim illis cum luminibus, cum familiaribus, necessarijs atq; affinibus siue consanguineis conuictus decernuntur: prout Venus erga alterutrum affecta fuerit. Si enim erga Martem cum coniuge iuuene, quãdoquidem in mutuis signorum trigonis alternatas habent altitudines: Erga Saturnum autem cum seniore: nam in mutuis trigonis rursus uicissim domus possident. Vnde Venus cum Marte planè amatorias affectiones producit. Quibus si Mercurij stella accedat nõ sine diuulgatione. In promiscuis & familiaribus signis Capricorno & Piscibus fratrum & cognatorum coniugationes decernuntur. Et Luna si in uirorum geniturís ad hæc accurrat, significat cum duabus sororibus aut consanguineis congressurum. Si uerò in mulierum genitali constitutione Sol, duobus fratribus aut cognatis.

Vt Luna & Sol coniugia legittima significant, ita Venus conuictus qui ex amore procedunt. Quocirca nil mirum plus scorta diligi plerunque sex uxoribus aut maritis. Amor enim scortorum à Venere est, quæ immodicam decernit cupiditatẽ, coniugum à luminaribus quæ ut docui superius communem uitam significant. Venus igitur maleficis commixta conuictus declarat illegittimos & absurdos: quoniam ipsa cum utraq; illarum commutat dignitates. Venus enim in Piscibus altitudinem habet, Pisces autẽ Martis trigonus, & Mars in Capricorno uicissim, Venus autem domina trigoni Capricorni, Venus rursus habet domũ in Libra, Libra autem Saturni trigonus, Saturni autẽ domus Capricornus qui est trigonus Veneris: Igitur commutatio hæc uicissim concordiam significat atq; conuictum. Maleficarum autem natura nihil legittimũ. Ob id maleficę commixtæ luminaribus & Veneri talia monstra decernunt. Luminaribus autem solum, ut dixi, uxores aut maritos prauos: soli quoque Veneri concubitus absurdos non conuictus, ut superius uisum est, dum de animi uitijs loqueremur. Quamobrem caput illud uidisse pro his quæ hic dicuntur, multum præstat.

TEXTVS XXIX.

Cũ Saturno rursus Venus fortè reperta, omnino lenes & stabiles hos conuictus efficit: accedente uerò Mercurio utiles, concurrente Marte instabiles significantur, noxij, nec sine mutua inuidia & æmulatione.

Ex duobus natura contrarijs fit melius unum persæpe, cùm substantia dissident, ut ex lateribus & luto. Non lateres inuicem coëunt, nõ firmiter lutũ. Saturnus quoq; & Venus in eodem signo gaudẽt, scilicet Libra. Mercurij quoq; cum Venere mixtio utilis est, cum Marte autem Venus inutiliter miscetur, quod solos concubitus uterq; decernit. Cæterum uterque à constantia, à prudentia, moderatione, eruditione, fide, iustitia, ac bonis moribus alienus est: nisi quod Venus suauitatem affert. Ob id igitur mixtio Martis & Veneris omnino inutilis. Sed neq; aliæ probãtur, cum Saturno enim Venus mixta, licet conuictum firmum reddat, omnia tamen sordida erunt, & cum Mercurio puerilia. Prius igitur docuit naturam conuiuentium, hic modum, posterius autem scilicet in sequenti, ætatis rationem, dicens.

TEXTVS XXX.

Ac si illis concorditer configuratus fuerit, cum æqualibus matrimonium contracturum. Si tamen orientalior ipsis fuerit, cum adolescentioribus: at si occidentalior, cum prouectioribus.

Intelligit comparationem Veneris ad maleficas, cum enim fuerit illis commixta non poteſt eſſe orientalis ſi illi ſint occidentales, nec occidentalis ſi illi orientales. Vel igitur illis iuncta eſt una & tunc copulabitur coæquali ætate, uel orientalior & & ſic iuniori, uel occidentalior, & ſic ſeniori.

TEXTVS XXXI.

Si uerò in promiſcuis ſignis ſint Venus & Saturnus, ſcilicet Capricor no aut Libra cũ affinibus congreſſurũ. In horoſcopum & cœli culmen quãdo dicta cõfiguratio incidit, Lunaq; concurrerit, uiros facit cum matribus, matrumúe ſororibus, aut nouercis rem habere: fœminas cũ filijs aut filiorum fratribus aut filiarum maritis.

Signa communia Veneri & Marti diximus eſſe Capricornum & Piſces: nam in Piſcibus Venus habet altitudinem, Mars trigonum, in Capricorno autẽ Venus trigonum, Mars altitudinem. Similiter Capricornus & Libra communia ſunt Veneri atq; Saturno. Venus in Libra habet domum, Saturnus trigonum: in Capricorno Venus trigonum, Saturnus domum. In his igitur ſignificantur congreſſus affinium. Quòd ſi his acceſſerit ut alter in Capricorno in aſcendente, reliquus in cœli Medio in Libra, aut ambo in altero illorum ſignorum, in una harum domorum, Luna quoque affuerit quæ matres & filios ſignificat, tunc hos congreſſus nephandos omnino pollicetur. Decima matres, & prima ipſos natos aut natas ſignificat. Impelluntur autem ad hæc licitos concubitus abhorrentes. Familiare autem hoc fuit Perſis.

TEXTVS XXXII.

Sol ſi concurrat & maximè cum occidentales fuerint Planetæ, mares cum filiabus rem habẽtes aut filiarum ſororibus, aut filiorum uxoribus: Fœminas uerò cum patribus aut patruis aut uitrico.

Vt Luna matres, ſic Sol patres, ut ſuperius uiſum eſt. Et ut Luna filios matribus, ita Sol filias patribus ſignificat, hoc in caſu tantum. Ideò conuerſio duplex utrinq; Solis cum Luna, & maſculorum cum fœminis. Fratres filiorum priuignos intelligebat in præcedenti textu, uelut in præſenti ſorores filiarum priuignas ex uxore, ut in præcedenti priuignos ex marito. Nam priuignus ex uxore uitrico inutilis eſt, ut priuigna ex marito nouercæ. Credendum eſt autem multa experimenta Ptolemæum in talibus habuiſſe, poſtquam in deſcribendo ea tam diligens fuit. Sunt autem quaſi monſtra morum, & iuris gentium, aut ciuilis, ſicut alia ſuperius dicta naturæ. Ob id ad artis confirmationem ſcripta.

TEXTVS XXXIII.

Quando prædictæ figurationes in ſignis unius generis nõ extiterint, in fœmininis autem locis & perſonis, efficiunt omnino ad uenerea propenſos & accinctos, & tam ad agendum quam patiendum omni ratione paratos. In quibuſdam etiam figuris flagitioſe obſcœnos ut in prioribus poſterioribusq; partibus Arietis, & Succulę: in poſterioribus Leonis, & facie Capricorni.

Per genus non intelligit maſculinum aut fœmininum ſexum, quia repugnaret ſequentibus uerbis. Sed intellexit oppoſita quæ ſolum ſunt ſimilia in ſexu & contraria in natura. Item quæ in ſextili à contrarijs Planetis dominantur ut Capricornus à Saturno & Marte, & Piſces à Ioue & Venere: Item Cancer & Virgo, & rurſus Virgo & Capricornus, & ſint ambo fœminina ſigna, ut dixi (Et perſonæ) Per perſonas non intelligit natos, nam dicit ad uenerea patienda ex uult ergo ut ſint occidentales & fœmininis Planetis uniti; & in quartis occidentalibus à cœli Medio ad occaſum, & ab imo ad aſcendens. De partibus ſignorũ intellige octaui non noni orbis. Obſcœnos intelligit, irrumatores, fellatores, maſturbatores, ſpintrias. Et ut ferũt de quo

dam

dam nostro ciue qui cum puero concubuit, prædicando, irrumando, & in auribus, ut ille fatebat. Plurimum autem ueteres tribuebant figuris octaui orbis, quas recentiores obseruare desierunt, cum tamen multum possint.

TEXTVS XXXIIII.

Verum si hæc figuratio in duobus prioribus angulis inuenitur orientali nimirum & medij cœli, prorsus detegit hæc flagitia, & in publicum profert: In posterioribus duobus occidentis nimirum & cœli imi spadones efficit & eunuchos steriles, genitalibus meatibus concretos.

Orientales anguli magis declarant facta, sed occidentales & imum cœli cum sint debiliores magis lædunt, & ob hæc nota detrimenta in alijs. Vtpote ascendens significabit cicatricem in facie: cœli imum claudicationem: altera manifestior & fœdior, reliqua damnosiora ita in flagitijs. Deterius est esse eunuchum natũ absq; testiculis, esse castratum ab homine, scilicet spadonem, uel habentem uirilia & esse sterilem, quia meatus seminis sint concreti, quam talia uitia & flagitia circa uenerea diuulgari. Infamia enim talium tempore transit, apud multos nõ creditur, ab aliquibus pro licentia accipitur, multi dissimulant metu, alij similitudine peccati. Sed si non sint in angulis quid erit? dico standum erit decretis præcedentis textus. Erunt enim flagitia absque magna infamia & lesione membrorum genitalium. Aliter frustra proposuisset generalem significationem.

TEXTVS XXXV.

Mars autem accedens mares abscisis genitalibus, fœminas quas tribades uocant, atq; omnino priuum quiddam in uenereis habentes.

Si Mars constitutioni declaratæ in duobus præcedentibus testibus accesserit uiolenta, hæc decernit causam in masculis ex ferro, in fœminis uerò tribades & masculinos mores induentes significat. Quasdam obstructas, ut fuit olim uxor Paxini Varadei bibliopolæ.

TEXTVS XXXVI.

Quæ uerò sit hominũ in congrediendo, uiris affectio & natura à Marte colligitur. Is enim à Saturno & Venere separatus adiutus uerò à Iouis suffragijs uerecundos & puros efficit in re uenerea explenda, & naturalem tãtum usum spectantes. Cum solo Saturno forte repertus, pigros, frigidos. Ioui autem ac Veneri configuratus, agiles et cupidos, temperantes tamen & se refrenantes infamiam fugientes. Cũ sola Venere absente tam Ioue quam Saturno, segnes, ignauos, undequaq; uoluptatẽ captantes.

Quatuor cõparationes facit, Martis cum Ioue, Saturno & Venere, Solis itẽ cum Ioue & Venere simul. Sed ultima quam facit cũ sola Venere tam apud Arabes quam Græcos legitur hoc modo (Cum sola Veneri aut Ioue absente Saturno) sed nos satis mentem Ptolemæi perspectam habemus. Mars igitur efficaciam concubitus significat, quia ut uisum est in præcedenti libro Mars præest pudendis. Sed nos uolumus quod renibus unde fit tensio membri: Et appetitus concũbendi. Ideò qualis Mars, talis affectio. Dato enim quod membro uirili præesset, non decerneret de qualitate concubitus. Sed uis illa ratione & experimento Veneri tribuenda est. Quod uerò dicit ignauos & segnes nõ ad Venerem credas (sunt enim promptissimi ad eam) sed ad negotia: Et luxui ex toto dediti, & inutiles. Sol uerò Ioui, & Luna Veneri, quasi similis est. Com. 53.

TEXTVS XXXVII.

Et si hic quidem Planeta uespertinus est ille matutinus, natus tam marium quàm fœminarum congressu capietur, non tamen supra modum

erga utrunque sexum affectus. Si ambo uespertini sunt ad fœminarũ concubitum solum erũt procliues. Atque adeò ut si fœminina sint signa ipsi subagitentur. Si matutinus uterq; puerorum tantum concubitu flagrantes. Quod si signa masculina cum hoc fuerint, in masculis nullum ætatis discrimen habebunt.

Quis dubitare potest hoc in textu, quin priori de Venere sola Marti congrediente, locutus sit. Si igitur uterque sit orientalis significat solum subagitare masculos, quia orientales Planetæ ut uisum est masculini sunt. Quod si præter id sint in signis masculinis, adeò masculos amabunt ut nec ætatẽ puerilem requirant. Superius de-
Lib. 3 text. 81. clarauit hanc propensionem ex luminarium locis & Marte ac Venere, sed nõ commixtis, hic ex mixtione Martis cum Venere absque luminarium testimonio. Si uerò ambo sint occidentales ad fœminas erunt procliues. Sed si cum hoc erunt ambo in signis fœmininis etiam absq; luminariũ testimonio, ob mixtionem non solum effœminatos, sed eos qui maritos etiam ducent significabunt. Antiquitus hoc uitium uiguit nam Nero nupsit Doriphoro: Est & illud Martialis pulchrum.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro
Qua ratione uiro nubere uirgo solet.
Præluxere faces: Velarunt flammea uultus
Nec tua defuerunt uerba Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est, nondum tibi Roma uidetur
Hoc satis: expectas nunquid & ut pariat?

Idem Nero loco coniugis Sporum puerum habuit, & Domitianus Earinum. Hoc igitur maius est etiam quàm quod dixit in capite de animi uitijs ac morbis. Nam coniugum loco sunt talia scorta. Quod uerò dixit (Non tamen supra modũ erga utrunque sexum affectus) Est figura dicendi, cum omnis concubitus masculinus sit supra modum & contra legem. Nec quod quis diligat tantum fœmineum sexum concubitus causa, debet dici supra modum erga fœmineum sexum affectus. Quasi moderatum sit utrunque sexum hac causa diligere. Sed uult intelligi sub hac sententia uerba illa quæ breuitatis causa ita scripsit (Sed neutrum sexum afflictim amabunt) Hic est sensus. Vt intelligat cum omnibus absque discrimine rem ueneream exercitaturos. Quod maximè militibus conuenit ob furorem, petulantiam, & licentiam peccandi, tum etiam necessitatem.

TEXTVS XXXVIII.

Ac si Venus occidentalior est: cum uilibus hominibus seruis aut alienigenis congredientes. Si Mars, cum eminentioribus se ac dominis uiri.

Supple congredientur. Nam Mars in genitura uirum, Venus fœminam significat. Planetæ orientaliores, nobiliores significant quia robustiores & in meliore statu: occidentaliores autem ignobiliores & uiliores. Si igitur Venus est occidentalior Marte, coibit cum ignobilioribus se fœminis uir: si orientalior, cum nobilioribus.

TEXTVS XXXIX.

In fœminarum uerò genituris Venus cõsulenda est: Ea enim Ioui aut Mercurio configurata, prudenter purecq; uenerea tractantes. At absente Ioue, Mercurio configurata, procliues quidem & uenereorum cupidas, cautas tamen, & paulo pigriores, plerunque etiam turpitudinem fugientes. Marti, soli configurata aut congressa, salaces & ad uenerea concitatas. Segniores si his Iouis stella accesserit.

Quemadmodum Mars quod masculinus sit opus congressus in masculis guber-
nat, ita

nat, ita Venus in fœminis. Igitur cum Ioue moderationem præbet ob integritatem & prudentiam: cum Mercurio uerò ob uerecundiam & astutiam. Propterea subiunxit (At absente Ioue) Quasi dicat solus Mercurius non tam puras & modestas facit ut Iupiter, nisi etiam legas (Ea enim Ioui & Mercurio) pro (Ea enim Ioui aut Mercurio) Id est igitur quod solus Mercurius facit malas, sed ita ut solum cupiant uideri non esse bonæ, cum Iupiter faciat bonas. Quod dixit (Paulo pigriores) intelligit ad cupiditatem non solum cautas, sed ob cautionem pigriores. Plerunque etiam turpiditudinem fugiunt, non quia oderint, sed quia sunt adeò cautæ ut nec uelint se credere ei cum quo concumbunt, ne quandoque illis possit obijcere. Nam cautio ad externos refertur. Hæ uerò adeò sunt cautæ, ut nec amatori nec cõiugi se credere uelint in obscœnis agendis, tametsi illa ut plerunq; fœminarũ mos est auidè expetant. De Marte haud dubium est, seu iuncta, seu aspiciens, uel in uno circulo, uel magno, uel paruo, seu imperantibus aut intuentibus aut positionis circulo. Sed Iupiter hæc omnia mitigat bene positus: aut si sit debilior, saltem tegit.

TEXTVS XL.

Ac si Mars sub radijs extiterit: cum seruis cõgredientes obscurioribus & alienigenis: Sin autem Venus sub radijs latuerit: cum superioribus aut dominis meretricum aut adulterarum consuetudine miscebuntur.

Mars masculum significat si fuerit igitur sub radijs & Venus libera, mulieri uiliori se coniungetur, ideò seruis aut obscurioribus aut aduenis, nã hi ciuiũ numero non habentur. Contra Venus sub radijs, Mars liber, significant uirum fœmina nobiliorem, ideoq; commiscerí dominis aut superioribus. In fœminarum igitur geniturisradiorum Solis ratio habenda est, ad Martem & Venerem: Sed in uirorũ quis sit orientalior horum Planetarum.

TEXTVS XLI.

Si in locis aut figuris fœmininis fuerint Planetæ, ad patiẽdum solum procliues: Si uerò masculinis, etiam ad agendum.

Turpia committunt mulieres etiam patiendo, ut quæ admittunt uiros alijs in partibus quam deceat. Hoc tamen fœmineum totũ est: Sed si Planetæ in masculinis fuerint figuris tam in zodiaco quã extra, uel locis (qui nã sint, dicti sunt) tribades erunt, super equitabunt uiros, & manibus illos pollui cogent.

TEXTVS XLII.

Saturni stella prædictis figurationibus cõciliata si & ille effœminatus fuerit insolentis ac pudendæ libidinis author est. Si orientalis & uirilis uituperio & reprehensioni ob uenerea flagitia obnoxios. Iouis benigno sydere rursus quod solet ad decentiorem harum affectionum formam iuuante, Mercurij ad celebriorem diuulgationem & reprehensionem.

Cum iam mala est constitutio libidinum significatrix, adueniens Saturnus fœminínus libidinem auget: adeò ut non solum flagitiosa sed & fœda committantur. Sed uirilis, id est, orientalis auget ob claritatem, famam scelerum. Ex quo declaratũ quod effœminatum existimat cum occidentalis extiterit. Atq; hæc per se clara. Verũ quid continget ubi Saturnus Marti in uirorum geniturís: aut Veneri in mulierum cum Ioue positis aut bene saltem constitutis congredietur. In uirorum quidem haud dubiè semper aliquid frigiditatis & ob id dedecoris ostendit. In mulierum uerò geniturís Saturnus cum Venere positus impedimenta circa uenerea & exiguam coëundi uoluntatem affert. Illud omnino non prætereundum quod ratio & experimentum docet: Quanquam Saturnus præcipuè hæc, impedimenta afferat si in uirorum genituris Marti, in fœminarum Veneri commiscetur, etiamsi contrario modo contingat impedimentum non leue: Viris quidem Veneri, fœminis Marti cõmixtus (Iouis benigno) Iupiter & Mercurius conueniunt, quia æqualiter à Sole distant sed uario tamen

men modo: nam ut ut modo Iupiter est temperatus, ita Mercurius ancipitis naturæ. Ita eadem ratione Mars & Venus, propinquissimi enim Soli sunt etiam calidissimi, Et uterq; maximo uersatur epiciclo. Sed tamen Venus humida & benefica, Mars siccus & maleficus. Pari ratione Saturnus & Luna conueniunt quod uterque à Sole maximè distat uterq; ob id etiam frigidissimus: Sed tamen Lunæ frigiditas pinguis ut ita dicam, & humida & benefica, Saturni tabifica, sterilis & malefica. Iupiter igitur omnia hæc mala mitigat, præstatq; consensum mutuum, & ob id etiam tegit. Est enim constans Planeta atq; benefícus. At Mercurius inconstans, quod quatuor habeat apogei æquantes & linguæ præest, unde omnia detegit, & in publicum prodit cum infamia & metu legum. Nec non cum minoribus supplicijs, ut quendam uidimus coria deaurantem qui quod cum muliere anu etiam prepostera uenere usus esset, circumductus per urbem flagellis cedebatur.

Caput sextum.

TEXTVS XLIII.

De filijs.

CVm coniugij locum proximè sequatur liberorum, considerare oportebat Planetas cœli fastigio aut succedenti loco, qui est boni dæmonis, coniunctos aut cõfiguratos. Sin minus eos qui locis his oppositis: Lunã etiam & Iouem & Venerẽ pro filiorum largitoribus assumere sicut Solem, et Martem, & Saturnum pro orbitatis authoribus. Mercurium prout configuratus illis fuerit promiscuum: Et largitorem cum fuerit orientalis, & recusantem cum fuerit occidentalis.

Hoc est tertia domus pars, quam Ptolemæus considerat. Atque in ea uelut in cæteris illud animaduersione dignum, quod omnia participãt inuicem uelut & in rebus ipsis. Qualis enim pater ac mater plerunq; filij etiam tales. Et qualis filius tales parentes, nõ autem ex toto similes sed in parte. Id etiã in diuitijs, honoribus atq; alijs, ut quemadmodum inquit Anaxagoras, omnia in omnibus sita sint atq; commixta. Igitur in filijs habendis Decimus locus qui etiam matri tribuitur est considerandus. Ille idem tribuitur etiã fratribus atque sororibus. Quicunq; igitur fratres habent multos & matrem robustam etiam natura filios habent plures & sospites, sicut & contra habentibus contrarium euenit. Non tamen generaliter hoc euenit, sed qui paucos habuerit fratres ut Iacob, multos poterit habere filios: Duodecim enim suscepit. Et qui multos habuit fratres, sine filijs mori poterit ut Absalon. Luna igitur sorores, matres, filios, uxores, ingenium, moresq; significat. Et quãdoq; etiam alia. Cum Ioue quidẽ & Venere filios: Sed sorores quidem cũ decimo loco, matrem cum Venere, uxores per se, ingenium cum Mercurio, mores cum ascendente & domino loci proprij. Si igitur communis significator ualidus extiterit alius imbecillis, erunt similia quę per illum significantur: Si autem contra dissimilia. Gratia exempli dictum est quòd Luna significat filios cum Ioue & Venere, cum decimo autem loco sorores Si igitur Luna ualidissima sit, decimus uerò locus & Iupiter ac Venus imbecilles, erunt pauci filij atq; sorores. At uerò si infelix Luna. Decimus uerò locus ualidus, Iupiter & Venus debiles, multas habebit sorores, paucos filios, sicut cõtra si Iupiter & Venus decimo loco fuerint potentiores: Quod & in præsenti loco alia ratione ostendit: cum enim ii locus particeps sit 10.ii etiam obseruat in dandis filijs. Duo igitur proponit, Planetas datores, & loca in quibus dant. Datores Iupiter, Venus, Luna, humidi omnes: Saturnus, Mars & Sol orbitatis authores atq; omnes sicci

præter

præter Solem, quí calidíssimus est. In ipsis ígitur locis decimo aut undecimo largitores dant ut orbitatis authores negant. Magis tamen in decimo quã undecimo propter regulam probabilem, quod omnia principalia potẽtíora sunt his quæ talia sunt ob illa. Sed sí non sint in illis configurati ambobus non uni tantum dant ut in primo loco qui respicit decimum de quadrato, undecimum de sextili: & in secundo loco qui decimum de trino respicit & undecimum de quadrato. Aliter sí ad unum tãtum locum referas omnes genituræ pollicebuntur filios símul & orbitatem. Nam omnis domus aut decimæ, aut undecimæ configuratur. Quòd sí neq; Planeta ullus in primo aut secundo loco fuerit, neq; etiã in septimo uel octauo uidendum est an in quinto uel quarto loco sint: Hi enim decimo & undecimo opponuntur: Hí ígitur dabunt uel prohibebunt. Obseruatum etiam est, quintum locum præcipuam in hoc habere uirtutem, adeò ut Arabes illum tantum obseruarí iubeant. Sed nos Ptolemæũ sequimur, multum tamen experientía loco illí tribuentes. Quod autem dixit (Mercurium prout configuratus & reliqua) duo nos docet: alterum quod Planetæ orientales potíus significãt filios quã occidentales: Et occidentales orbitatis magis sunt causæ quam orientales. Dico quo ad Solem & hoc magis: Et quo ad mundum sed hoc minus: Reliquum est ut intelligamus Mercurium etiam dare filios: Quí cum sit Planeta ingeníj largitor facit ingenioſos, & maximè cum Soli propinquus extiterit tunc enim facit etiam probos. Tales ígitur cum Mercurius sit Planeta per se imbecillis & sub Solis etiã radíjs uitam nõ habet. Ob hoc solet dici quod Poëta, ímmodícis breuis est ætas & rara senectus. Et uulgus hoc nouit quod cum puerum uident ingeniosum ualdè, illius uitæ timent. Causa ígitur est quoniam tales sunt à Mercurio. Viuunt tamen aliquí ex his uel quía Mercurius robustus est aut quía beneficæ iungitur erraticæ uel fixæ, uel à benefica erratica fouetur. Hoc autem quod hic declarat commune est in genitura uíris ac mulieribus. Propríè autem loquitur de filíjs qui ex coniugio suscipíuntur in masculorum natiuitatibus: Cum aliorum adeò incertus sit numerus ut quidã centũ filios susceperint. Sufficit ígit in his docere qui sint prolifici aut steriles. Numerus autem incertus est, & ex reuolutionibus annorum natí habetur.

TEXTVS XLIIII.

Largitores ígitur ita síti simpliciter ac solitarij unicum filium decernunt. In bicorporeis autẽ & fœmininis item in fœcundis signis, ut Cancro, Scorpione ac Piscibus duas aut plures. Et dum masculini sunt ob signa masculina & ad Solem configurationem marem: effœminati uerò fœminam.

Duo nos docet numerum & sexum his uerbis quorum utrunq; à duobus sumitur: imò primum potius & secundum à tribus. Numerus ígitur primum à numero Planetarum solitarij unum & paucos, cum alijs iuncti plures: Signa unius corporis unum, bicorporea duos uel plures: Et hoc à forma signi. A qualitate, fœcunda plures aut duos saltem, sterilia ut Leo, Virgo unum. Sexus à sexu Planetæ: Iupiter masculos, Venus fœminas pollicet. A signi in quo est sexu: Et ab habitu Planetæ ad Solẽ orientales masculos, occidentales fœminas.

TEXTVS XLV.

Superati à maleficis aut in sterilibus signis reperti puta Leone, Virgine, largiuntur quidem sed non sat pulchrè, nec constanter nec diuturnas proles. Sol autem & maleficæ obtinentes imperium in dicta loca, sí in signis masculinis aut sterilibus fuerint eisq; beneficæ suffragent concedunt quidem sed ualetudinarios, uitijs corporis impeditos, ac breuis uitæ.

Decla-

Declarat quartum membrum diuisionis. Nam omnes qui nascuntur aut omnino carent sobole, orbiq; sunt, aut habent exiguam, aut multam, aut imbecillem, & morituram. Orbos dixit cum in locis filiorum Planetæ uiolenti fuerint, multa cum sobole cum plures filiorum largitores uel in signis bicorpores aut fœcūdis, pauca cum in sterilibus: nunc declarat quibus modis debilis aut breuis uitę soboles procreet. Duobus modis id contingere affirmat, uel cum beneficis, maleficæ dominātur, idq; non tam malum, nam robusti natura multis conflictantur aduersis, uel cum dominātibus maleficis in locis filiorum suffragantibus beneficis nascuntur filij uitæ fundamento interiore carentes: utpote ab infelici & contrario sydere geniti. Hi igitur ut par est omnino sunt imbecilles & breuis uitæ.

TEXTVS XLVI.

Quando utraque conditio rationem habet ad signa prolifica datorum liberorum reiectiones significantur: aut omnium aut multorum aut paucorum, pro imperio suffragantium utriuis sectæ Planetarū: quos uel plures uel potentiores, uel orientaliores uel dignioribus angulis sitos, uel elatos supra cæteros, uel angulis succedentes inuenerimus.

Hoc est quintum membrum cum largitores filiorum fuerint in locis debitis & in signis fœcundis & eis dominantur maleficæ sed suffragantur eis beneficæ & sunt maleficæ & beneficæ in signis fœcundis, tunc abdicant filios. Non enim possunt occidere quia sunt in fœcundis signis. Et intelligit per utranq; conditionem quod maleficæ dominentur, & beneficæ suffragentur.

Vt sit una regula talis, si largitores sunt in locis filiorum & beneficæ dominantur, tunc si in sterilibus sunt largitores unum significant filium, in bicorporeis duos, in fœcundis plures ac sospites. Si uerò Sol & maleficæ sint in locis filiorum, negant filios. Quòd si largitores sint in locis filiorum, maleficæ autem & Sol dominētur in signis sterilibus uel masculinis cum suffragio beneficarū, aut si largitores superentur à maleficis breui superfuturam prolem dant. In hoc casu ultimo moriuntur in infantia, in præcedente morbosi non transeunt iuuentutem aut parum. Si autem loco sterilium signorum fuerint maleficæ & beneficæ suffragantes in fœcundis, facient abdicari.

Quòd uerò dixit (omnium aut multorū &c.) Intellígit quod si uni largitori maleficā, dominetur alteri benefica, habebūt filij hi diuersos exitus ut patet. Et iubet obseruari multitudinem largitorum & impedientium & suffragantium & robur & statum quo ad Solem & quo ad mundum.

TEXTVS XLVII.

Si igitur dictorum signorum dominatores orientales fuerint, atque in propriis locis, claros & illustres liberos dant. Si occidentales & in locis sectæ alterius, humiles, uiles & obscuros.

Non à largitoribus sed à dominatoribus fortunam sumit. Vt enim dominatores sunt extra & alieni à largitoribus, ita fortuna filiorum alia est à filijs.

TEXTVS XLVIII.

Et si conueniunt cum horoscopo & parte fortunæ, amabiles parentibus, uenustos, gratiosos, bonis parentum hæreditario iure fruentes. Si inconiuncti aut ex aduerso siti, rebelles, odiosos, noxios, nec parentū bonis succedentes.

Explicauit antea quæ ad essentiam filiorū pertinebant, numerum, robur, uitæ diuturnitatem: in præcedenti textu fortunam: hic habitum ad parentes: Sicut in sequenti inter

ti inter se. Quid intelligat per uerbū conueniunt, sequenti oratione intelligitur, cum priori opponatur. Conuenire igitur uocat ut sint in eodem signo, uel aspiciente, trigono uel sextili, uel in obedientibus & imperantibus, uel in aspiciētibus sese. Quod etiam in sequenti textu clarius erit. Sic non conuenire dicuntur, quando in oppositis signis aut inconiunctis fuerint. In quadratis declarabit quod medio modo se habebunt, modo enim conuenient modo dissidebunt. Quid autem sit maius oppositio an inconiuncta signa, hæc quidem minus conueniunt illa magis dissident. Propterea deteriora in filijs sunt opposita signa quo ad uerbera & odium, incōiuncta quo ad abdicationes & priuationes hæreditatis. Ita melior est trigonus aspicientibus se signis aut imperantibus & obedientibus. Cumq; plura signa uni conueniant quam disconueniant, (nam Arieti gratia exempli conueniunt Gemini, Aquarius, Leo, Sagittarius, Virgo & Pisces: Media sunt Cancer & Capricornus: disconueniunt tantum Libra, Taurus & Scorpio.) manifestū est in genere plures filios parentibus esse acceptos, quam odiosos. Ex gradibus cōtingit oppositū, ità rarò fit ut ad unguem filij parentibus conueniant.

Quòd uerò dixit amabiles, uenustos, & gratiosos: intellige parentibus, non simpliciter: est enim illorum fucata quædam gratia & bonitas, cum malis parētibus conueniunt. Nam probitas illorum pendet ex genitura propria. Cum tamen placent parentibus sunt obedientes nec ex toto mali, plures etiam boni. Hoc est quod probantur filij parentibus obsequentes. Signum enim est conuenire dominos largitorū seu locorum in quibus sunt largitores cum horoscopo & fortunæ loco. Contrarium in obedientibus. Cum uerò accipit fortunæ partem, intelligit quòd conueniunt in rem familiarem, hoc aūt parentibus gratū, sicut cōuenientia cū horoscopo est ex animo. Et scias quod leges locorū multum possunt, & mores hominum: generaliter tamen filij parentibus grati sunt lege naturæ. Hoc autem est quia conueniunt, ut diximus genituræ parentum cum genituris filiorū. Et Hali hoc docuit his uerbis. Aspexi pro filijs & inueni Iouem in decima in tertia parte Capricorni iunctum quasi Saturno & Lunam aspicientē, & significauit quod haberem filios & filias, & potius filias quam filios, quia Iupiter & Luna erant in signo fœminino. Et quod non uiuerent quia Saturnus erat Ioui iunctus in decimo loco. Et quia Iupiter erat orientalis significauit unum filium & duas filias, & omnes obierunt. Erat autem gradus ascendētis masculi circa gradum Saturni in mea natiuitate, & propter hoc mortuus est cito. Et erat gradus ascendentis unius fœminæ in Piscibus, in sextili Iouis & trino Lunæ meæ natiuitatis, & Sol significator uitæ in Capricorno. Alterius quoque fœminæ ascendens fuit in Capricorno. Et hoc est mirabile, quoniam manifestū est quod natiuitates concordant inuicem, ut etiam illi quorum sunt natiuitates. Et singularia iunguntur generalibus ut prouinciæ legi & ciuitati ac familiæ. Illud idem ostendi superius in genituris meorū filiorū. Ex quo patet quod plus possunt significatores in genituris, quam concordia. Nam in natiuitate Hali erant significatores mali pro uita filiorū & concordia cum puellæ primæ genitura quæ tamen mortua est: in nostra contigit oppositum, nam filius primus & filia habent horoscopum in opposito loco duarum maleficarum, & filius Lunam iuxta locum Saturni, & fœmina Lunam in loco propinquo quadrato Martis: Et minor natu, Solem in loco Martis mihi, Lunam in quadrato Martis, ascendens in quadrato Saturni & Martis, & tamen, licet ægrè, superuixerūt. Quia loca filiorum erant salua in mea genitura, & genituræ filiorum erant satis potentes per se & mediocres. Et cum hoc contingit, filij erunt morbosi, tamen superuiuent. Quod si genituræ sint malæ & concordent inuicem, tunc uiuent sani aliquandiu, inde repente moriuntur.

Vxor tamen mea ter abortiuit, ex perfectis autem natis nullus mortuus est. Cum hoc contingit, significat patris genituram pro filijs bonam esse, matris autem pernitiosam. Nam cum filij sunt coniuncti matri, & genitura sua est mala pro illis, pereūt. Cum autem liberati sunt à uentre matris, plus potest patris & ipsius filij propria genitura, ideò superuiuere possunt. Sunt tamen necessario debiles. Et ita per contra-

rium si patris genitura pro filijs mala sit, matris autem bona, non abortiunt matres, sed nati filij cito pereunt. Quod si filij & patris genitura uitales non sint pro filio ipso, mater uerò imbecillis, abortu perit mater & filius. Si autem mater genituram habeat pro filijs constantem, ex naturali partu perit filius. Atq; ita de alijs.

TEXTVS XLIX.

Sic quando mutuam habent inter se figurationem concordes donant fraternis animis mutuas operas tradentes. Si inconiuncti sunt aut oppositi, inimicitiarum cupidos & mutuo sibi insidiantes.

Conuenire uult non largitores inter se sed dominos locorum cum ipsis locis mutuo: Id est, dominos largitoris unius cum largitore alterius. Et similiter dominos largitorum inter se. Conuenire igitur dominos largitoris unius fratris cum largitore alterius, est ueluti si dominus largitoris unius conueniat cũ horoscopo alterius. Quando quidem largitores in noua figura erigenda uicem horoscopi obtineant. Exemplum in nostra genitura, largitor duorum filiorum natu maiorum est Iupiter, cuius loci dominus est Venus & Luna. Largitor filij natu minoris Venus, loci domini Saturnus & Venus: Cum igitur comparaueris Iouem Saturno & Veneri, et Venerem Veneri & Lunæ, inuenies dominos largitorum largitoribus conuenire. Conuenire dicuntur Planetæ quadrifariam, uel natura ut Sol Saturno, uterque enim modestus est: uel qualitate, ut Sol Marti, uterq; enim calidus est masculinus, uel loco, si unus sit in alterius dignitate, uel aspectu amico, cum sunt trigono aut sextili iũcti. Quia tamen Saturnus & Venus sunt in Geminis & Libra, qui sunt Tauro inconiuncti, non erit extrema necessitudo inter eos. Hic enim maximè considerat duos extremos modos ut ualidiores.

Largit.		Domini.
Iupiter	Venus	Luna
Venus	Saturnus	Venus

Quod si præter id quod signa largitorum & dominorum sint inconiuncta aut opposita inter se, aut mutuo maleficæ & Sol sine angulis maximè, alienæ maleficæ iungantur, uel cum stellis naturæ Solis, aut Mars cum stellis naturæ Lunæ tunc erunt odia exitialia. Vnde Papinius de Polynice & Eteocle Oedipi filijs.

Dum uidet hæc dicens gressus admouit & arma
Ceu templis decus, & patriæ laturus ouanti.
Arma etiam spoliare cupit: Nondum ille peractis
Manibus ultricemq; animam seruabat in iras.
Vtq; superstantem pronumq; in pectora sensit
Erigit occulte ferrum, uitæq; labantis
Reliquias tenues suppleuit: & ensem
Iam lætus frater fratris sub corde reliquit.
Ille autem uiuis ne? Et adhuc manet ira superstes,
Perfide? Nec sedes unquam meriture quietas
I mecum ad manes. Illic quoque pacta reposcam
Si modo Agenorei stat Gnosia iudicis urna
Qua Reges punire datur. Nec plura locutus.
Concidit. Et totis fratrem grauis obruit armis.
Ite truces animæ, funestaq; tartara læto
Polluite: & cunctas Erebi consumite pœnas.

Sed ut ab antiquis exemplis recedamus, uidimus nos nobilem securi percussum ex familia Gribellorum, quem ferebant tres proprios fratres occidisse, cum de duobus satis constaret. Dixit autem nõ inimicos sed inimicitiarum cupidos: Tales enim ob cõuictum uidentur potius inimicitiarũ causas quærere quam habere, cum ex paruis rebus sibi succenseant. Raro enim manere inimicitias insinuat, cum fratres inimicos esse, res sit quasi absurda & naturæ repugnans.

TEX-

TEXTVS L.

Quæ minutiora sunt iterum quispiam coniectabit usus singulorũ qui liberos pollicentur astrorum horoscopo, ex reliqua collocatione non secus ac in genitura considerationem in genere instituens.

Statues unumquencq; locum largitoris pro horoscopo, & reliquos Planetas in domibus iuxta horoscopi naturam inuentis collocabis, iudicabisq; de illis ut superius docui de parentibus. Ex quo patet quod Sors debet accipi à nono ascendente loco largitoris, non ab ascendente patris. Nam aliter omnium filiorum esset eadem diuitiarum conditio. Prestat autem scire diligenter in filiorum causa Sortis cõditionem, quod ab ea proficiscatur conuersatio omnis atq; uitæ ratio.

Ex hoc patet quod multos habentes sospites filios sunt generaliter felices. Nam habent benefícas in locis potentibus nec impeditas. Rarò etiam dum multi sunt filij inter se exitiales inimicitias exercere solent, quoniam non possunt esse tot nisi significatores sint in cõcordibus signis & humidis absq; uictoria maleficarũ. Signa enim quæ odia pariunt sunt fixa, & maximè Leo & Aquarius: Hæc etiam sterilia sunt. Inde Geminni, Virgo, Scorpio & Aries: nam in his beneficæ non dominantur. Omnia autem sterilia plus moderato, præter Scorpium.

Vt autem uideas quæ dixit Ptolemæus uera esse, subiungo duas geneses, quarum alterius natus ad hanc usq; diem ex eadem uxore 6 suscepit filios sospites, alterius 16. uiuuntq; utrique parentes, nobiles, nec senes. Qui sex habet, alios est habiturus, Alius nobilis 15 habet, huic tres superiores sunt in Cancro. Cætera ignoro: Du-

Cœli Med.	♋	6	
Ascendens	♎	5	
Sol	☌	9	9
Luna	♋	7	56
Saturnus	♊	5	17
Iupiter	♐	28	44
Mars	☌	26	33
Venus	♍	23	
Mercurius	♋	22	
Caput	♊	4	17

16 filiorum
1500 die 29 Maij hor. 14. Hor.

Cœl. Med.	♉	11	
Ascendens	☌	21	
Sol	♊	16	54
Luna	♋	1	11
Saturnus	♉	29	11
Iupiter	♐	26	29
Mars	♋	21	16
Venus	♋	21	40
Mercurius	♋	11	10
Caput	♊	7	11

bitatione dignum est cum non possint esse plures quatuor largitoribus filiorum, quomodo possint oriri tot filij? Respondeo quòd fit multiplicatio per signa bicorporea & per congeminationem, ueluti, Planeta unus in bicorporeo duos, duo quatuor, & tres octo. Iupiter etiam & Mercurius duos per se quasi significant. Ideò qui habent multos filios, congeminãt Planetas ut in natiuitate Geminorum. Et quibus plures nascuntur filij, ijsdem etiam sæpe Gemini.

Sed dices saltem qui comprehenduntur sub uno largitore eandem fortunam habebunt? Idem enim loci & domini. Sed dico quod diuersis temporibus significabunt, & ratione huius erunt ualde diuersi. Quod si tempora non uarientur, respondeo quod hæc est causa cur gemelli plerũq; sunt similes corpore, moribus & casibus. Et illa in quibus differunt sunt ualde pauca, nec possunt dignosci ex genituris parentum, sed propriis.

Vltimo dubitatur cur non dixerit Ptolemæus quicquam de tempore filiorum suscipiendorum? Dico quod hoc docuit in ultimo capite huius cum dixit (A cœli fastigio liberorum procreationes) uult quod ex directione cœli Medij quotiescunq; per-

uenit ad largitores uel eorum radios, significatur filius. Sed nota triplicem differentiam: Prima, pro generatione oportet ut solum processus & ingressus parentũ inter se concurrant. Anno 1534 cum cœli Medium peruenisset ad trigonum Veneris & Mercurij, & Iupiter per ingressum esset in 23 parte Capricorni cœli Medio radicis, & in loco Veneris & Mercurij radicis Mercurius & Mars, genita est puella quę sequenti anno nata est. Secunda differentia, in prolificis genituris ubi cœli Medium peruenerit ad corpus uel radios prolifici, absque impedimento singulis annis nascetur filius aut filia. Tertia differentia, in his qui nõ sunt ualde prolifici, cœli Medium applicans radijs largitoris tunc dabit filium aut filiam cum largitoris locus per processum applicuerit loco directionis in cœli Medio uel undecimo loco, & alius largitor oppositum locum per ingressum possidebit. Ita ut sint quatuor locus radij largitoris in cœli Medio uel undecimo loco, idem locus ad quem directio peruenit cœli Medij, idem locus ad quem unius ex largitoribus imõ persæpe ipsiusmet processus peruenerit: Et locus idem uel oppositus ad quem peruenerit idem largitor, uel alius per ingressum. Ex quo patet, quod dixi, quod in prolificis propter mixtiones multorum Planetarum ac radiorum cum sint in similibus partibus numero necessario contingit ut fermè singulo anno largitorum loci per processum ad loca filiorũ perueniant. Concordia uerò genituræ filij cum restitutione anni patris, est quod Luna persæpe in filij genitura est in sui opposito restitutionis anni ipsius patris uel loci largitoris.

Caput septimum.

TEXTVS LI.

De amicis & inimicis.

BEneuolarum igitur affectionum & contrariarum, quarũ has quidem medias & diuturnas appellamus amicitias, seu inimicitias, illas uerò minores & temporaneas societates aut cõtentiones examinatio nobis sit hæc. Quando igitur quæ ex his præcipua sunt & maxima inquirimus, obseruare oportet in utraque genitura præcipua loca, Solis uidelicet & Lunæ, & horoscopum, partemq; fortunæ. Nam si in eadem signa inciderint aut loca mutuo permutauerint, aut omnia aut plura, maxime quando utriusque horoscopi 17 partibus inuicem distiterint, amicitias constituunt syncheras & insolubiles, nec ullis offensionibus expositas. Si inconiuncta sint aut mutuo opposita, inimicitias, maximas & diuturnas: Si neutrum accidat sed tantum in locis configuratis extiterint, si hexagonis aut trigonis minores amicitias, si quadratis minores conciliant inimicitias: ut interdum in amicitia occurrant silentium & simultas quando maleficæ hasce configurationes transeunt, in contentionibus reconciliationes & beneuolentiæ uicissitudines, per beneficorum ad configurationes ingressum.

Ita superi malè perdant eos qui rebus uanis ob lucrum uel ambitionem aut derisionem intendentes, nouas & inutiles dierum obseruationes nobis tradiderunt, cũ satis sit uel minimæ parti rerum utilium satisfeciſſe. Qualis hæc est tractatio amicitiæ & inimicitiæ, quas non ex propria sola genesi Ptolemæus uenatur sed ex concursu cum aliorum genituris. Inquit enim respiciens ad id quod iam antea diximus (res humanas uel natura uel utilitate uel conuersatione stare) si luminaria uel horoscopi aut for-

aut fortunæ pars in eisdem signis fuerint & maximè 17 partibus haud magis distantes, qui terminus est radiorum Solis & etiam Crepusculi matutini, aut loca commutauerint stabiles & inconcussas ac diuturnas amicitias pollicentur. μέσοις, id est, medias scripsit artificiosè, quod nemo sincerè amat sed amare uidetur. Aut pro μέσοις μεγάλοις scribendum, id est, magnas ut legit Hali. Si uerò loca horum principalium in coniunctis signis aut oppositis fuerint alter alteri, erunt inimicitiæ stabiles & diuturnæ. Quod si in locis configuratis minora utraq; erunt, diuturna tamen. Nam præsupponit generaliter eas futuras amicitias aut inimicitias perpetuas, quę nobis à natiuitate sint ingenitæ. Velut & breues, quæ ex processu locorũ & Planetarũ inuicem cõcurrentiũ contingunt (Silentium) cum unus alterum non alloquei: Simultas cum tacitè se inuicem oppugnant & contradicunt insidiantes sibi, non in uita sed in diminutione authoritatis (Per beneficorum ad configurationes ingressum) Puta in genitura Soluni sit in Libra alteri in Cancro: Iupiter ingrediatur Librã & Venus Cancrum, tunc illi reconciliabuntur.

Sed sic iure dices omnibus erunt inimici & amici perpetui? Non tamen ita est ut quibusdã malis mendicis aut miseris, uelut de Timone fertur, euenit. Verũ causa est quod in horum geniturís loca sint opposita aut inconiuncta. Erunt autem opposita his quibus Luna in opposito Solis extiterit nam his fortunæ pars etiam ascendenti opponetur: itaque quicunq; loco habebit principalia cum uno horum concordãtia, habebit cũ reliquis contraria aut inconiuncta.

Sed nunquid eadem ijsdem ut Sol Soli, Luna Lunę? An sufficit unum horum cum uno iunctum coniunctum habere aut dissidem? uidetur quod eundem oporteat esse ob duas causas, prima quod non essent eodem iuncti amicitiæ genere sed diuerso: Secunda quod quilibet nimis numerosos amicos haberet ac inimicos: Si locorum diuersorum coniunctio aut disiunctio sufficeret.

Sed uel sic quilibet etiam plures haberet aut amicos ueros & perpetuos, aut exitiales hostes quam uideamus? Respondeo quod oportet primo cõcurrere patriam, & consuetudinem, & familiarum consensum, & fortunam, & congressus Planetarum à quibus ut nouæ creantur quæ iam non erant amicitiæ uel inimicitiæ, ita iam factæ dirimuntur his congressibus. Et de hoc suppono exemplũ clarissimũ in 11 genitura.

TEXTVS LII.

Cum amicitiarum & inimicitiarum genera tria sint, aut enim ex instituto & electione libera, ita in se inuicem affecti homines sunt, aut usus necessitatisq; gratia, aut denique uoluptatis iniuriq́ue causa, quando omnia aut plura ex dictis inter se familiariter cõueniunt, ex omnibus his speciebus amicitia conflata est, quemadmodum quãdo dissident, odiũ. Quando sola luminarium loca ex delectu libero quod est beneuolentiæ genus optimum & firmissimum, sicut contra odium acerrimum & cui credere nihil oporteat. Sic si fortunæ sortes conueniant usus necessitatisq; gratia contrahitur. Quando horoscopi, uoluptatis & contumeliæ.

Clarius Aristoteles hæc describit dicens, amicitiæ genera tria sunt propter honestũ, utile & uoluptatem: ab honesto, ut uiri fortes qui se diligunt, aut sapientes, aut ex naturali quadam inclinatione, aut quia sit prudens uterque, aut morum uel artis præsertim excellentium similitudine: sic inter Apellem & Protogenem pictores intercessit amicitia: Et in administratione reipublicæ. Hoc genus à cõcursu Solis cum Sole & Lunæ cum Luna fit, uel uicissim commutatis locis. A Sole inquam propter honestum magis, à Luna autem naturalis potius amicitia gignitur. Odium similiter ex horum contrarietate, uel quia alter alterius gloriæ inuidet, uel naturali quadam inimicitia dissident. Fiunt autẽ in his lætales inimicitiæ & odia internicina, qui

bus dicit Ptolemæus nihil credere oporteat, scilicet, etiam si conflentur inducíæ, aut pax simulata sequatur. Propter utile, mercatores inuicem, iurisconsulti, & cognitores, aromatarij & tonsores cum medicis, magistratus cum Principibus, procuratores, dispensatoresque cum nobilibus, milites cum ducibus, serui, Proxenetæ, uectores idq; generis. Ex odio uerò quicunque impediunt hæc aut inimicis inseruiendo lucrum impediunt. Atque in hoc genere sunt artifices eiusdem artis, ut Hesiodus inquit, figulus odit figulum, hi tales ex parte fortunæ seu Sorte in utraque genitura accipi debent. Ex uoluptate quæ fit ex concubitu prima est: Inde à luxu per potationibus & conuiuijs, item à ludo, à musica, mimi, histriones, aretalogi, coqui, & eius generis, uel ab iniuria ut maledici, susurrones, inuidi, detractores, contemptores, irrisores, delatores, accusatores, insimulatores, & qui scommatibus alienam lædunt existimationem. Hi omnes ab horoscoporum configuratione decernuntur. Cum uerò multa ex his conueniunt, erit multiplex & firmior amicitia: Si disconueniũt maius odium & inexplicabile. Si autem quædam conueniant quędam dissideant erit amicitia & odium simul. Sicut contingit quibusdam qui habent seruos desides, quos amant ob consuetudinem diuturnã, & odio habent ob uitia. Porrò longa cohabitio ad genus amicitiæ primum, scilicet ob naturæ consensum, referri debet.

TEXTVS LIII.

Obseruare autem conuenit locorum configuratorum suppłosiones, stellarumq; ad hæc aspectus. In quibus enim genituris inciderit configurationis superatio siue in idem signum siue in proximè succedens, illis præcipuę partes in amicitia tribuendæ sunt, aut odio. In quibus uerò fuerit aspectus stellarum meliorum illis ex amicitia uberiores fructus, ex inimicitia damna grauiora decernuntur.

Duo uerba βελτίωϱ quod est meliorum & καλυπτήϱησις quod uertit suppłosiones magnam difficultatem atq; obscuritatem in Ptolemæi uerbis pariunt. Hoc idem uerbum ultimum superationem dum reperitur uertit. Sensus igitur est: duo sunt obseruanda in his quæ ad amicitiam aut inimicitiam pertinent: loca illa principalia quæ quatuor esse diximus, & inter illa uidendum quod sit potentius ex cõcordantibus locis aut pugnantibus seu in eodem signo seu respectu sequentis tũc ille erit causa amicitiæ uel odij principalis. Exemplum, In octaua & nona genitura Luna est in eodem loco & significat amicitiam ob præstantiã. In eodem signo Casanato sunt radij Mercurij felices, tum Martis ac Veneris & Sors: Mihi infelices Martis, & felices Iouis, ideò significatur quod principalis causa amicitiæ & utilitas erit potius atq; fuit Casanato erga me, quam mihi erga Casanatum. Quod autem dixit (uel in sequenti signo) dixit ob hoc quod per directionem locus principalis ad illud signum peruenit tempore iuuentutis, quo maximè prodesse possunt amicitiæ. Si igitur tale signũ felix fuerit quod ad principalem peruenit locum, cũ peruenerit ille erit utilis alteri & principalis causa amicitiæ. Ideò plerũq; ob id contigit quod qui quærũt amicitiã alicuius illi sunt utiliores quam is cuius quæritur amicitia ei à quo quæsita fuit. Secundũ obseruandum est quod beneficæ respicientes locum principalem in amicitia, decernũt utilitatem maiorem ab altero in cuius genitura non aspiciunt locũ talem: Et hoc est quia locus ille est cum fauore beneficę uni, alteri non: In inimicitia accidit contrariũ. Nam qui habet beneficã aspicientem, est magis obnoxius contumeliæ, quia est magis pacificus, ideò dicebat ille: Dat ueniã coruis uexat censura colũbas. Hoc aũt magis erit euidens cum in inimicitia benefica fuerit debilis, in amicitia autem potens.

TEXTVS LIIII.

In temporaneis autem societatibus & contentionibus animum aduertere oportebit ad motiones syderum in utraq; genitura: Hoc est quibus

bus temporibus sydera unius geniturae ad loca syderum alterius promo ueant. Hoc enim modo contingunt amicitiae & inimicitiae imbecilliores & ex parte: Quae tamdiu durare solent donec separentur. Interdum uerò eousque donec superueniens aliud sydus, decretum illud interrumpat.

Tria genera amicitiarum innuit: unum quod est firmum & ab ineunte ętate quod ex concursu locorum principalium contingit in genitura: Secundum quod est infirmum, nec omnino perpetuum, contingit autem dum Planetae mutuò loca alterius ingressi fuerint. Puta si ego habeo Iouem in quarta parte Tauri, & alius Martẽ in tertia parte Sagittarij decima die Aprilis 1556 contraheremus amicitiam: Quia tunc Iupiter ingreditur tertiam partem Sagittarij & Mars Tauri. Idem etiã fiet ubi duo Planetae mei ingrediantur loca alterius simul. Hoc autem magis in annuis conuersionibus, licet hoc nõ dixerit Ptolemæus. Tertium genus est maximum quod Ptolemæus censuit ex his duobus esse manifestum: cum scilicet ambo hæc concurrunt & quod in geniturís loca principalia conueniunt, & fiunt mutui ingressus Planetarum: Tunc enim maximae res ab his patrantur in hoc casu. Manifestum est autem quod & euentus docet, ex Ptolemæi uerbis, amicitias esse plerũq; fortuitas. Cum uerò tempus harum amicitiarum & inimicitiarum (Nam quod de uno dixi de altero intelligi uolo) duret donec separentur: Separatio autem fit ut dictum est in distantia 17 partium, & hoc ultro citroq;, quas Saturnus quandoque uix toto triennio superat, manifestũ est diuturniores amicitias temporaneas intra hoc tempus finiri, similiter & inimicitias. Quae autem excedunt, aliquid habent cum genitura. Saturnũ quoque diuturniorum amicitiarum & inimicitiarum esse parentem. Post has quae à Ioue. Breuissime à Luna. Quae uerò ex concursu horoscoporum, intra paucas horas finiuntur: ideò earum non meminit Ptolemæus.

TEXTVS LV.

Saturnus igitur & Iupiter subeuntes mutua loca, amicitias gignunt per conspirationes, aut agriculturam, aut hæreditarias successiones. Saturnus & Mars per rixas, insidias, easq; ultroneas. Saturnus & Venus coniunctionem per affinitates cito labescentem & euanescentem. Saturnus & Mercurius, affinitates & conuictus conciliant per largitiones, munera, mercatura, aut arcanorum communicationem. Iupiter uerò & Mars dignitatum & gubernationis caussa. Iupiter & Venus hominum publica munera, eaq; sacra obeuntium, cultus scilicet diuini, oraculorum & his similium. Iupiter & Mercurius conuersationes disserendi, discendiue & philosophãdi causa instituit. Mars & Venus amorum, adulteriorum aut ocij ignaui gratia, instabiles tamen, & non rectissimè institutas. Mars uerò & Mercurius inimicitias & uociferationes & lites, literarum & pharmacorum occasione. Venus autem & Mercurius conuictus ob artis eiusdem studium, aut canendi aut literarum communicationem, aut fœminarum causa.

In omnibus his una est regula generalis, quod societas esse debet eorũ causa quae utrique Planetae conueniunt. Saturnus & Mars cum Venere parum conuenientes amicitias instabiles reddunt. Mars & Mercurius uix admittit amicitias, ut Iupiter & Venus inimicitias.

TEXTVS LVI.

Magnitudinem igitur & paruitatem, intentionem & remissionem, so

cietatum aut contentionum, ex comprehensorum locorum ad præcipua quatuor loca comparatione iudicare oportet, nam in angulis aut sortibus fortunæ, aut circa luminaria si occurrãt, euidentes significant & uehementes affectiones mutuas: Sin ab his destiterint obscuras. Commoditatem uerò aut incommoditatem illis ex societate maiorẽ, ex astrorum inspectantium prædicta loca ad bene maleúe faciendum propensione.

Duo in hac parte docet magnitudinem ac firmitatem societatis ex Planetarũ permutantiũ propinquitate ad loca quatuor principalia Solis, Lunæ, horoscopi & Sortis. Pro ascendente uerò etiam reliquos angulos docuit comprehendi, quòd ibi Planetæ maximam uim habeant. Secundum est damnum aut utilitas ex amicitia uel inimicitia, & hæc contingunt ex beneficis aut maleficis Planetas commutantes inspicientibus. Hoc autem sæpe declaratum est.

Notandum quod in hoc casu inimicitiæ fiunt ex commutatione ad loca opposita, sicut amicitiæ ad mutua, utpote si quis habeat Martem in quinta parte Geminorum, & ego Iouem in quarta parte Tauri & contingat eodem tempore Iouem in mea genesi ingredi quintam partem Sagittarij & Martem quartam partem Scorpij, orietur inimicitia ex eo tempore inter nos. Quandoq; etiam ex commutatione propriorum locorum, ut Martis cum Mercurio ob naturalem inimicitiam Planetarum. Sũt enim contrariæ penitus naturæ. Mars enim nihil uult rationi obsequẽdo, Mercurius cuncta: Mercurius dolo, Mars ui agit. Vterq; siccus, uterque malus.

Notandum præterea quod Venus est propriè significatrix dilectionis, & Saturnus odij. Si igitur contingat in una genesi unum ex quatuor locis principalibus esse in dignitatibus, & alter habeat in eodem gradu Venerem, diligent se mutuo. Et magis ille qui habebit locum principalem diliget, eum qui habebit Venerem, quam diligetur. Exemplum, ego habeo Lunam in duodecima parte Piscium in dignitate Veneris, quicunque igitur habebit Venerem in eodem gradu uel ualde propè, erit mihi amicus intimus. Et ego plus eum diligam, quàm ille me. Per oppositum, si quis habeat oppositum alicuius ex locis principalibus in dignitatibus Saturni, & alter in tali opposita parte Saturnum, inimicitias agent capitales. Exemplum, si quis habeat Sortem in sexta parte Arietis, quicunque habuerit Saturnum circa sextam partem Libræ erit inimicus magnus alteri qui habuit Sortem in oppositio loco in Ariete. Et primum est nobis cognitum ratione & experimento: huius autem secundi ratio est pariter manifesta.

Caput octauum.

TEXTVS LVII.

De *seruis*.

DE seruis & eorũ erga dominos animo beneuolo aut maleuolo ex signo mali genij iudicandi modũ accipimus, et ex ijs qui locum hunc signiferi intuentur, tam secundum geniturã ipsam quam secundum accessus aut oppositiones. Maximè ut gubernatores huius partis signiferi conuenienter præcipuis genituræ locis aut repugnanter configurati fuerint.

Hæc est quarta domus pars serui. Nil autem refert seu seruos seu famulos dicas, hoc enim discrimen à legis instituto pendet. Vtrorumq; autem quod ad astra pertinet ratio eadem est. Serui enim olim in dominorum potestate erant, nunc famulis utimur quibus libera est conditio & solam operam seruam præstant. Par autem erat horum

horum naturam ex mali genij loco accipi. Cum enim principales partes domus sint dominus, uxor, filij, serui, & res ipsa: Dominum significat horoscopus, & illius existimationem Sol, Luna uxorem, 10. & 11. filios, Sors rem seu opes, reliquum est igitur ut seruos 12. significet. Nam Ptolemæus accipit quicquid est à cœli Medio usque ad horoscopi finē pro cœli parte ualidiore, quod in his Planetæ nō secus quam Sol dum ad nos accedit ascendant nostri habita ratione. Sunt igitur domus quatuor 10. 11. 12. 1. Et præter has Solem, Lunam & Sortem. Itaque principalia loca sunt septem. Par autem erat locum seruorum præponi loco amicorum: Et ita fert rerum conditio. Sed quia serui sunt ignobilissimi, secutus existimationem communē, primum de amicis egit antequam de seruis. Hoc uerò uult ut per præcedens caput etiam seruorum conditionem intelligamus. Et per ea quæ ibi dicta sunt cognoscamus de seruis qui nobis erunt diuturni aut temporales, itaque sententia textus hæc est.

Seruorum conditio & erga dominos affectus habetur ex duodecimæ domus signo aut signis & locis qui hunc aspiciunt: præcipuè uerò sexto, inde octauo atq; secundo tam secundum ipsam genituram, id est, Planetas ibi hora natiuitatis constitutos, quam etiam Planetas qui hæc loca ingrediuntur. Vtpote si Mars ingrediatur signum sextæ domus, habebit eo tempore seruum infidū & malum. Si Iupiter signum duodecimæ, habebit seruum aut famulum fidelem, bonū & frugi. Si Venus, gratum amabilem & iucundum. Et si gubernatores huius duodecimi loci fuerint in præcipuis locis genituræ, serui domino imperabunt. Si in deiectis, negligentur ab illo. Si in septimo loco aut in opposito domini horoscopi, ipsi aduersabuntur. Si in opposito Solis detrahent existimationi eius, & ita de alijs.

Cum uerò Principum serui etiam amicorum loco habeātur, & quorum loci principales conuenientes ut Sortis, uel Solis, uel horoscopi, eleuantur super alium hi dominantur amico, uel signum subsequens, necesse est inter tot seruos & amicos Principis unum inueniri cuius nutu omnia agantur. Et ita quilibet Princeps unius ex familiaribus consilio agitur. Is ut fuerit prudens aut felix aut cōtrario modo fortunam Principis circumagit. Et quia hæc fortuna plerunq; ex fixis stellis pendet, ideò tales plerunque sunt ambitiosi, immoderati & malorum morum. Quibus si erraticæ non subscribant prauus plerunq; exitus succedit. Illud etiam obseruaui eos qui Librā habebant in ascendente sponte inseruire mihi, quod Libra signum sit sextæ domus, & in eo beneficæ. Per idem si seruus in horoscopo habebat signum decimæ domini, imperabit domino. Hoc tamen nondum obseruaui.

Caput nonum.

TEXTVS LVIII.

De peregrinatione.

QVæ uerò ad peregrinationem spectant colligimus ex luminum amborum erga angulos statu, magis uerò Lunæ.

Par erat motum illum & habitationem sequi luminarium statum ob illorum potentiam. Tum maximè quod ex peregrinationibus conditio & existimatio hominis persæpe mutatur. Proposuit autem Lunam quia ipsa significat qualitates animi naturales, ut inconstantiam, desiderium nouas regiones uidendi & talia. In angulis luminaria sunt quasi firma, in cadentibus uelut homo cum pede uno super sphæra stans, nam non potest sic diu quiescere.

TEXTVS LIX.

Occidens enim hæc aut ab angulis decidua, peregrinationes, locorūq; mutationes indicat. quod propemodum etiam Mars aliquādo præstat, siue

siue occidens & ipse, siue ab angulo qui uertici incumbit decidens, quando luminaribus ex opposito aut quadrangulo loco situs est.

Planetæ in occidente parum uidentur, & ob id etiam rem quæ diu non uideatur significant, homines q; aut breuis uitæ aut peregrinãtes diu uitam q; procul à patria agentes: nam & qui moriuntur & qui in aliena morantur regione non uidentur ab amicis & ciuibus. Luna igitur in septimo loco uel etiam Mars mortẽ in iuuentute significant aut peregrinationem. Quia, ut dixi, peregrinatio est mortis uicaria: Significant & mortem repẽtinam, Mars quidem ob propriam naturam quæ uiolentam mortem affert, uiolenta autem mors plerunq; etiã repentina est, Luna quod in eo centro subito abscondatur. Violentus igitur & repentinas mortes malè collocati hi Planetæ in hoc angulo significant: ubi bene, moram extra patriam diuturnam. Sed in cadenti-
Lib. 3. text. 34 bus ab angulis cum locus ille non occidat quemadmodum septimus, ut supra docuimus, nunquam mortem minatur sed peregrinationes nec adeò perseuerantẽ absentiã, ut in septimo loco significant. Septimus enim locus angulus est. Assumit autem in Marte ex decidentibus tamen qui sunt quatuor 12. 9. 6 & 3 solum nonum, quod hi qui sub terra sunt non possint tantum promouere animum ut ad peregrinandũ inducant. Tertius tamen locus (quia ut sæpe dictum est apud Ptolemæũ oppositorum eadem est ratio, ut supra uisum est 12 & 6 ad seruos, quamuis 6 supra morbos, 10 & 4. item q; 11 & 5 ad filios, horoscopi ad moram in patria, occidentis ad peregrinationes) significat breuia itinera. 12 cum seruos significet, ut dictum est, non assumitur. Solum igitur septimus & quasi ad moram extra patriam, nonus ad longas peregrinationes: Tertius ad breues sunt assumendi. Et in his Sol, Luna & Mars. Sol quia significat hominis totum statum & existimationem, Luna quia animam & ualde uelociter mouetur, & Mars quia præest animi impetui. Non tamen id potest nisi luminarium alteri ex opposito uel quadrato configuretur. Par enim est disiunctum aut amicum illis non agitare mentem. Est autem peregrinatio à quodam mentis æstu: quem uel sublata causa uel uoluptate inuisendi nouas regiones, leuamus: uel si inuiti peregrinemur ut in exilio, æstum illum augemus.

TEXTVS LX.

Si uerò & pars fortunæ in signis peregrinandi authoribus extiterit, uitam omnem & conuersationes, actiones q; uniuersas in peregrinatione exequuntur.

Quatuor loca principalia esse docuimus Solis, Lunæ, Sortis, horoscopi, horoscopus non potest esse in septimo uel nono loco, relinquitur ut assumamus Sortem. Si igitur Sors cum Luna uel Marte sic posito, ut diximus fuerit in septimo loco uel nono cum Sors cum Luna se habeat ut horoscopus ad Solem, perpetua itinera aut moram extra patriam declarabit. Erit autem hoc diuitiarum causa.

TEXTVS LXI.

Benefici igitur hæc loca iuuentes, eisúe succedentes, honorificas præstãt & lucrosas perfectiones, reditus q; celeres & expeditos. Malefici contra laboriosas, damnosas & periculis obnoxias, & impeditos reditus, nusquam tamen omittere conuenit temperandi decreti rationem, secundum authoritatem uniuscuiusque inspectantium, quemadmodũ in prioribus differuimus.

Loca sunt Lunæ uel Solis, uel Martis, uel Sortis cum in septima, uel nona, uel tertia domo fuerint, ut dictum est. Sed quod dicit (Nusquam tamen &c.) Arabica Hali translatio clarior est scilicet, quod hæc omnia temperamentum sortiuntur ex stellis quæ his aspicientibus commiscentur. Hic textus uidetur uelle intelligere robur

aut

aut debilitatem succedentium seu aspicientium, non Planetas aut stellas quæ aspicientibus commiscentur. Est enim κατ' ἐπικράτησιν iuxta uictoriam & excessum, scilicet, ut dixi, aspicientium uel succedentium inter se. Succedentes enim stellę ut in textu, multum faciunt. Id est ut superius quæ in signo sunt subsequente.

TEXTVS LXII.

Ferè autem ad orientalium quadrantum directis locis si luminaria reperta fuerint uersus ortum & meridiem itinera instituuntur. In occidentalem uerò aut in ipso occasu, septentrionem uersus & occidentem.

Dubitatur quomodo in orientalibus quadrantibus possint esse luminaria in hoc casu, cum solum in septimo & nono loco itinera significēt, qui partes sunt quadrantis occidui? Deinde quomodo solum luminaria accepit cum sint quatuor ut uisum est superius itineris significatores Sol, Luna, Sors & Mars? Ad hoc facile respondemus dicentes Solem & Lunam esse principales, & sub eorum ratione intelligi debere Sortem & Martem. Vel quod hi duo significatores statum luminarium sequuntur. Ad aliud dicimus etiam 12 locum in Luna & Sole itinera significare, ut superius docuit: non tamen in Marte. Eadem ratione & tertium. Quadrantes orientales sunt ut uisum est ab horoscopo ad angulum cœli Medij, & ab occasu ad angulum imi cœli: occidentales ab imi cœli linea ad horoscopi initium, & à cœli Medij initio ad occasum. In orientalibus igitur ad ortum & meridiem, in occidentalibus & in ipso occasu (ut intelligamus occasum licet sit angulus & superius à decidentibus locis separatum tamen sub generali quadrantis ratione comprehendi) ad occidentē & Septentrionem. De oriente & occidente clara per se est ratio, sed de Septentrione & meridie non ita. Dico igitur quod Septentrionem orienti adiunxit, & meridiem occidenti, quoniam cum Planeta est supra horizontem seu finitorem ascendens est in oriente, & ascendit ad locum meridiei: igitur isti duo loci sunt affines. Et similiter cum descendit à linea medij cœli peruenit ad occidentem, & quia tunc est in occidente manifestè, igitur ut orienti succedit meridies, ita occidenti Septentrio: igitur quadrātes occidentales habent rationem occidentis & Septentrionis. Debet autem legi disiunctim hoc modo: si in quadrantibus orientalibus ad orientem uel meridiem, si in occidentalibus ad occidentem uel Septentrionem. Aliter nullus iret ex Italia in Hispanias, quia sunt positæ ad occidentem & meridiem, nec ex Gallia in Germaniā quia positæ sunt ad Septentrionem orientalem.

Sunt præter hæc consideranda in Luna & Marte latitudines & ascensus ac descensus, Borealis latitudo iter ad Boream, item Planetæ ascendentes significāt, ut descendentes uel habentes latitudinem Australem ad Austrum. Sed Ptolemæus non posuit regulam nisi omnibus quatuor significatoribus communem, Sol autē & Sors ascensu & latitudine omni carent.

TEXTVS LXIII.

Ac si unius figuræ sint quę itineribus causam dant signa siue illa ipsa, siue gubernatores horum Planetæ, rarius & non nisi quando cōmodum est iter, significat. Si uerò duum corporum aut formarum, continuū multoq; tempore.

Hoc clarius est quam quod mereatur expositionem: nam Sol aut Luna, aut Sors, aut Mars, quicunque itineris significator extiterit, & domini loci eius in quo est significator, si fuerint in Geminis, Virgine, Sagittario, uel Piscibus, iter diuturnum & continuum significant: In alijs uerò signis rarius, & non nisi commodum.

TEXTVS LXIIII.

Iupiter igitur & Venus domini constituti locorum & luminum quæ perfectionem significant, non solum periculis nullis expositas, sed placidas etiam peregrinationes decernunt, aut enim à præfectis earum regionum

num aut amicorum causa legati proficiscuntur, fauet aëris constitutio, & sine indigentia opibus affluũt. His si Mercurius accedat sæpenumero propter iam dictam felicitatem adiumẽta & dona accumulantur. At uerò Saturnus & Mars luminaria occupantes maximè si mutuo sibi oppo nãtur, inutilia hæc omnia & periculis inuoluta ingentibus: in humidis reperti signis, per difficiles nimirum nauigationes & naufragia, aut per inuia desertaq; loca: in fixis uerò per præcipitia & tempestates uẽtorum. in tropicis & æquinoctialibus per inopiam rerum necessariarum & affectam ualetudinem: in humanæ figuræ signis per latrocinia, & insidias, et regum uiolentiam: in terrestribus, per ferarum inuasiones aut terræ concussiones. Mercurio accedente per ea quæ in sublimi fiunt & accusationes periculosas, amplius uerò per reptilium, aliorumq; uenenatorũ ictus.

Hic ut in sequenti capite docebit non solum zodiaci signa sed quæ extra illũ sunt intelligit. Humida signa à proprietate accipit, non à quadrantibus: Erunt igitur ut Cancer & Pisces & Scorpio. Humidum enim inutile continent & aquas significant. Sic Delphin & Argo, extra signiferũ. Fixa sunt quatuor ut docuimus Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius. Sed cur fixa significant præcipitia & uentos, humida uerò deserta? Humida cum significent mare & lacus & flumina & hæc non habitantur, inquit Hali, similitudine quadam significant omnia loca deserta. Fixa significant terram & rupes & ideò præcipitia & ruinas: Et uenti sunt causa ruinæ. In signis tropicis & æquinoctialibus quæ sunt Aries, Cancer, Libra & Capricornus, quia hæc mutant aërem faciunt morbos, & corrumpunt aquas, ideò significant inopiam necessariorum. Experimur enim quod signa æquinoctialia corrumpunt aërem, & tropica maximè faciunt abundantiam aut penuriam aquarum, à quorum utroq; fit sterilitas frugum & fructuum. De signis humanis clara est causa: Quæ sint dictum est in primo libro. Extra zodiacum tamen sunt Perseus, Auriga, Cepheus, Andromeda, & alia etiam, ut in supplemento uidere potes. Vel apud Ptolemæũ, uel in sphæra. Terrestria sunt quæ per terram gradiuntur, ut Aries, Taurus, Leo, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, & extra zodiacum serpentes, magnus scilicet & ophyulci & lepus & canes. Ideò significant feras insultantes & quia in terra perpetuo manent etiã terræ cõcussiones. Sed Mercurius accedens per tẽpestates aut fulgura quia ipse est uentorum author: Et per accusationes, hæ enim sermone fiunt, Mercurius autem est sermonis author (Et per reptilium aliorumq; uenenatorum ictus) id est cum fuerit in signis ferarum: feras enim minores significat Mercurius, quæ non nocent homini nisi ueneno, ideò cum damna significat, uenenosa etiam animalia significat, cum paruis tantum præsit non magnis.

TEXTVS LXV.

Peculiaris horum decretorum ratio, qua utilia quęq; noxia sint, ex differentia eius quod causam dat, locorumq; causam comprehendentium, opificiorum & possessionis, ualetudinis & dignitatis, iuxta horum quæ prima est præcipuaq; constitutionem accipienda est.

Si uelis scire propriam causam iacturæ aut utilitatis, uide locum qui est causa itineris: utpote in nostra genitura omnia quatuor dãt causam itineris Sol, Luna, Sors & Mars. Sol propter honorem quandoque ob patrem, Luna ob desiderium uidendi regiones & propter uxorem aut matrem, Sors ob lucrum, Mars ob negocia & maximè bellica & res graues. Dabo igitur exemplũ de Marte, ut intelligas de alijs. Mars fuit dominus loci decimi, & ipsum aspexit Sol & fuit in dignitatibus Mercurij, qui est sub

est sub qualitate & conditione Veneris ex toto, cum sit in domo illius applicans mu tuo congressu illi, & ei iuncta. Significat igitur duo magna itinera, alterum occasione discendæ eruditionis, & fuit Patauium & ad Saccense oppidum in quo sex annis perpetuis artem medicam exercui: Et hoc significabatur à Marte commixto Veneri & Mercurio: Reliquum à Marte commixto Soli occasione medendi principem, & hoc fuit in Scotiam, ut suo loco docebimus. Sensus igitur textus est: Si uelis scire differentiam & naturam propriam euentuum bonorum & malorum in itineribus, scies ex duobus, ex causa itineris seu illius proprio significatore seu significatoribus si plures fuerint, & locorum qui configurantur huic principali loco, aut si non sint qui configurentur qui imperent: Si enim comprehendũt & principalis dominus aut configuratus siue uno uerbo ex his qui comprehendunt principalior seu principaliores causam demonstrabit secundum significatum suum. Nam si dominabit Sorti, erit causa opum: si loco Solis, causa dignitatis: si Medio cœli, causa artis propriè. Idem cõtinget si aspiciat tales significatores, licet non dominetur illis. Et quia contingere potest ut sint plures comprehendentes locum itineris qui habebunt diuersa significata, dicit assume ex his principaliorem, id est, qui magis illum locum habet in sua potestate uel propter exactiorem aspectum, uel quia maiorem in loco illo habeat dignitatem.

TEXTVS LXVI.

Temporum uerò quibus maximè significationes apparent ex figuratione incursus temporum succedentium. Et hæc quidem hactenus explicata sunt.

Intelligit tempora esse sumenda ex directionibus quæ explicatæ sunt hactenus, id est, in capite de uita. In his considerandi sunt incursus, scilicet quo tempore eueniant. Nam cum sint duæ generales temporum uenandorum rationes, directio & situs significatorum respectu mundi & Solis. Itinerum tempora ex situ respectu mundi non licet inuenire, cum plerunque significatores ut uisum est sint in occidentali parte scilicet septima uel nona domo. Perit igitur & ratio sumpta à situ quo ad Solem: relinquitur igitur sola directio. Incursus loci sunt loci dominorũ locorũ principalium, & loci alij principales. Et tunc oportet obseruare qui Planetæ ea loca aspiciant, ut in capite dicto. Propterea dixit (Et hæc quidem hactenus explicata sunt) Id est non solum incursus tempora te docui, sed quæ cum illis incursibus sunt consideranda. Illud ex hoc nobis fit manifestum, plurimos significatores plurima itinera significare, quoniam sæpius significatores per directiones ascendenti occurrẽt. Contrarium continget cum significatores pauci fuerint. *Cap. 14. lib. 3.* *Vide infra com. 80.*

Solum dubium relinquitur cur nonus locus cum sit cadens, tamen uehementem affectum significet erga itinera? Videtur enim quod imbecillis locus nihil magnum possit promittere. Ideò altius hæc quæstio est repetẽda: Nam anguli sunt robusti uel quia nullum faciunt angulum cum regione ut horoscopus & occidens: Vel quia recti, ut cœli Medium & Imum. Rursus loca alta plus influunt quam humilia, exemplo lapidum qui iaciuntur: nam ut ex altiore loco, ita uehementius percutiũt. Et ideò 11 domus 10 & 9. plus possunt quàm 8. uel imum cœli imò quandoque plus quàm 7. Quæ uerò succedunt domus adhuc multum possunt, quia ad angulos motu firmamenti stellæ & signa quæ in eis sunt accedunt. Sed quæ ab angulis cadunt, partim quod angulum minimum faciunt, ut 12 supra regionem tropici hiemalis instar & ad imitationem cum Sol ibi minimum possit, partim quod finiant potestatem anguli, ut mors in animalibus, & finis magistratus parum possunt. Nonus tamẽ locus quod sublimis sit non solum in itineribus, sed etiam in uita potest, & plusquam octauus, quamuis ille succedat angulo & hic cadat. Locus igitur hic ualidus est, & solum decimi comparatione debilis est. Itaque Planetæ non possunt quod in decimo loco, & homo agit quæ sunt minora decretis à cœli Medio & itineri accingitur. Propterea,

qui iter agunt omnia alia negocia relinquunt. Erga nona domus ualida est, sed in nullo quod à decima possit significari.

Caput decimum.

TEXTVS LXVII.

De morte.

QVm reliqua sit ex omnibus de mortis genere contemplatio, primum ex ijs quæ de uitæ spacio docuimus, constare oportet: Vtrum secundum radiorum ductationem interemptio an secũdum dominantis syderis occasum accidet. Nam si iuxta radiorum ductum & occursationem eueniat interfectio, locum occursus in consilium adhibere pro mortis genere coniectando oportet. Si uerò iuxta occasum, illum ipsum occasus locum. Quales enim fuerint siue ij qui dicta loca sequuntur, aut si nulli sequantur qui primi aliorum ad ea feruntur, tales nimirum è uita decessus futuros opinandum est, quorum natiuis significationibus ut uarietatem illam euentuum complectamur, configuratorum astrorũ, locorumq; interemptoriorũ peculiares significationes coniungemus, tam pro signiferi quam finium natura.

Sententia hæc talis est: considera locum Anæretam qui per directionem Aphetæ occurrens mortem indicat, ut superius declaratũ est, siue is sit Planeta seu locus occidentis: & quales fuerint Planetæ ordine signorum illis succedẽtes, aut si nulli sint tales qui antecedunt, proximius, & hi genus mortis principaliter decernunt. Post naturam loci interimentis & Planetas qui loco succedenti aut antecedenti si succedẽs desit configurantur. Et etiam iuxta naturam signorum ipsorum tum finium in quibus principales mortis significatores inueniuntur. Exemplum in septima genitura Apheta fuit Luna, Anęreta 22. pars Libræ aspiciens nonam Piscium qui est locus Saturni. Dicemus igitur quod mors erit principaliter ex natura Mercurij qui succedit loco interficienti, & hoc est primum & principale. Secundum est locus interimens pars 22. scilicet Libræ: Deinde Planetas qui configurãtur Mercurio & est Luna quę est in imperanti cum eo & in Anæreta considerat naturam signi & finium. Natura signi ad locum pertinet, finium autem ad Planetas. Velut in exemplo dato loci sunt 22 pars Libræ & 24 eiusdem & 2 pars Virginis. Et in loco Anæretæ cõsiderabimus naturam Libræ & naturam Mercurij domini illius finis. Non considerat Planetas configuratos Anæretæ quoniã idem esset author mortis & modi semper: at hoc non est uerum, igitur Anæreta alius est à significatore qualitatis mortis: Et est pulchra ratio, & efficax. Nec considerat dominos signorum, quia cum mors sit res quædã propria potius competit proprio domino loci, id est, finis quàm signi, id est, domus aut exaltationis aut multominus trigoni. Nec considerat locum succedentem aut aspicientem, quia est debilis cum quatuor habeat significatores ante se. Quorũ primus est locus succedens seu Planeta uel radij eius, uel fixa aut antecedens qui fertur ad Anæretam motu proprio Planetæ iuxta signorum ordinem. Secundus dominus finis Anæretæ. Tertius signum Anæretæ. Quartus Planeta uel stella cõfiguratata loco succedenti aut antecedenti significanti mortis qualitatem. Et hos significatores omnes uocabimus Piothanatos, id est, qualitatem mortis decernentes.

TEXTVS LXVIII.

SAturnus igitur morti præfectus, obitus efficit post diuturnos mor-

Los &

bos & tabes & humorum defluxus, & febres, per lienis aquæ intercutis, colicas, uteriúe affectiones, & quotquot ex frigoris multitudine constant. Iupiter uerò ab angina & peripneumonia, apoplexia, & conuulsionibus, capitisq; doloribus & stomachi, & quotquot à pulmonis peuersa constitutione proueniunt. Mars à febribus continuis & tertianis, & repentinis plagis & renum affectionibus, sanguinisq; excretionibus & defluxu, abortionibus & partu, sacro igne et pestilentibus morbis, quiq; per inflammationem & feruorem eueniunt. Venus per stomachi, & hepatis affectiones, impetigines & dysenteriam mortẽ infert. Amplius uerò per ulcera, pustulas, & fistulas & adhibita pharmaca ac denicq; quotquot humore nimium increscente aut corrupto nascuntur. Mercurius per insaniã & amentiam & ex atræ bilis copia proficiscentes lapsus per quæ comitiales morbos & tusses & crebras expuitiones, & quotquot siccitate copiosa & corrupta constant.

Textus hic per se clarus est, sed tamen quædam intellígere oportet. Primũ quod hæc natura Planetarum conuenit & succedenti loco Anęretæ seu antecedẽti, & domino finis Anæretæ & aspicienti succedentem locum Anæretæ.

Considerandum etiam quod longè plures morbi esse possunt, sed per genera hic ponũtur: Saturnus frigidos, melancholicos, crudos & ideò longos & qui cum liene communicant. Iupiter sanguineos & qui cum iecore & pulmone consentiũt. Mars à bile calidiore & febres & qui cum felis uesica participant. Venus à pituita & humido & qui cũ uentriculo rem habent. Mercurius mixtos, uarios, inconstantes, occultos & qui cum cerebro patiente fiunt.

Præterea hæc omnia ita intelligenda sunt ut discrimen membrorum animaduertas superius positum, ubi de Planetarum significatis super membra agitur.

Est etiam considerandum hic Ptolemæum agere de morbis qui ad mite mortis genus homines agunt principaliter, inde etiam ad alia genera mortis posset traduci sed non ex intento. Rursus cum constet Iouem & Venerẽ non esse Anæretas, non loquitur hic de Anæretis, ut dixi, sed de præsidentibus fini Anæretæ uel succedentibus illi aut aspicientibus succedentia loca. Et si quis dicat cur ergo non connumerauit luminaria cum ipsa possint succedere & præesse Anæretæ uel aspicere succedentem locum? Respondeo quod luminaria non significant ullam qualitatẽ propriam, ut uisum est in secundo libro, sed solum mortem illustrem & claram de qua in sequenti textu agit. *Lib. 3. text. & com. 53.*

TEXTVS LXIX.

Miti igitur hoc moriendi genere euita discedimus cum mortis authores in proprijs domesticisúe naturæ suæ conuenientibus locis reperiuntur à nullo superati qui maligniorem illustrie remq; exitum reddere possit. Violenta uerò atque conspicua morte decedimus cum aut uterq; maleficus imperat interemptorio loco, aut per congressum aut per radios quadrangulos oppositosúe: aut alteruter eorum amboúe Solem aut Lunam aut utrunq; luminare maleficio affecerint: ubi mortis quidem malitiam ab eorum congressu constitui putabimus.

Quatuor mortis genera intelligis, mitissimum cum quis absq; uiolentia & strepitu quasi naturaliter morbo aliquo decedit, de quo in superiore textu tractauit. Et ob

id dixit (Miti igitur hoc moriendi genere) non miti igitur moriendi genere, ut doceret, nos per (hoc) uerbũ quod in superiore textu de naturali quasi & miti morte egerat. Hoc igitur contingit cum Piothanati non superabuntur neque dominio nec radijs quadratis uel oppositis à contrarijs stellis maleficis, nec etiam luminaria ambo. Hoc uerò non ita percipitur sicut si intelligamus quot modis uiolẽta mors fiat. Hoc uerò nunc docebimus.

Secundum mortis genus est uiolentorum, primum cum uterq; maleficus uel Mercurius sub alterius uice imperat Piothanato primo illi aduersus & inimicus, aut iungitur illi aut eum quadrato uel opposito pulsat radio, hostili natura non amica, scilicet quod non sit dominus loci: Et tunc sit mors uiolenta, sed nõ publica tamen. Intellige non amica cum iungitur, non cum aspicit. Nam cum malefico aspectu respicit, etiam si dominetur loco, interficit crudeliter.

Tertium est uiolentum & publicum, cum malefica una ambo luminaria, uel Piothanatum & luminare, uel duæ maleficæ luminare unũ, uel singulæ singulũ, uel una malefica Piothanatum altera luminare pulsauerit: ut fiant quinque modi. Et cũ dico pulsauerit, intellígo uel quod dominetur nec aspiciat bono aspectu nec iuncta sit & quod eleuet̃ super eũ locũ quem pulsat: uel quod aspiciat ex quadrato uel opposito & sit superior. Ita ut tres conditiones in primo modo & duæ in secundo intelligantur generalium, quorum alteruter semper est necessarius unicuiq; ex quinque modis significantibus tertium mortis genus, quod est uiolentorum secundum.

Quartum genus, uiolentorum autem certum est cum corpora eorum exponuntur dilaceranda auibus & canibus, de quo dicemus in fine capituli. Et circa has tres ultimas mortis uiolentæ differentias obseruare oportet morem regionum & legum, in quibus mors contingit. In Gallia enim plerique exponuntur, in Italia nõ ita: Apud Germanos etiam, & Turcas crudeliora sunt mortis publicæ genera pro eisdemmet peccatis, quam apud Gallos aut Italos. Modi etiã alij alijs in locis occidendi: in Anglia, Gallia & Italia frequens laqueus, apud Germanos rota, apud Turcas palus. Sunt etiam conditiones hominum considerãdæ nam principes raro nisi securi percutiuntur, non laqueus, multo minus rota uel palus adhibetur. Miserorum hæc sunt supplicia, potius fortunæ quã sceleri debita. Namq; si ad scelera respicias, multi sunt Principes quibus si iure æquo res ageretur, non mille pali aut rotæ aut ignes sufficerent, & tamen uix etiam simplici morte mulctantur.

TEXTVS LXX.

Magnitudinem uerò à luminum testificatione. Genus uerò ab astrorum reliquorum intuitu & signis quæ à maleficis occupantur.

Luminaria faciunt, ut dixi, claras mortes & illustres, scilicet publicas & quæ in conuentibus hominum celebrantur: Et hæc est magnitudo, ut dixi.

Genus dicit (rursus) quia genera mortis mitis iam explicauerat ex astrorum reliquorum intuitu, scilicet ad Piothanatum uel locum luminaris uel maleficas alterutrum respicientes. Et similiter ex signis imò potius figuris tam intra zodiacum quam extra in quibus Piothanatos uel luminare malè affectum uel malè afficiens malefica inueniuntur. Et nota quod magis si in angulis extiterint maleficæ hoc faciunt, uel si luminaria uel Piothanati in cadentibus fuerint. Nam cum in cadentibus fuerint luminaria & Piothanati, facilius super ea maleficæ eleuantur. Cum uerò cadentes Planetæ ut in priore capitulo & maximè luminaria, moram in alienis regionibus nato significent, eo fit ut longe plures in aliena patria quam in propria morti publicæ exponantur.

TEXTVS LXXI.

Enimuero Saturnus Solem quadrangularibus radijs præter conditionem feriens, in fixis quidem à multitudine obrutos, aut strangulatos suffo-

suffocatos ue curat, ita si occidat Lunæq; succedat. In feralibus uerò signis, à feris interimendos, ac si Iupiter suffragetur & ipse maleficio imbutus, in locis publicis aut celebribus, interdum ad bestias damnatos. In occasu utriuis luminarium oppositus, in carceribus uitã finientes. Configuratus Mercurio, potissimè si id circa serpẽtes qui in sphæra sunt, aut terrestria signa cueniat, à morsu uenenatorum morientes, his uerò si Venus accedat ueneficijs & fœminarum dolis. Quod si in Virgine & Piscibus aut aquaticis signis Lunæ configuratur in aquis suffocandos, circa Argo nauem etiam naufragijs succumbentes. In tropicis Soli congrediens, aut oppositus, aut Marti uice Solis, à ruina oppressos, quod si cœli Medium obtineat, ab alto præcipitandos.

Ne quid intactum relinquamus tota hæc particula quæ ex his uerbis habet initium (uiolenta uerò atq; conspicua) transferri potest ut intelligamus Planetas qui eleuantur maleficos non super Piothanatum primum, id est, succedentem loco interficienti sed super ipsummet locum interficientem. Inter has expositiones quæ sit uerior exemplo præclaro 11 genituræ inferius edocebimus. Nunc ad textus interpretationem accedam.

Inquit igitur (præter conditionem) quia oportet interemptorio loco, id est, Piothanato infestum esse, hoc enim superius uisum est. Seu loco interficienti propriè qui sensus magis arridet, seu succedenti aut antecedenti. Proponit igitur 11 casus qui quasi per tabulam subijciuntur. Dixit de quadrangularibus radijs ut intelligamus de oppositis multo magis intelligendũ esse. De trigonis aut hexagonis nequaquam.

1 Saturnus Soli in fixis, lapidationem, strangulationem, aut suffocationem igne uel aqua.
2 Saturnus Soli in ferialibus, à feris dilaniandos.
3 Saturnus Soli cum Ioue imperante Anæretæ uel quadrato respiciens Saturnum, expositos publice feris.
4 Saturnus Soli aut Marti in tropicis iunctus aut oppositus, ruina opprimendos.
5 Saturnus Soli aut Marti in tropicis iunctus aut oppositus in cœli Medio, ab alto præcipitandos.
6 Saturnus Mercurio iunctus oppositus aut ex quadrato in serpentibus aut terrestribus, uenenatorum ictu.
7 Saturnus Mercurio ut dictum est & Veneri congrediens, ex ueneficio, & fœminarum dolis.
8 Saturnus occidens & Lunam sequens, Arabes legũt præcedens, suffocatos igne uel aqua.
9 Saturnus Lunæ in aqueis signis aut Virgine configuratus, aquis suffocandos.
10 Saturnus Lunæ in Argo configuratus, naufragio mergendos.
11 Saturnus in occidente seu Soli, seu Lunæ oppositus, mortẽ in carceribus nũtiat.

Nunc uerò subijcienda sunt quæ ad amplificationem prædictionis & textus pertinent. Nam uerisimile non est primum solum his modis uiolentam mortem Saturnum inferre, nec etiam omnes qui istis modis moriuntur sic necessario Saturnum habere collocatum. Tria igitur requiruntur ut Saturnus sic occidat, primum ut infestus sit loco mortis aut domino eius: Secundum ut sit in quadrato uel oppositio luminaris aut Mercurij saltem, ita tamen ut Mercurius sit dominus loci mortis. Tertium non est generale sed tamen ut plerunq; sit in occidente, uel angulo cœli Medij.

Obseruandum quod Saturnus maximè offendit in occidente, quia occidens habet nim Septentrionis ut uisum est: Et est frigidum & letiferum, & hæc est natura Saturni: ideò nullo in loco Saturnus tantum offendit quantum in occidente: Sicut nullo

in loco Mars quantum in Medio cœli: hic enim locus meridiei uicem gerit & est calidus & siccus & natura Martis similiter est calida & sicca ideò ibi furit Mars, & maximè quia est in sublimi. Ideò hac ratione pares est Iouis uim in oriente confirmari & quasi ibi Planetam illum gaudere.

Obseruandum etiam est cum dicit congressum intelligi debere coniunctionem, quadratũ, aut oppositionẽ, sicut exposui in sexto modo, ubi textus dicit (cõfiguratus Mercurio) pro eodem autem accipio congredi & configurari. Sed præter id intelligit quod sint etiã in intuentibus gradibus, nõ dico signis, aut imperãtibus, & obedientibus, & maximè quod Saturnus sit in imperãte, alius Planeta qui afficit in obediente. Et si non sit gradus exquisitus, sit ualdè propè, ut in septima genitura Saturnus aspicit Mercurium. Sed uterque est secũdum naturã loci mortis, qui est in libra.

Tertio diligenter aduertendũ, quod alia est ratio mortis naturalis, alia uiolẽtæ: in morte naturali sicut cõtingit ei qui famẽ patitur aut uenenũ iam sumpsit, ipsa perficitur statim ut causæ interimentes Aphetę occurrunt, cũ consensu tamẽ exitus annorum & reuolutionis stellarũ, ut superius habuimus. At in uiolenta morte cõtingit secus, sed fit ut in eo qui uult aliquẽ occidere, expectat centies occasionẽ, quæ cum euenit inuadit & occidit: & quãdoq; nõ occidit sed uulnerat tantũ, quãdoq; etiã ille effugit. In astrũ quod debet perimere uiolẽter, est paratũ in omnem occasionẽ, ideò infligit pericula & metus in eo genere sæpius, antequã occidat. Fuit paucis ante annis tabellio quidã, qui bis suffocationis periculũ incurrit, ubi cũ plures alij essent nemo periculũ subierat, tertiò post aliquot annos suffocatus est, ubi etiã multi transierãt, imò seruus suus ante eũ & absq; damno & periculo. Ita homo potest faciliter fati genus præsentire cũ uiderit pericula manifesta in eo genere & damna etiã. Caueat tamen quia idem significator multa genera mortis significat, quæ nobis uidentur ualde diuersa, & tamẽ inter se sunt affinia, ut strãgulatio, suffocatio in aquis, & à ruina. Item ruina & casus ab alto multũ differre uidentur, & tamen sunt affinia, sicut etiam cũ his ictus à machina procul. Similiter uenenum, morsus canis rabidi, & ueneficium inter se. Et item casus ab equo, & ab alto, & morsus canis inter se, non tamen casus ab alto & uenenum. Et ita oportet bene considerare affinitatem horum generum mortis, quæ etiam mutatur, ut dixi, iuxta reditus Planetarum & fines annorum.

Lib. 3. com. 44

Ex hoc patet quod illi qui dicunt si Saturnus fuerit in tali loco taliq; signo in opposito talis Planetæ, ut Albubathar & Hali Abenragel & alij Arabes, natus morietur ex tali uel tali morte, uel honores habebit aut diuitias, aut cõtumeliam patietur, nihil dicũt: quia oportet ut adsit radix, scilicet ut Planeta ille dominetur loco significanti talem rem de qua pronuntias.

Verum tamen est quod Saturnus in occidente, uel Mars in Medio cœli congrediens aliquo quinque modorum, aut eleuatus super luminare uel Planetam, adducit magna inconuenientia propter tres causas: Prima est quod uix fieri potest quod ille Planeta cui malefica congreditur, non habeat aliquod dominium, ut ita loquar, in illa genitura & ita inficit, & euertit quod ab illo significatur: Secunda quia in directionibus occurrit quandoque locus significator opposito loco uel quadrato talis Planetæ, & ita offenditur res significata per significatorem illum: Tertia quia Planetæ superuenientes & natiuitates filiorũ & parentum & talia ut uxoris, cum occurrunt, & potissimum inimicorum & amicorum, euertunt multa significata, & inducunt lites & discordias.

Amplificatio uerò contingit quia in primo modo etiam fiet capitis amputatio, quæ est loco suspensionis: Et ictus machinæ, & sagittis cõfigi, & in cruce poni olim, quæ consuetudo abolita est ob Seruatoris reuerentiam. In tertio modo cum abolitus sit hic mos Romanorum & Barbarorum & meritò non solum ob crudelitatem sed etiam quia non par est humanam naturam ferinæ subijci, etiam in damnatis. Sed loco eius erunt ultima supplicia lacerari à quatuor equis, qui mos adhuc in Gallia uiget: insui rotæ, ut apud Belgas & Germanos: infigi palo ut apud Turcas. In secundo modo est cadere ab equo, morderi à rabidis canibus & lupis, licet non dilacerentur.


tur. In quarto modo est etiam ictus machinæ, casus arboris, ut contigit fratri Petri martiris Publicani, & qui sub terra uiui sepeliuntur, & qui casu obruuntur. In quinto casus in foueam, ex equo, ex curru. In sexto acu pungi, ut multos sic uidi perire, uulnerari ense imbuto letali ueneno. In septimo comedere cicutam casu, uel apium Sardonicum amentes & lymphatici. In octauo cadere in puteum, in foueam, obrui cœno, obrui nimbis nocte superueniente, ut in fuga quandoq; contingit. Suffocari in domo nona, ex fumo carbonum, à nutrice. In nono proter uini etiam copiam hausti. In decimo in cymba, super ponte, in pugna nauali. In undecimo mori in carcere, pedore, & squalore, uel præcipitio, uel ueneno, uel inedia, uel in imo turris, uel ob tormenta, uel ob metum. In exilio proscriptum, relegatum, ad insulas desertas, uel in solitudine.

Amplificatio à causis est quod ille cui pater suspendio periit sufficiet, ut habeat Saturnum malè dispositum in occidente Solem aspicientem, etiam si non sit in signo fixo. Vel quod sit in signo fixo ibi & succedat Soli. Et ille qui habuerit Saturnum in quadrato Solis & Lunæ coniunctorum, licet non sit in occidente sed tamen sit gratia exempli in loco inimico utpote in Capricorno ubi Luna cadit, & Sol ac Luna in Ariete ubi cadit Saturnus, in carcere morietur. Sicut contigit Francisco Gadio, cui Saturnus in Capricorno fuit in sexta, & aspexit Solem & Lunam in nona coniunctos in Ariete. Iudicabis etiam ex fixis quandoq; loco maleficarum, cum fuerint naturæ earum & ualde magnæ, scilicet à prima magnitudine usq; ad tertiam.

Ideò dico quod oportet considerare cõditionem nati, quia ut dixi magni uiri haud facile supplicijs horrendis plectuntur, & plerunq; ueneno uel occultè in carcere, uel ad summum capitis amputatione. Considera etiam locum in quo morietur, & genera supplicíorum consueta illi ciuitati aut regioni, & mores etiam nati, & ita satis prope rem iudicabis.

Vt autem melius rem intelligas de morte uiolenta quæ decernitur à Saturno, & est communior scilicet suffocatio ab aquis, apposui genituram certam Leonarthi Casanati Besuntini fratris eius cuius est nona genitura exemplaris in fine libri posita. Fuit autem nobilis filius medici egregij Ioannis Casanati Hispani, & ut dixi, frater

Suffocati aqua natando



Motus latitud.

♄	Stans	M	D	2	18
♃	Vel.	S	A	0	53
♂	Tar.	M	A	5	52
☉	Tar.				
♀	Tardiſ.	M	A	5	15
☿	Retr.	M	A	3	34
☾	Med.	M	D	4	42

mei

medici Guglielmi Casanati. Igitur in fine anni 29 cum esset extra patriam natando uoluptatis tãtum causa, interijt. Causa mortis est quoniam solus horoscopus fuit Apheta, & erat quadratus radius Saturni sub Ioue infelici: Et eo anno peruenit ad horoscopũ in Virgine quæ ut uidisti in textu submersionem significat, ut etiam in tertio Ptolemæi exemplo: Mercurius igitur fuit dominus primi Piothanati, id est, secundæ partis Virginis & secundi, id est, loci Iouis. Fuit igitur Iupiter infelix cadens ab altitudine & combustus, & Mercurius dominus locorum mortis in sextili Lunæ ex signis longarum ascensionum, & Saturnus in prima statione ubi plurimum mali infert. Stans enim Planeta multa mala facit & nunquã cessat impedimenta afferre, cursu auctus magna. Sol quoq; fuit cum Cauda Leonis stella procellosa. Finis anni præcedentis mortem, habuit Saturnum 28.45 ♐ Iouẽ 7.12 ♓ Martem 18.19 ♍ Venerem 16.54 ♌ Mercurium 5.12 ♎ Lunam 25.42 ♒ Sol in loco genituræ, Caput draconis erat in 23.11.♏. Iupiter igitur ad oppositũ loci proprij peruenerat, & ascendens ad 13 partem ♐ ubi Saturnus erat. Animaduertendum est etiam quod in genitura Mars, Venus, Mercurius & Luna magnã & ferè eandem habuerãt latitudinem meridionalem. Hora autem qua mortuus est inter sextam & septimam à meridie diei 15 Iulij extra patriam. Planetarum loca: Saturnus 12.7 ♑. Iupiter 19.51 ♈. Mars 6.18 ♉. Sol 2.15 ♌. Venus 16.52 ♍. Mercurius 3.18 ♌. Luna 6.50 ♐. Caput 6.19 ♏. Saturnus igitur fuit in loco processus Solis eo anno. Et Sol iunctus Mercurio domino loci interficientis. Et Luna iuxta oppositum Saturni radicis. Ex quo patet ueritas dictorum Ptolemæi, sed oportet ut altissimè eruantur.

TEXTVS LXXII.

Martis uerò stella Soli præter conditionem aut Lunæ infensa tetragonis oppositisúe radijs, in signis humanæ figuræ in seditionibus aut bellis interficiendos tradit, aut sibi ipsi qui manus inferant: fœminarum uerò opera interimendos quando Venus illi testificatur. Quando uerò Mercurius, à piratis aut latronibus, aut maleficis hominibus. In mutilatis & imperfectis signis, aut circa caput Meduſę, decollandos aut mutilandos. In Scorpione & Centauro ustionibus sectionibúsue, aut medicorum reuulsionibus è uita decessuros significant. In cœli Medio imoúe crucibus affigendos maxime circa Cepheum & Andromedam. In occasu horoscopo oppositus uiuos comburendos: in quadrupedibus uerò ruina aut distractione uitam cum morte commutantes. Quod si & hic Iupiter testificetur simul prauitatem indutus, illustri rursus mortis genere decedunt, condemnatione nimirum & ira principum ac regum.

In hac parte ponit nouem status à Marte quos illustrioris doctrinæ gratia hic subijcio.

1 Mars Soli uel Lunæ tetragonis aut oppositis radijs configuratus in signis humanis, seditione, belloúe, aut propria manu.

2 Mars alterutri eorum ut supra in humanis cum testimonio Veneris, fœminarum causa occidendos.

3 Mars ut supra in humanis cum Mercurij testimonio, à latronibus, uel piratis, uel maleficis.

4 Mars ut supra in mutilatis ut iuxta caput Meduſæ, mutilandos aut capite plectendos.


5 Mars ut supra in Scorpione uel Sagittaro ustionibus, sectionibus aut medicorum reuulsionibus.

6 Mars ut supra in cœli Medio uel imo crucibus affigendos, maximè circa Cepheum & Andromedam.

Mars

7 Mars ut supra in occasu,uiuos comburendos.
8 Mars ut supra in occasu,in quadrupedibus distractos,aut ruina oppressos.
9 Mars ut supra si ei malè dispositus Iupiter testificetur, illustri mortis genere perituros denuntiat,ob iram Principis,aut Regis.

Vsq; ad quartũ modum præsupponitur quod Mars sit in signo humano: & causa effectuum cũ à similitudine sumpta sit clara est.In quinto Scorpius & Sagittarius sunt signa sicca & autumnalia & malefica. Medicorũ quædam salutis causa parant, quæ tamẽ malè cedente auxilio,pernitiẽ afferunt. Nero etiã medicos uocabat qui secarent uenas,ut perirent.In sexto modo crux & suspendiũ è sublimi fiũt,ob id Mars in cœli Medio & imo hęc significat,ut & rotarũ supplicium,quod damnati suspensis rotis in aẽre pendeant.Et supplicium Turcarũ quod fit cũ ferreis uncinis quibus pendent damnati in aẽre. In septimo existimarem non simpliciter in occasu,sed in Scorpione uel Sagittario,gratia exempli,nã & in Leone.Non enim sine signorũ discrimine exquisita supplicia significari possunt,cũ hæc inquisitio sit artificiosa. In octauo clara est ratio distractionis cũ ab equis qui inter quadrupedes numerant fieri soleat. Sed de ruina causa est,quia quadrupedia, ut dixi, terrestria etiam uocant quod terrę incumbant,ruina uerò est terrenorum ut lapidum & cementorũ.In quocunq; autem modo si Iouis testimonium iũgatur, ut quod sit simul dominus cum Marte,uel quod Marti configuretur, uel sit in eodem positionis circulo, significat mortem obiram Principis aut Regis quæ semper est illustris ob mandatum Regis uel Principis,plerunq; etiam crudelis. Horum causa genituram subiicio quam habui à præclaro uiro Gemma Phrysione dico & mathematico egregio,dum Louanij essem.



		Motus latitud.			
♄	Vel.	S	D	2	6
♃	Retr.	M	D	0	15
♂	Vel.	M	A	1	35
☉	Tar.				
♀	Med.	M	A	2	37
☿	Retr.	M	D	3	47
☾	Tar.	M	A	1	47

Hic de hæresi accusatus iuxta annũ 1537 eripuit se periculo,& exulauit.Postmodum anno 1547 obiecit se apparitoribus sponte,unde captus & morti adiudicatus, dum uiuus cremaretur,constans perstitit.

Constat quod Sol erat significator uitæ, etiam quod fuisset in nona uel procul ab initio decimæ,& quod in annis 37 peruenit corpus Saturni inimici Soli,quia erat in oppositio altitudinis eius,ad Solẽ.Et quod Saturno Anæretæ succedebant radij quadrati Iouis infelicis in Capricorno.Et quod Luna erat infelix in 12 loco & in Libra: Et quod Solem aspexit Mars de quadrato ex propria domo & in angulo,& domus

erat signum fixum & alienum à Sole. Et fuit cum Marte nodus qui significat dilaceratione corporis, ideò necessarium erat ut occursus Saturni interficeret. Occasio autem fuit ex rebus legis, propter Saturnum. Et Mars fuit iuxta tres stellas lucidas, frontis Scorpij locum regalem, & cum aliqua earum etiam in imo circulo positionis, & sunt de natura Martis & parum Saturni.

Ex quo patet quod Ptolemæi sententia est uera, nã Mars est in Scorpione & Scorpio significat combustionem. Et tamen oportet intelligere rem subtiliter, nã Mars hic non est in occidente, nec damnat Pthanatum: & ita uidet quod desint duę conditiones, & tamen sit cõbustus uiuus. Ideò, ut dixi, oportet animaduertere, quod Ptolemæus docuit, & in sequenti capite docebit, quod oporret ipsam artem perfectè cognoscere. Et istud non potest doceri, nisi ei qui diu & efficaci studio in libro suo uersatus fuerit. Nam loco harum duarum conditionum deficientium, sunt aliæ quinque quæ non erant necessariæ, & tamen augent effectum. Prima Luna in 12 loco, quæ significat malam famam & multos hostes gratuitos, infelix in signo masculino, & finibus Martis. Secunda Iupiter retrogradus, & cadens ab altitudine, quadrato radio Saturnum Anæretam malè afficiens. Hic indicabat iudices infensos. Tertia erat locus Solis in Leone & cœli culmine, quod significat magnas calamitates ut aliâs docuimus, & Leo significat ignem. Quarta tres stellæ regiæ iuxta Martem ex illius natura, quæ significabant uiuum comburendum. Quinta erat nodus cum Marte male affecto, qui significat diros cruciatus, & lacerandum corpus illius.

Dico igitur quod obseruaui nodos cum maleficis, & propriè cum Marte ubi ipse sit significator mortis, uel alius cum quo sit nodus, mortem cum laceratione membrorum significare. Et similiter cum luminaribus. Ob hæc igitur quæcunque dicta
Lib. 3. cap. 14. sunt de uitijs & morbis corporis superius, huc transferenda sunt. Ita tamen ut cum conditionibus propositis intelligantur.

TEXTVS LXXIII.

Coniuncti uerò mutuo malefici atque ita oppositi in aliqua dictarum constitutionum, plus faciunt ad mortis malitiam, quæ cuiusmodi potissimum euasura sit ex principe interemptorij loci gubernatore cognoscitur multis concurrentibus & in genere & in magnitudine acerbitatis; quando uterque ad interfectoria loca rationem aliquam habet. Tales uerò etiam sepultura orbati deseruntur, absumuntur autem à feris aut auibus, quando in signis eiusmodi figurarum malefici reperiuntur, nec ullus beneficus supra terram existit, qui interemptricibus locis occurrat,

Virtus geminata multo plus habet roboris. Malefici igitur iuncti & luminare ac Anæretam oppugnantes duplicatis uiribus agunt: Ob id magnitudo hęc cũ sit conspicua nec tamẽ facile homo multis mortis generibus possit mori, reliquũ est ut qualitatẽ mortis in hoc casu ex domino loci interemptorij præuideamus. Nã tria Ptolemæus præsupponit, interemptorem qui radijs uel corpore Aphetæ aduersatur, & hic iuxta directionẽ tempus mortis ostendit. Oppugnantẽ locum interemptorium maleficam & hæc seu hæ si ambę sint ut hic supponitur, ostendunt quod uiolenta mors futura sit, & dominum loci interimentis qui quasi iudex declarat qualitatem mortis quæ potius pertinebat ad maleficã si una tantum extitisset, quę locum Anæretæ locã oppugnaret. Hoc autẽ dicit tantum uerum est cum maleficæ non solum plures fuerint quæ oppugnent locum mortis, sed etiam uiribus pares. Aliter mors erit iuxta decretum superioris uí maleficæ. Tales igitur ob magnitudinem prauí influxus, deseruntur in patibulis, si nulla benefica supra terram auxilietur, nam tunc auferuntur post tempus & sepulturæ tradentur. Quod si benefica non adsit, & maleficæ fuerint in signis quadrupedum uel auium, deuorabuntur corpora à similibus animalibus.

Pari

Pari ratione si in Piscium signis & mors ex naufragio absq; benefica supra terram aspiciente, à Piscibus deuorabitur.

TEXTVS LXXIIII.

Peregrę moriuntur quorum interemptricia loca occupantes Planetę ab angulis deciderint. Maximè cum Luna etiam accurrit, aut tetragonis oppositisúe radijs dicta loca intuetur.

De morte tria quęruntur, tempus & hoc habetur in capite de uita: Qualitas, & hęc in hoc capite superius edocta est: Et locus, qui in præsenti textu docet. Dicit igitur quòd hi moriuntur in aliena patria quorũ Planetæ succedẽtes loco Anæretæ, uel domini secundi Piothanati fuerint in cadentibus locis. Et maximè cũ locum Anæretę & Piothanati Luna occupauerit quadratis aut oppositis radijs. Circa quod notandum quod ego in hoc toto capite per Anæretam non Planetam interficientem intelligo, sed locum in quo radij interficientes cadũt. Gratia exempli si locus mortis fuerit mihi decima pars Cancri, in quam cadunt radij trigoni Lunæ & quadrati Solis & intuitus Saturni, tũc hic nõ appellabo Anæretã Saturnũ aut Solem, sed uoco Anæretã decimã partẽ Cãcri. Et ubi extenderet ad initium Leonis ubi sunt radij quadrati Iouis, nõ uoco hic ut superius in Capite de uita Anæretam Iouẽ sed Leonis initium. Lib. 9. cap. 14.

Demonstratio uerò huius textus sic habetur: quo tempore Anæreta peruenit ad Aphetã homo morit: Quo tempore luminaria uel Sors uel ascendens occupantur à Planetis ab angulo decidentibus ut in prędcedẽti capite, homo extra patriam moratur: Sed in quibus Planetæ ab angulis decidẽtes occupãt loca interẽptoria, in his eodem tempore locus interemptorius ad Aphetã peruenit, & Planeta ab angulo decidẽs ad principalem significatorem, igitur quo tempore moritur, eodem tempore erit extra patriam. Et ita extra patriã morietur. Significat & Planeta occupans locum interemptorium, locum mortis. Qui cum ab angulo decidat, significat forè extra patriam.

Sed ut diligentius res habeatur, innuit Ptolemæus quod debeas præfinire primo tempus mortis. Quo habito uide eo tempore significatores itineris si indicent iter: si non, morietur in patria: Si sic, uide ad quam regionẽ erit iter, & quam diuturnum, & coniectabis tamen ex arte tum ex locis qui sunt in eo itinere celebrioribus et etiam iuxta statum seu existimationem hominis ubi inuenietur ea hora, & habebis locum mortis. Inde considera an mors erit naturalis, an uiolenta tantum, an etiam publica. Si naturalis, poterit mori in uilla & in urbe, sed hoc significãt testimonia luminarium cum loco interemptorio: nam si affuerint, morietur in urbe, & si sint Solis erit mors in metropoli regionis, quia erit cum funere splendido, & hoc non potest ita bene fieri in parua urbe, ut in principali, & multo minus in uilla. Si uerò fuerint signa mortis uiolentæ, non tamen publicæ, erit mors in itinere aut uilla, non in urbe, quia nõ tam facile absq; mãdato publico homines in urbibus uexantur, sicut extra à latronibus. Considerabis etiam si sit iter per aquas, naufragio peribit. Quòd si luminarium testimonium adsit, erit à piratis. Si uerò sit mors publica decreta, considera causam & mores hominis, & genera supplicij cõsueta illi regioni, & coniectaberis qua morte sit periturus. Hęc nõ tam subieci propter hoc quod hic tractat, sed ut sit exemplum in omnibus quæ prædicere cupis, ut de magistratu, contentione, itinere, & talibus.

Secundo ut intelligas quod nulla est uia prædicendi præter hanc quã hic tradidit Ptolemæus. Et quod illi qui conantur redigere prædictiones ad capita, ut Arabes, Firmicus, & Pontanus, & alij recentiores facilitati studentes, agunt uelut si quis uolens domũ ędificare omnia tigna in uno loco per ordinem disponat, alio tabulas omnes, alio totã calcẽ, alo sabulũ, alio lapides, & alio clauos & uincula ferrea, alio tegulas, tunc is uidebit sanè pulchrã rem fecisse et ordinẽ seruasse, ille tamẽ ad domum ędificandã nihil prorsus: Ita qui describũt, Saturnus in tali loco hoc significat, & Iupiter hoc aliud, nihil ad prędictionẽ conferũt, sed omnia sunt uana: Sed oportet scire radicẽ cõmixtionis omniũ, tempus, modũ, ordinem, locũ: ita oportet scire commiscere significata in singulis. Saturnus enim in Ariete in ascendente quãdoq; significabit

cabit ſtatũ corporis, quãdoq; animi mores, & quãdoq; uitæ ſpatiũ, quãdoq; fortunã, quãdoq; amicos, ſtatũ uxoris, dignitatis, filiorum, qualitatẽ mortis, peregrinationes &c. Et ſi quis dixerit ego ordinaui tabulas inter ſe, & clauos ac uectes, lapides & reliqua, & nõ facta eſt domus, igit̃ ars cõſtruendæ domus nulla eſt? nonne prorſus ridebitur non ſolũ ab ædificatore ſed etiã ab ipſo uulgo, ita ſi tu dicas libri Aſtrologorũ paſsim mẽtiuntur dicentes, quod ſi Saturnus fuerit aut Iupiter in tali ſigno, aſpectu, domo &c. nato talia uel talia contingent, cum quãdoq; cõtingant quandoq; nõ, igitur ars prædicendi per aſtra uana eſt? Non'ne & tu dignus es riſu ſicut & prior?

At dices hæc uia eſt ualde difficilis? Quid miraris ô bone uir: hic eſt enim liber Dei optimi maximiq;, ſcilicet cœlũ: Et eſt ſicut liber minutiſsimis ſcriptus literis, in quo aliqui aliqua legũt ut Ptolemæus & nos, qui illum interpretari ſimus ad unguẽ ne uel una ſyllaba præterita, aliqui parũ ualde, alij etiã minus, quidã minimũ & plurimi nihil. Vel quia ſeducuntur ſtudio deſiderij, uel quia non ſunt periti in philoſophia, uel quia carent iudicio profundo, uel quia non ſciunt principia theoricæ aſtrologiæ, motus, & magnitudines, ſitum &c. uel quia non ſunt ſtudioſi in hoc libro quantum oportet, uel quia non plenè illi adhibent fidẽ, aut quia decepti ſunt à genitura falſa, aut quia etiã in uera non omnia contingunt ſicut prædicebatur. Quia ut bene dixit Auerroës, contingunt monſtra in omni arte, uel quia nõ ſunt experti longa exercitatione circa minutiora & propria ſuæ regioni. Quæ cum parua ſint, uidentur tamen hominem in magnos errores inducere. Cum hic tradãtur ſolum generalia omnibus regionibus. Perſea uenenũ eſt in propria regione, in Aegypto ſuauis eſt & tutò manditur. Ita una ſtella oriens Mediolani ex inerrantibus habebit effectum quendam mirabilem, quem non habebit dum oritur in Germania. Vel quia non exquiſitè ſuppu tare norunt, aut utuntur inſtrumentis non exactis, uel carẽt illis. Ergo horum neceſſariorum, quæ ſunt nouem, nihil deeſſe oportet.

Vt autem unum pro omnibus ſufficiat exemplum, dixit Pontanus Firmicum ſequutus, Grãmaticus Grammaticũ, & imperitus artis imperitiorẽ: Dominus genituræ eſt dominus ſigni ſuccedentis loco Lunæ ſeu ſigno in quo Luna eſt dũ homo naſcitur, quod ita perabſurdũ eſt, (licet conetur friuola transplãtationis ſimilitudine, cõfirmare,) ut nihil poſsit eſſe abſurdius. Et quamuis uideatur habere quædã Ptolemæi dicta ut in Capite de Particulari tempeſtatum cõſideratione, ubi dicit obſeruandũ eſſe tempus poſt tres dies: Videtur enim innuere quod Luna tunc ſit in ſequenti ſigno: Et in capite de forma nati ubi dicit ſuccedẽtes orientali parti & etiam Lunæ errones obſeruandos: Et in capite de amicis ubi docet obſeruandum ſignum ſequens. Sed hæc omnia nos expoſuimus quomodo ſint intelligenda, & quod ad Lunæ ſignũ ſequẽs non pertinent. Oſtendo igitur quod opinio illa eſt falſa, mala, impudens: Nam cũ homo habeat mutationem manifeſtã in ortu, oportet ut uis ſit in ſigno in quo eſt Luna, aliter eſſet principiũ à tempore in quo non eſt aliqua mutatio. Deinde nõ conuenit quod Luna faciat duos oppoſitos effectus: ut mihi cui Luna eſt in Piſcibus huic ſuccedit Aries cõtrariæ naturæ cõparatione dominorũ. Et ille cui Luna eſt in Geminis ſigno calido humido humano, inde ſuccedit Cancer ſignũ mutũ ſiccum & ab humanitate alienũ. Et ego eſſem naturę Martis, cum nihil minus. Ira uerò eſt quia Luna eſt in trigono Martis, & in eius quadratò. Adeò quod ſi regula illa eſſet uera, neceſſariũ foret, ut eſſem totus ex natura Martis. Rurſus uis illa in genitura eſt actu uel potentia: Si actu, eſſet Luna in ſigno ſequẽti: ſi potentia, magis eſſet cõcors quilibet ſignum cum ſequente quam cũ tertio uel quinto ſigno, uel quarto, uel ſeptimo, quod eſt contra omnem rationem naturalem.

Itaq; ob talia reiciemus omnino librũ centiloquij attributũ falſò Ptolemæo, cum diſſideat adeò ab illius ſentẽtia, ut nihil magis. Primo facit ſcientiã naturalem ſortilegam, dũ interrogationibus ſubſcribit. Deinde regulas facit abſolutas, quas omnino uitat Ptolemæus: Et eſt ac ſi faceret tabulas ſimplices pro motu Planetarũ, cum neceſſe ſit illũ haberi ex medio motu, & æquatione quæ prouenit iuxta quantitatem uocati cẽtri, eo quod ad illud omnia referũtur. Et etiã quia ſumit̃ ex Apogeo, ut circulus

culus ex centro: Et Apogeum etiam uariatur. Præterea habet singularia multa repugnantia his quæ dixit in his libris, imò ferè omnia. Ideò manifestũ est quod liber non est Ptolemæi, sed alicuius qui quæsiuit lucrum esurientibus astrologis, cum infamia & ruina totius artis. Repugnat legi Christianę, repugnat bonis moribus, nihil habet cõueniens cũ doctrina Ptolemęi. Et quid mea retulisset si fuisset utilis arti saltẽ, quãuis etiã nõ fuisset Ptolemæi, quin illũ exposuissem, cum uix sit 18. pars huius libri? Quarè dico cauendũ esse ab omnibus alijs libris, nisi quis uelit legere commentaria Hali, & Firmicũ ob linguæ candorẽ, & memoriã uetustatis. Sed tamen nunquã recedat ab hac profunditate sentẽtię Ptolemęi: alter seipsum & totam artem uituperabit.

Vt uerò ad rem de morte reuertar: qui moriuntur ex morbo cõtracto, ex casu equi, ut Galeaz Capra, & qui ex timore & similibus causis, habent maleficas ut in morte uiolenta dominãtes succedenti loco aut aspicientes &c. Sed procul: ideò talis mors est media inter naturalem & uiolentã. Qui etiã moriuntur ex medici errore, moriuntur ex occulta uiolenta morte, & ideò absq; luminariũ testimonio. Cognoscit mors naturalis & quæ ab interemptorio loco solum procedit, quia tales subito prostrantur, nec uidetur aliquid prodesse, sed recta ad mortem tendunt. Vbi quãdam uideris luctam, tunc est ex genere uiolentæ mortis, uel propter errorem ægri, uel medici, uel astantium, uel epotum uenenum, uel timorem magnum cõceptum, uel collisionem, & talia. Hi igitur qui quasi recta moriunt, & cadit uirtus statim, & nullum auxiliũ iuuat, & subito grauantur, sunt quibus Apheta est debilis, & in loco alieno à natura sua, absq; testimonio beneficæ uel maleficæ in loco interemptorio, sed solum succedit aut antecedit. Si uerò Apheta ualidus fuerit, aut successerit malefica cõtrarię qualitatis, fit mors difficilis uel uiolenta.

Si uerò luminaria testificentur absque maleficis loco qualitatis mortis, erit mors splendida, naturalis. Naturalis igitur quietæ & splendidæ habes duo exempla pulchertima ab Erasmo, in dialogo cui titulus est Funus.

Caput undecimum.

TEXTVS LXXV.

De temporum diuisione.



Narrata à nobis summatim in singulis generibus contẽplandi ratione, ad eas usq; tantum quę sicut in initio proposuimus uniuersalium partium sunt tractationes. Reliquum sanè fuerit ad eundem modum, quæ etiam in temporibus distinguendis uidere oportet, adijcere, idq; & naturæ consentaneæ, & nostræ particulari quam proposuimus explicationi.

Hoc caput est perfectio artis, & utilissima ac præstantissima totius operis pars. Si enim cognouero me futurũ diuitem, inde pauperem, hoc est infelicissimũ: Si post paupertatem, diuitem, felicissimum: si semper diuitem mediocre. Igitur cognoscere me futurum diuitem nihil est, nisi cognoscam tempus quando ero. Et ita de morte atque alijs. In eo igitur declarat primum unum generale, quod est.

TEXTVS LXXVI.

Omnino igitur in uniuersis geniturarũ capitibus propositũ nobis est prius quoddam & antiquius, ueluti Fatum, aut ipsi regioni peculiare, cui reliqua quæ in genituris singulatim explorant subiacere oportet; quemadmodum quæ ad corporis formam & animorum constitutiones attinent, morum item & consuetudinũ dissidentia. Itaq; par est naturæ obsequẽtem iudicem primas ubiq; potioresq; causas comprehendere, ut ne

quemadmodum in genituris præfari solent Æthiopem, uerbi gratia, candidum aut leuibus capillis: Germanum uerò aut Gallum nigrũ faciat & crispum. Aut hos quidem mites & literarum artiumúe studiosos, Græcos uerò immanes & ineruditos, neúe contra mores ac leges Italo decernat sororis matrimoniũ, cum hoc apud Ægyptios, aut Ægyptio matris, cùm apud Persas fas sit. Prorsus igitur pr(ponere oportet uniuersalis Fati rationem, deinde singula aucta minutaúe accommodare.

Quod proposuerat in præcedenti textu nunc docet, scilicet ut naturæ rerũ, id est, rebus ipsis quæ natura constant, consuetudine, legibus, accommodata doceat. Simul etiam particulari rerum explicationi, id est, ut hoc caput omnibus alijs inseruiat: Doceatq; quando uxorem ducet, quando amicitias iniet, quando suscipiet filios, itinera aget, atq; ita de alijs omnibus. Quare hoc agat est manifestum, docuimusq; antea. Sed cur cõsentanea naturæ uidet̃ frustra repetere, nam hoc superius in primo libro
Tex.17. declarauit: Nec decet in tanta breuitate præter solitum quicquam repetere. Id igitur non solum utiliter sed etiã necessario factũ est. Cum enim singularia nõ sint nisi moderatio generalium, ut usum est, ita dicit diuisiones temporũ polliceri nequeũt quod in genesi non promittitur. Hoc docuit quia plerunq; necessarium esset in multis annorum circuitibus & multis genituris quædam magnifica contingere, quibus elati magna prædicamus, quæ tamen non euenient. Monet igit̃ nos omnia tã mala quam bona ad genesim esse referenda. Cuius exemplum præclarum habebis in nostra genesi, ubi directiones & reuolutiones egregiæ admodum, quod in alijs maximũ decreuissent, mihi etiam maximum pro genituræ qualitate, præstiterunt. Ita contraria ratione in magnifica genesi aut infelicissima, minima quęq; magnos effectus, iuxta rationem genituræ, pariunt. Secunda causa est propter superuenientes constitutiones generales belli, pestis, naufragij: in quibus homo malum experietur, quo tempore bonum expectabat, iuxta diuisionem temporum. Tertiam causam (quia alias duas superius explicauerat in secundo & tertio libro) subnectit.

TEXTVS LXXVII.

Ita quoq; in temporibus partiendis ætatũ, in unoquoq; decreto quid cuiq; conueniat prima ratio habenda est, ne ex uulgari & simplici exploratione per insciti㠠prædicamus puero nuptias, uirilesúe operationes, & decrepito seni liberorũ procreationem, aut hisce iuueniliora: Sed in uniuersum quæ de temporum partitione tradentur prout ætas postulare ui debitur, interpretabimur.

Hæc est tertia causa erroris quã ponit Ptolemæus, & est propria diuisionibus temporũ, ut nõ prędicamus nisi cõsentanea ætatibus. Ergo in uniuersum tribus modis in diuisionibus tẽporum aberramus iudicãdo, uel quãdo res nõ conuenit ætati, uel genituræ, uel casui seu generali cõstellationi. In omnibus tamẽ cũ fuerit significatum hoc ualde potẽs, eueniet aliquid aut umbra talis rei: adeò quòd in quibusdam casibus cũ reuolutiones bonę multę sibi succedũt, & inuicẽ consentientes, in rebus fortunę multũ faciũt, ut in diuitijs, honoribus, & amicis. In lædendo etiã bonã ualetudinem: non tamen possunt in rebus animi uel corporis magnam mutationem facere.

Quod si res non bene cedant (Inquit Hali) cum illud præuideris ex syderibus, poteris æquius tollerare, & promissa etiam augere: & ita in utroq; casu non parũ iuuat præscire futura quo tempore uentura sint. Et quicunq;, dicit, magis est studiosus ueritatis quam diuitiarum aut honoris, poterit magnum fructum ex tali scientia colligere, & etiam res in melius mutare.

In uniuersum igitur oportet considerare constitutiones generales, ueluti si quis iturus sit ad bellum ex diuisione: Et bellum futurum sit exitiale ualde, ex minima occasione

casione iudicabimus quod moriatur in illa expeditione. Et similiter transituri gratia exempli ex Gallia in Angliam tempore tempestatis suffocant ob tempestatem, quæ est generalis clades in certa parte maris, si plures naues submergãtur. Et quæ euadũt, euadunt ob constitutionem nauis & naucleri bonam. Sed si contingat casu illam nauim tantum perire multis euadentibus, tũc hoc erit ex praua constitutione nauis & gubernatoris eius, non ex calamitate uniuersali.

TEXTVS LXXVIII.

Est enim accessus unus, idemq; in omnibus ad ea quæ pro tẽporis uicissitudine unius cuiusq; naturæ humanæ conueniunt, qui ex similitudine & ordine accipitur septem stellarũ errãtium, initio sumpto à prima ætate & à uicinissimo nobis orbe, nimirũ Lunæ, ut extrema in ultimum desinant quẽ Saturni nominamus. Ac re uera naturam respondentis sibi erronis, affectionẽq; unaquaq; ætas refert, quæ obseruare cõuenit, ut inde summariã temporũ cõstitutionem colligamus ac singularia deinceps discrimina ex geniturarum peculiaribus decretis, inueniamus.

Quatuor diuisiones temporis uitæ humanæ in hoc capite proponit: primam in septem ætates quæ in præsenti textu initium habet. Secundam per directiones quæ fit in partes finibus correspondẽtes cuius initium est ibi (Sint igitur) Tertia per annos & menses ac dies ex signorũ commutationibus ibi (Annuos uerò reijcientes) Quarta in partes instabiles magnitudine & initio per ingressus Planetarũ in præcipua loca: Eius initium est ibi (Respiciendum etiam)

Dicit igitẽ pro hac prima parte, quod diuisio per septem ætates in omnibus hominibus est eadem ad unguem, nec penes illam inter homines est aliquod discrimen: omnibus enim hominibus primi quatuor anni Lunæ dedicantur, & decem proximi sequentes Mercurio, & octo succedentes Veneri: Et ita de alijs. Deinde dicit quod seruatur ordo in astris qui & in ętatibus, quia primo occurrit Luna, inde Mercurius, post Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus. Demum adijcit quod unaquæq; ætas habet conuenientia Planetæ dominanti: ut primi quatuor anni Lunæ significata retinent, abundantiam humidi, subita incrementa, uariam & inconstantem ualetudinem, & ita de reliquis Planetis ætates gubernantibus.

In quolibet igitur Planeta ætatem gubernantes, illa duo ultima explicat: scilicet quòd ordo eius est ascendendo uelut ordo ætatis sibi correspondentis. Et quod natura ætatis conuenit naturæ Planetæ ætatẽ gubernantis. Additur ultimo causa numeri annorũ. Scilicet cur Luna regat quatuor annis, Mercurius decem, Venus octo: Et ita de alijs. Et semper hæc causa sumitur à tempore motus Planetæ, uel in paruo circulo, uel in eccentrico, uel in elongatione à Luna. Et inquit.

TEXTVS LXXIX.

Nam ad primores ferè quatuor annos pro sui quadriennij numero, infantilem ætatem Luna gubernãs efficit in illa corpusculi humiditatem & imbecillitatem, itemq; subita incrementa, alimoniæ liquiditatem, ualetudinis inconstantiã, & in mente inchoata & inemendata omnia, quę singula respondent ijs, quæ Lunares effectiones censentur.

Proximũ decennium quo puerilis ætas comprehenditur, moderatur qui proximum Lunæ orbem obtinet, Mercurius, pro uiginti annorum suorum dimidiato numero, incipit animum ad intelligentiã, rationemq; componere, ac ueluti fingere, disciplinarumq; semina & elementa inferere, mo-

re,mo-

ATENEO VENETO VENEZIA

re, morum ſtudiorumq; peculiares conditiones patefacere, animosq; è doctrina & inſtitutione primisq; exercitijs excitare.

Veneris uerò ſtella adoleſcentẽ tertiãq; ætatem ſortita ſequenti octennio, quod illi iuxta circuitus ſui ſpatium tribuitur, ſeminales meatus mouere incipit ac implere & ad uenereos cõgreſſus ſtimulare, quo maxime tempore inſania quadam & intemperantia agitantur, miſeroq; cupidine efferueſcunt, & in errore ac cæcitate apertis etiam oculis uerſantur.

Quartã ætatem & mediam iuuenilem uidelicet gubernãs, medij orbis dominus Sol, annis undeuiginti, dominium ſuiq; iuris uſum animo cõcedit, rei etiam familiaris & exiſtimationis cupiditatẽ inijcit, ut & uitæ ſuæ modum habere deſyderet & puerili uanitate & inconſtantia, peccatisq; amotis, ſeſe ad iuris, pudoris & honeſtatis amorem recipere.

Poſt Solem Mars uirilem ætatẽ ſibi uendicat, quintus ſcilicet, pro circuitus ſui ſpatio annis quinq; & decẽ, hic uitæ triſtitiã & malitiam addu cit, curis ac doloribus animũ ſimul & corpus afficit, ſenſum nimirũ iam inſtillans & cogitationẽ ætatis defloreſcentis & inſtigãs ad memorabile aliquod inceptorũ operum ante obitum laborioſe perficiendum.

Iupiter deinceps ſenilẽ ætatẽ nactus, iuxta peculiarẽ circuitus rationem annis duodecim laborioſum illud & turbulentũ ac periculis expoſitum uiuendi genus declinare paulatim iubet, & decentius officioſius, quietiusq; capeſſere. Amplius nihil præcipitanter agere, alios admonere & conſolari, honoris tunc maximè & laudis & liberalitatis ſtudioſus eſſe cum pudore & grauitate.

Extrema uerò Saturni ſtella extremã & confectã ætatẽ ſortita eſt uſq; ad id quod ſupereſt uitæ cum refrixerint ac impeditæ ſunt corporis animiq; motiones ac uires, & in concitationibus cupiditatibus & uoluptatibus natura languida, neruis deſtituitur, uita iam conuulſa miſera & infirma expoſita offenſis, & ad omnes moroſa promotus ac uiriũ ignauia.

Reuolutio Lunæ in paruo circulo completur in quatuor annis, & uocatur motus inæqualitatis, ut habetur in quarto Magnæ cõpoſitionis à Ptolemæo: Et non deſunt niſi pars una & 52 minuta ad complementũ integræ reuolutionis. Et eſt quod ſi Luna ſit nunc in ſummitate epicicli, hinc ad quatuor annos nõ deerit quippiam notatu dignum, quin ſit in ſummitate epicicli: ideò anni Lunæ in ætatibus ſunt quatuor & primi, quia ipſa eſt quæ primo occurrit aſcendenti ab elementis ad ſupremũ cœlum. Mercurius ſimiliter, (ut in nono Magnæ cõpoſitionis habeẽ) in annis 20 reuertit ad eũdem locũ epicicli, ut non deſit niſi pars una & minuta ſex ad perfectũ circulum. Igitur anni inæqualitatis ſunt 20. Sed quia eſt Planeta debilis ualdè nõ regit niſi pro medietate, & ſunt anni decẽ. Venus ut ibidem habetur, in octo annis reuertitur ad locũ propriũ, nec eſt differentia niſi 12 minutorũ in paruo circulo: igitur quo ad motum inæqualitatis res clara eſt in tribus inferioribus. Mars ſimiliter, ut ibi habetur, in annis quindecim ad propriũ locũ in epicicloreuertitur: Eſt tamen differentia partiũ 7 minutorũ 7. Sed hæc in circulo ſignorũ uix faciunt differentiã unius partis, plerũq; autem uix mediæ partis. In Ioue & Saturno aliam rationẽ ſecutus eſt. In Ioue reuolutionem in circulo magno, quòd ſit Planeta potens, magnus ualde & tardus. In Saturno reli-

no reliquũ uitæ,quia licet regat solum triginta annos nihilominus quicquid supereſt supra illos triginta annos adeò est mancum & debile ut ad uitandam confusionem, Saturno tribui possit. Maximè quod rarissimi excedũt illos triginta annos qui terminantur ad 98 uitæ nostræ. Et etiam quia actiones quæ ultra id tempus contingũt, nullius sunt existimationis. Reliquum solum est ut uideamus cur Sol habeat 19 annos? Et clarum est quod non possumus illi dare annos reditus in paruo circulo,cũ illo careat. Nec in eccentrico,essent enim uel unus uel quatuor quod nõ conuenit tam potenti Planetæ: Propterea damus illi annos comparationis ad Lunam, in 19 annis enim Luna uidetur ad idem redire fermè & in circulo signorũ & in cõparatione ad Solem: ita quod si hoc anno in calendis lunij sit Luna in 28 parte Aquarij, & distet à Sole secundum ordinem signorum partibus 248. In calendis lunij 1572 erit & in calendis lunij 1534 propè fuit hunc locum & distantiam à Sole. Quia igitur Sol cũ nullo Planeta magis communicat quam cum Luna, dederunt illi annos reditus eius in comparatione ad Lunam.

Et in his omnibus mens Ptolemæi est quod quo ad ætates cum sit quasi uis epicicli aut eccentrici nõ astri,parũ aut nihil refert quod hi Planetæ sint bene uel malè dispositi. Ita quod ego qui habeo feliciter positum Iouem & malè positam Lunam, nõ propter hoc est necesse ut anni qui erunt à 56 ad 68. qui sunt sub Ioue sint meliores annis quatuor primis qui fuerunt Lunæ. Hoc autem in præcedenti textu docuit. Nihil igitur supereſt pro huius textus explicatione quam ut annos hos in tabula à latere collocemus, & doceamus similia speranda in ætatibus,qualia à Planetis eas decernentibus: Veluti in senio morbos longos.

☾	4
☿	14
♀	22
☉	41
♂	56
♃	68
♄	*vsq; in finem.*

TEXTVS LXXX.

Sint igitur hæ temporum singulares inclinationes iuxta naturæ generalem & cõmunem statũ in hunc modum expositæ: particulares uerò ex genitura inquisitiones, quemadmodum prius proposuimus, iterum ac summatim à præcipuis progressionibus constituemus,idq; ab omnibus, non ueluti in uitæ spatio perquirẽdo ab una tantum, sed ab horoscopo pro his quæ corpori eueniunt & peregrinationibus, à fortunæ sorte pro possessionibus,à Luna, pro animi morbis & coniugio, à Sole pro dignitate & gloria. A cœli fastigio ad reliquas & partiliores uitæ rationes, nimirum actiones,amicitias,liberorum procreationes cognoscendas.

Hoc sanè pacto ijsdem tẽporibus nõ idem erit beneficus horum dominus: cũ multa ferè eueniant sub ijsdem tẽporibus cõtraria, ut, si cui morte necessarij hæreditas accrescat, aut aliquis lecto decũbens dignitatẽ cõsequatur, & per motionem aut priuatos liberos suscipiat, quæq; eiusmodi accidere solent.

Neq; enim eadem est ratio corporis & animi,fortunarũ & dignitatis, & familiariũ bonorũ aut malorũ, ut necesse sit ex omni parte felicem aliquẽ aut infelicẽ esse. Sed acciderit fortasse & illud,quo tẽpore plane beati aut calamitosi sumus,quando in omnibus aut pluribus Apheticis moderationibus cõueniunt occursationes beneficorum omnino,aut contra maleficorum,id quod raro usu uenit propter humanæ naturæ imbecillitatem ad extrema utraq; perferenda: quam ita comparatam esse apparet,

ut temperaturam postulet bonorum & malorum. Loca igitur Aphetica ad hunc modum discernimus.

Sol significat gloriam & dignitates, ut magistratus, & reliqua.
Luna uero animam & illius conditiones, ac uxores.
Ascendens, corpus, & quæ cum corpore fiunt, ueluti peregrinationes.
Sors diuitias cuiuscunq; generis.
Cœli Medium filios, actiones, & amicitias.

De omnibus clarũ est quia sunt propria significata, nisi de peregrinationibus ab ascendente, & de amicis à cœli Medio: Nam ut uisum est ista uidẽtur ab alijs significari, ut à Sole, Luna, Sorteq;. Respõdeo quod aliud est subiectum in peregrinatione & est ascendens, aliud causæ & sunt Sol, Luna, Mars &c. Cum igitur per directiones subiectum causæ iungetur sequet̃ effectus. De cœli Medio dico quod amici nõ sunt amici homini sed fortunæ & dignitati plerunque: Propterea sumit illos à cœli Medio. Qui tamen sunt ab ascendente, id est, uoluptatis causa debent etiam ab ascendente sumi. Præterea in capite proprio sumit amicos & inimicos ex comparatione geniturarum inuicem, sed hic sumit tempus solum à genitura nati.

Circa peregrinationes, Hali aliã reddebat causam, dicẽs, quod sumunt̃ ab angulo occidentis, quia uerò occidentis descensiones sunt æquales ascendentis ascensionibus, ideò dixit ab ascendente sumi debere peregrinationis tempora. Atq; ex hoc infert non solũ hæc quinq; loca debere dirigi sed singularum domorum initia & loca omnium Planetarũ. Sed in hoc nõ est sequutus Ptolemæum qui tantũ hæc quinque loca dirigẽda consulit & merito. Nam hæc sunt subiecta omniũ bonorũ & partium domus. Bona enim quædã animi, quędam corporis, alia fortunæ. Bona animi à Luna decernuntur, corporis aũt ab ascendente: Fortunæ principalissima à Sole gloria & dignitates, mediocria à Sorte, minima à cœli Medio. Rursus coniunctorum ut filiorum & uxoris à cœli Medio & à Luna, igitur cum nihil deficiat sufficiet hæc loca direxisse. Quod si dicas adesse præterea parentes, seruos, fratres qui non continẽtur sub his? Respõdeo quod uel uis quærere de statu illorũ, & in hoc Ptolemæus iubet te erigere figurã priusquam dirigas, & tũc diriges etiã in illis ascendẽs Solem, Lunam, Sortem & Medium cœli: Vel uis quærere an habebit: ut in filijs & sufficiet absq; directionibus quęrere significata in capitibus propriis ut superius te docuit Ptolemæus. Ex quo patet quod quando dirigit cœli Medium pro filijs, solum dirigit ad sciendum quo tempore filios habebit non pro statu filiorum dignoscendo.

Præterea illa ratio septimi loci non conueniret cœli fastigio pro amicis. Sed causa erroris fuit quia non discernunt subiectum à forma & causa. Causę enim possunt esse plures & omnes Planetæ diuersorum effectuum, subiecta tamen nõ possunt esse nisi hæc quinq;, quæ causis illis occurrere per directiones solent.

Quòd autem dixit (Hoc sanè pacto) Intelligit quod quinq; positis subiectis nõ est necesse ut omnium euentuum sit unus dominus. Sed idem poterit esse felix eodẽ tempore in coniugio, & infelix in filio: Vt legitur de Catilina, qui ut haberet uxorẽ diuitem, ueneno proprium filium sustulit. Et ita eadem domus fuit funesta morte filij, & læta tædis cõiugalibus. Hoc etiam eo magis quod causæ & promissores respectu eiusdem subiecti possunt esse plures: Vt in Luna pro anima quæremus dominos loci: Et pro coniugio Planetas ad quos uadit. In animæ qualitatibus habitum eius cum ascendente & Mercurio in coniugio cum Venere: Et ita de alijs.

Subiungit ultimo naturam humanam nõ posse perferre nec multa mala simul ingruentia, nec multa bona: Innuens hunc ordinem quem tradidit ordini rerum congruere: Vt in uniuersum regulam generalem tradendi artem ostenderit: scilicet congruentem rebus ipsis & euentibus.

Notandũ diligẽtissimè quod hæc sunt significata perpetua horũ quinq; locorum principaliũ. Sunt præterea alia ut significatorũ uelut uitiorũ aut morborũ, qa omne tale ab initio per directionẽ ad actũ peruenit. Velut si Luna à Marte obsessa cũ stella

nebu-

nebulosa significat cæcitatẽ ab ortu, per directionem Lunæ sic dispositæ Mars occurrens cæcitatem ex eo tẽpore usq; ad uitæ finẽ producet. Quòd uerò ita sit liquet, nam in capite de uita, cum Apheta, inquit, occurrerit maleficis & non consenserint Planetarum reuolutiones aut non omnino fuerint ualidi Anæretæ, morbi magni significãtur. At constat nõ semper ascendens Aphetã esse, imò rarius. Igitur uult singula quæ significant generaliter in natiuitate directa propriè super illud significare: Et hoc est quod innuit superius per ea uerba. Prorsus igitur proponere oportet uniuersalis Fati rationem deinde singula &c. Et ibi: Primas ubiq; potioresq; causas.

TEXTVS LXXXI.

Occursantes uerò non solum interemptores quemadmodum ubi de uitæ spatio quæritur, sed uniuersos accipere oportet, atque ita non corpore tantum aut radijs oppositis quadrangularibusúe obuiantes, uerum etiam trinis ac sextilibus.

Hoc est secũdum quod docet, scilicet post subiecta quæ sunt quinq; promissores. Hi sunt, dicit, qui occurrũt corpore aut radijs qbuslibet. Sed nota quod ex his qdam sunt principales, & sunt qui ab initio cõueniũt cũ loco qui dirigit, uelut Mercurius cũ Luna in causa qualitatũ animæ, similiter domini loci. Similiter qui locũ aspiciunt aliquo radio uel sunt in intuentibus uel obedientibus aut imperãtibus. Non principales sunt qui occurrũt sed ab initio nihil habent cõmune. Dicit aũt suscipiendos in alijs causis à uita omnes etiã qui amici sunt. Nam in uita tametsi aliquid iuuẽt beneficæ occursantes, nihilominus non sunt dignæ consideratione nisi quæ interficiũt, promeţienda uitæ longitudine: Ideò in alijs causis omnes occurrentes cõsideramus. Circa hoc notandum est, quod sunt tria genera subiectorum seu significatorum, secundum naturã, ut horoscopus corporis, Sol dignitatis: quædã electionis, & sunt Aphetæ, qui semper sunt unus ex quinq;: sed uariantur iuxta potestatem maiorem aut minorem. Nã Luna in 11 loco Apheta est. Si tamen Sol in 10 desinit esse Apheta: quædam uerò per commutationem, uelut Saturnus in nocturna genitura dum ponitur in ascendente in figura patris, fit Apheta.

Mota tamen erat difficultas de Mercurio, qui cum significet rationalem animam, deberet esse unus ex significatoribus, & ita essent sex? Respondeo quod effectus Mercurij in mutationibus temporũ non sunt euidentes, nisi cum homo insanit. Hoc autem raro contingit, & rarius sine detrimento Lunæ: Ideò est prætermissus à Ptolemæo. Si tamen quis uelit illum dirigere, non prohibetur. De cæteris quod nõ possint esse significatores nisi ut dictum est in erectione nouæ figuræ quæ à priore extracta sit, satis abundè docuimus, & causam etiam cur non possint esse, adiecimus.

TEXTVS LXXXII.

Ac primũ sanè tẽpus in singulis moderationibus illi dabit qui Aphetícum locũ corpore occupat uel radijs. Quòd si nullus fuerit, ascisćemus proximè antecedentẽ ad eũ usq; qui proximè succedentẽ aspicit partem, deinde hoc utemur usq; ad proximũ, atq; in alijs similiter, assumentes in gubernãdi cõmunicationẽ terminorũ dominos Planetas. Atq; iterũ partibus interiectis annos tribuimus secundũ eã quę ab ascendẽte summitur moderationẽ, tot uidelicet quot sunt eius regionis ascensionũ tempora. A cœli Medio, quot sunt tẽpora cœli culminationũ, à reliquis uerò quòd ratione propinquitatis ad angulos, ascensionum aut descensionũ, culminationumúe tempora accipimus, sicut cum de uitæ spatio ageremus, definiuimus. Hũc igitur ad modũ generales temporũ arbitros creabimus.

Tria in præsenti textu docet, primum quis nam sit promissor seu dispositor cu-

iusq; partis, ab Apheta incipiẽtis (Nunc Aphetam uocat quemcũq; significatorẽ ex illis quinq; ab ἀφετὴ quę est dimissio) Et dicit si in loco Aphetę sit Planeta uel radius Planetæ, ille erit promissor, largitor & dominus eorũ quæ ab illa parte decernunt. Si nõ sit ibi Planeta aliquis nec radius accipies eũ Planetã qui ante eum locum est, uel cuius radij ante sunt. Exemplum, mihi oritur septima pars Tauri, ubi nullus est Planeta nec radius, ante tamẽ, id est in quarta parte Tauri est Iupiter, ideò dico quod Iupiter gubernat uitã à septima parte Tauri usq; ad duodecimã ubi sunt radij sextiles Lunæ. Postmodũ ab ea parte usq; in finẽ Tauri, cum nullus Planeta succedat nec radius, gubernat Luna. Quod si nullus Planeta nec radius sit ante locum Apheticũ, gubernabit solus dominus finis, ut postea docebimus. Quod si rursus sint duo Planetæ ante uel radij duo uel Planeta unus & radius alterius, tũc proximiorẽ Aphetę pro gubernatore eligemus. Quòd si ambo sint in eodẽ gradu eligemus utrũq; prælato tamẽ eo qui corpore ibi præsens est ei qui radios mittit. Radiorũ quoq; diuersitatẽ inspicere oportet, & naturæ similitudinem aut repugnantiã. Maleficus enim & naturæ loci repugnãs & ex aduerso positus gubernabit quidẽ, sed ut tyrannus & dominus iniquus: Cõtra benefícus & loco cõgruens, & corpore præsens, aut radijs amicis locũ aspicies, gubernabit ut Rex, ut pater. Quòd si multũ distet qui succedit Planeta, ut in nostra genitura à sextilibus radijs Lunæ, qui in 12 partẽ perueniunt Tauri usq; ad 12 Geminorũ ubi est corpus Martis, & rursus radij Lunæ quadrati intercedunt partes 30 aut saltẽ 29 usq; ad 11 Geminorũ ubi cadũt radij trigoni Solis, tunc Luna nihilominus gubernabit omnes illos gradus usq; ad 11 Geminorũ: ubi tunc Luna desinente, Sol gubernabit, inde paulopost Mars, & paulopost Martis gubernationi Luna cõmiscebit, quia radij illius trigoni Martis corpori succedunt. Sed ut dixi quia in eodem gradu sunt, & corpus ualidius est radio, miscebimus Martis & Lunæ gubernationẽ simul, donec ad corpus Saturni directio peruenerit. Interim aũt gubernatio Martis & Lunæ, Solis, aliquid cõmiscebitur propter magnã Solariũ radiorũ propinquitatẽ. A duodecima igitur Tauri parte ad 11 Geminorũ, ut dixi, gubernabit Luna: Sed uariè eas partes. Nã à duodecima Tauri usq; ad 24 plus poterit Luna quã dominus finis, quia tãta est magnitudo Lunaris luminis, & quãto plenior fuerit eo maior. A 24. in finẽ Tauri cũ Luna in Tauro altitudinẽ habeat æquales ferme erũt uires Lunæ cũ domino finis illius partis. Ab initio aũt Geminorũ ad 11 illius partem propter longinquitatẽ radiorum sextiliũ & mutationẽ signi ubi Luna nullã habet potestatẽ finis dominus maiorẽ habebit uim quã Luna. Ita hoc exẽplo reliqua intelliges.

Secundũ est quod dominus finis semper debet assumi ut socius cũ gubernatore, qui corpore uel radijs dominationẽ susceperit. Ratio quare nõ dominũ domus, aut altitudinis aut trigoni accipiat, sed solius finis, clara est, quia oportet naturam dominij cõgruere naturæ rei & tẽporis, cũ igitur tẽpus diuidatur in minutiores partes congruunt his domini finiũ non alij. Tertiũ est quod docet quantũ temporis his partibus correspondeat: Et dicit tantum quantũ sunt ascensiones propriæ illius loci sumptæ iuxta modum declaratũ in capite de uita. Circa quod notandum est quod licet gubernator sit ante Aphetã utpote in octaua genitura Iupiter ante ascendẽs, tamen directio debet inchoari à loco Aphetę & non à loco gubernatoris. Et ita dabimus primum annum septimæ parti Tauri, ubi est horoscopus, & non quartę ubi est Iupiter, qui est gubernator. Quod si quis dicat cur est quod pleraq; tamen ex his ante tẽpus adueniunt, ut etiã ante nouiluniũ mortes ęgrorum & pluuiæ, & ita de alijs? Causa est quincuplex, prima quia subiectũ est quãdoq; ita præparatum ut effectus accidat ante perfectionẽ causæ. Veluti quidã ægri sunt ita debiles, ut nõ possint expectare perfectã Lunę coniunctionẽ. Et aër est quandoq; ita humidus ut ante coniunctionẽ perfectam pluat. Ita dico de directionibus exitium aut felicitatẽ pollicentibus: quoniam quãdoq; ante exactum occursum promissoris perficiuntur. Secunda causa est robur maximum quãdoq; directionis uel coniunctionis: Vt de igne magno qui etiam accendit ea quæ procul sunt, nec ipsum tangunt. Tertia est societas aliarũ coniunctionum uel occursuum uel ingressuum atq; aliarum causarum quæ effectum ante tempus

pus accelerant. Quarta est media coniūctio & aduentus corporis Planetę ad locum ante centrum, uel luminis ante corpus. Quinta est constitutio genetalis superius dicta. Veluti Planeta uelox natura, motu auctus, orientalis à Sole, & in mundo. Contrarijs ad unguem causis, effectus post directionem differuntur.

TEXTVS LXXXIII.

Annuos uerò reijcientes annorū multitudinē ab ineunte ætate à singulis Apheticis locis iuxta ordinem signorū singulorū eum assumentes qui signo dominat, in quo substiteremus. Idipsum in mēsibus præstabimus abijcientes iterū à mense natali præteritorū mensiū numerū à locis annui dominij secundum ordinem signorū, dies uiginti octo. Ita dies etiā à natali abijciemus à menstruis locis pro uno signo dies duos & trientem.

Hæc est tertia tēporum diuisio in annos & annorū partes, quā ponit Ptolemæus capiendo in singulis Apheticis primos triginta gradus et eū qui signo dominat facie mus dominū eius anni. Et si fuerint duo signa, iuxta partes eorū. Gratia exēpli horo scopus est mihi 7 pars Tauri, primus annus habebit à 7 parte Tauri ad 7 Geminorū. Et ita primis 9 mensibus & 18 diebus præerūt Luna & Venus pro partibus 24 Tauri, residuum anni gubernabit Mercurius pro sex partibus initij Geminotū. Sequenti anno gubernabit Mercurius menses nouē, dies 18 reliquum Luna cum Ioue. Tertio anno Iupiter & Luna menses 9 dies 18. reliquum Sol, nam procedet à partibus 7 Cancri ad 7 Leonis. Ita perfectis 12 signis 13 anno reuertetur res ad initiū & Venerē cum Luna & 7 partem Tauri usq; ad 7 Geminorum: & hic circuitus durat usq; in finem uitæ, ex singulis quinq; Aphetis.

Similiter ab eodē principio anni dicamus gratia exempli quinquagesimi primi nostri incipientis cum profectio peruenisset ad 7 partē Cancri diuidit totum annum in 13 partes æquales quibus præficit totidem signa & dominos, & hoc ut procedendo 13 signis sequenti anno peruenit ad signū sequens tam in anno quam mense. Exemplum, ut dixi, anni quinquagesimi primi signum annuum est Cācer, idem est signum primi mensis: Leo secundi: Virgo tertij: Libra quarti: Scorpio quinti: Sagittarius sexti: Capricornus septimi: Aquarius octaui: Pisces noni: Aries decimi: Taurus undecimi: Gemini duodecimi: Cancer tertij decimi: Leo quartidecimi qui & initiū est sequentis anni. Et ita uides menstruam processionem ex uno in aliud signum detulisse annum dominatum per unum signum. Cum ergo diuidatur annus in 13 menses fit ut unus mensis dies contineat 28 & horas duas & minuta 17. Sed Ptolemęus prętermittit horas & minuta quia parum erroris adducere poterant: & etiam quia facile occurrebant construenti tabulas. Eadem ratione diuidendo mensem dierum 28 per 13 partes, prodeūt, dies duo et sextans, fermè. Sed textus dicit triens nō sextās. Græcus codex habet ἥμισυ, quod est dimidiū, & nō trientem aut sextantē. Hali uidit hunc errorē & putat legendū sextantē. Si sequamur eum qui uertit esset ut 28 dies diuiderentur per duodecim signa tātum & ita exirent dies duo cū triente. Tertia opinio est quod diuisio per mēses sit in 12 & totidē signa & tunc prodibunt 30. dies pro mense. Et rursus mēsis per 12 signa diuisus habebit dies duos & dimidiū ut Græca litera habet. Ita oporteret à textu Ptolemæi abijcere illa uerba (Dies uiginti octo) & forsan sunt additi ab aliquo qui suo modo illum interpretatus est. Hoc igit habet difficultatis tertia expositio. Secūda uerò nō seruat eundē ordinē quia ex signorum mensium ordine cōstat ordo signorum annuorum: Sed nō ex ordine signorū dierum cōstabit ordo signorum mēstruorum. In prima oporteret pro ἥμισυ legere ἑκτημόριον quod est sextans, at hoc multum differt. Similis dubitatio emergit cur reuolutiones annorum in his nō potius secutus sit quæ sunt iuxta ordinē rerum ipsarum & causarum quam hos processus. Ideò dico quod fuerunt tres causæ huius, prima quia iste debuit assimilari directionibus, eo quod sit diuisionis tēporum modus quidā: igit etiam debuit fieri per processus, non per reuolutiones. Secūda quia debuit hic processus esse

æqualis, ille uerò qui fit per reuolutiones magnã recipit inæqualitatem, ideò non eſt cõueniens. Nã propter aſcẽſiones regionis aſcẽdens quãdoq; trãſibit ex Virgine ſolum in Libram, & quãdoq; ex Aquario in Cãcrum. Tertia quia in his tribus diuiſionibus temporũ obſeruat ſemper ordinẽ Planetarũ, ut omnes Planetæ ad gubernationẽ aliquo modo aſſumãtur. In prima diuiſione per ætates ſecundũ ordinem quo mundũ conſtituunt. In ſecũda iuxta ordinẽ finiũ. Hic iuxta ordinẽ ſignorũ. Si procederet per reuolutiones nullus eſſet ordo in Planetis, ſed idem Planeta ſæpius, aliquis nunquã aſſumeretẽ in circuitibus duodecim annorũ & menſiũ, & in uno mẽſe. Præterea reuolutio fit cũ motu proceſſus abſq; motu. At Ptolemæus in uita nõ obſeruat niſi duos motus, primũ cum homo naſcitur & conſtituitur figura principalis, & ſecundũ ſuperuenientẽ de quo loquet in quarta diuiſione temporũ, igitur reuolutio nõ poteſt eſſe principalis cauſa diuiſionis tẽporũ in tertio modo. Et ſi quis obijciat ut ex noſtris libris æditis olim exempla quibus confirmant reuolutiones, reſpõdeo ſi ſane intelligant illa pertinere ad quartã diuiſionẽ de qua in ſequẽti textu agit. Ptolemæus uerò adhuc duas alias diuiſiones propoſuit ſecundã & tertiã ultra illã & potentiores illa, igitur hæc uia eſt melior ut ſequamur quadruplicẽ temporũ diuiſionẽ quã unã aut duas tantum, ut nos fecimus dũ ſcriberemus libros de Iudicijs aſtrorum. Et cauſa fuit quod nos deſperabamus ob expoſitorũ inopiã, & difficultatem textus Ptolemæi, & cõfuſionem maximã in arte ſcribentiũ, aſſequi illius ſententiã. Modo cũ aſſecuti ſimus eã auxilio diuino exactiſsimè & præter omnẽ ſpem, eam tradimus etiã alijs perfectiſsimè. Et eo melius aquieſcendum illi eſt, quod exiſtimandum ſit
Cap. 3. Ptolemæũ, ut ipſe teſtatus eſt ſuperius, accepiſſe exempla & opinionẽ hãc ab Aegyptijs, qui, ut teſtatur Diodorus Siculus in ſecundo Rerum antiquarũ, ex peritia aſtrorum ſolebant futura prædicere. Credendum etiã illa egregia Thraſybuli mathematici de Tiberio Sullæ eius filij, de Caligula, & Nerone, Aſcletarionis de Domitiano & de ſeipſo, nõ fuiſſe ignota Ptolemæo uiro diligẽtiſsimo & locupletiſsimo. Quod ſi nota fuerunt haud dubiè illorũ uiam ſecutũ eſſe neceſſe eſt, quæ adeò euidentibus prædictionibus fuerit cõfirmata. Quamobrẽ & illa hæc quã tradit nõ aliena eſſe debet ab ea. Impudentis enim ac ſceleſti uiri fuiſſet unũ ſcire & aliud ſcribere. Quinimò etiã qui ſecuti & egregias prædictiones ẽdiderunt, ut de Gordiano Imperatore neſcio quis, & de Iacobo Picinino Franciſcus Maria Ferrarienſis, & de Paulo tertio Pontifice maximo Paris Ceſarius Mantuanus, hanc uiã ſecuti ſunt, cum nulla alia eſſet in uſu ante nos: & etiã Ptolemæi ut par eſt ſtudioſi eſſent. Vnde cõſtat nos etiã his innixi debere quæ hic ordine certo à Ptolemæo traduntur: Illud intelligẽtes quod poſt ſubiunget Ptolemæus, eo ordine quo diuiſiones ponunt, eo etiam robur ſignificationum accipi debere. Ita ut certiſsima ſint quæ dominis ætatũ decernuntur ſuis temporibus. Certa admodum etiã quæ à dominis directionum & finium ſignificant. Certa etiã quæ à dominis proceſſuum annualium & menſium atq; dierum. Demum minus firma quæ ab ingreſsibus Planetarum in loca congruentia aut diſsidentia promittuntur. Et tamen ea adeò ualida eſſe ut his ſolis nos confiſi, multas præclaras ad hanc diem in geniturís prædictiones ẽdiderimus. Quid igitur Ptolemæũ hac in parte ſequenti euenturum ſit facile intelligis.

Verum dices Ptolemæus quidẽ has diuiſiones qualiter fieri debeant edocuit: ſignificata quoq; primæ quæ per ætates ſit tanquã manifeſtioris & quibus minus opus eſſet ob facilitatẽ declarauit: Sed de his duabus ſcilicet ſecunda & tertia diuiſione non eſt locutus. Reſpõdeo quod ex præcedẽtibus cognoſcunt. Sunt aũt quinque, ſi rectè colligant, ex quibus euentus dignoſcere licet. Primum eſt quòd directio aut profectio perueniat ad beneficã aut maleficã aut mediam, & ſumit hoc à natura Planetæ: quemadmodum in uita & in decretis generalibus maleficæ offendunt, beneficæ iuuãt: ita in proceſsibus & directionibus. Non tamẽ directio tantũ quantũ generalis & natalis cõſtitutio: & minus proceſſus quã directio. Secundũ eſt cõſtitutio Planetæ hora qua ſuſcipit dominium quod ſit orientalis à Sole auctus lumine & motu, in ſuis dignitatibus bene cõfiguratus Lunæ & beneficis, hæc enim bonum, contraria

malum

malum significant. Tertium quod Planeta qui dominium recipit in natali figura sit amicus et propitius illi causę, hoc enim bonū. Sicut si sit dominus oppositi Aphetę, aut oppositus domino Aphetæ malū. Quartū ꝙd talis dominus processus uel directionis hora genituræ fuerit felix aut infelix. Quintū & ultimū ꝙd obseruemus in toto decursu dominij sui cū occurret beneficis, aut cōfigurabit̄ Aphetæ natiuitatis, aut ipse erit potēs, causa illa iuuabit̄: cū fuerit in cōiunctis debilitabit̄: & similiter cū erit sub radijs Solis, aut retrocedet, aut oppressus à maleficis, aut cadens. Hali uerò credit quod Ptolemęus sponte hæc occultauerit: Sed non solum inuidiosum est, uerum etiam stultum, tradere artem & illius præcipuam partem occultare. Deinde ea tradere per quæ intelligātur scripta ab illo & fiat quasi aliena laus. Circa hos tres modos diuisionis diligēter obseruandū, Ptolemęū uitasse cōfusionē, & dominos processuū & directionū obseruasse, & nō solum ipsa loca, & locū Apheticum principalem horæ genituræ. Exemplū, ut dixi, anno qnquagesimo secundo horoscopus peruenit ad Cācrum, Tauri pars septima est Apheta, & dominos cōsiderat septimę partis nō Tauri sed Cācri, Lunā & Iouē principaliter: post dominos loci genituręid est, septimæ partis Tauri, & locū processus, id est, septimā partē Cācri. Ita ut in diuisionibus temporū seu per processus seu per directiones cum sint quatuor, locus natalitius, dominus loci natalitij, locus processus, dominus loci processus: primā authoritatē sortitur dominus loci processus, secūdā locus natalitius, tertiā dominus loci natalitij, locus aūt processus quarto loco habetur. Et hæc pro intellectu nō solum prę cedentiū, sed & sequentiū. Verū dices nonne sufficiebat Ptolemæo dicere ꝙd tota figura singulo anno per unū signū ꝓcedebat, quasi per uiā reuolutionis ita ut figura reuolutioi similis erigeret̄? Respōdeo ꝙd nō, ob duas causas: prima ob inęqualitatē domorū: Secūda ꝙa nō uult ꝙd procedāt, nisi illa quinq; loca principalia, nō omnia.

TEXTVS LXXXIIII.

Respiciendum etiam est ad ingressus in præcipua potissimū loca, neq; enim parum momenti habent in temporū decretis, maximè Saturni generalium, Iouis annuorum Martis & Solis, Veneris & Mercurij menstruorum, Lunæ diurnorum.

Hæc est quarta tēporū diuisio, quæ quasi fortuita est, cū Planetæ ingrediūtur præcipua loca, id est, illa quinq; dicta: nā eorū significatū tādiu durat quātū Planeta ille integrū signū permeare potest. Ob id Saturnus generalē habet tēporū partē, id est, duos annos & dimidiū et quādoq; tres, quia tātūdem in uno signo manere potest. Et hęc est causa ꝙd paucę infelicitates diutius durāt: et maximè pestis quāuis à deliquijs significatio principalis sumatur. Eadē ratione Iupiter habet annos, anno enim manet in singulo signo. Mars, Sol, Venus & Mercurius menses: nam Mars non implet spatiū duorū mēsiū in uno signo generaliter, ad summū quādoq; octo mēsiū: reliqui tres uno mense signū ex ordine peragrāt, ideò ꝓponūtur hi quatuor Planetę mensibus. Eadē ratione Luna cū in uno signo paulo plus duobus diebus maneat, dierū spacio prę est. Hęc igitur est ratio distributiōis fortuitæ tēporū iuxta ingressus, & deambulationes Planetarū in quinq; locis principalioribus, & per loca principaliora, nō intelligit natiuitatis, sed ad quæ peruenerunt per annuos uel menstruos processus.

TEXTVS LXXXV.

Ac quemadmodū generaliū temporū arbitri potiores sunt ad decretū absoluendū, ita particulariū cōducūt aut reluctāt, per cōuenientia & aduersitate naturæ suę, trāsitus uerò augmēta et decremēta euētuū adducūt.

Cōparat inuicē hęc tria: generaliū tēporū dispositores, & ꝓpriorū, & trāsitus: Nā generales dispositores plus possūt in absoluēdo effectū: Domini uerò propriorum conducūt, scilicet plurimū, aut reluctātur: trāsitus aūt tantum augent aut minuunt.

Notandum quod licet hi reditus semper aliquid tamen longè plus faciunt in finibus annorum quam in alia parte anni. Et ita de mense & diebus. Et plus in initio anni

quam mensis & mensis quam dierum, per signum significatorum: ut capite de uitæ spacio superius usum est.

Notandum rursus quod mutationes signorum in annis concordant cum reuolutione Solis & motu Iouis. Et menses dierum 28 horarum duarum minutorũ 17 cum reuolutione Lunæ. Est enim medius inter mensem reuolutionis Lunæ qui est dierum 27 cum tertia & mensem coniunctionis Lunæ cum Sole qui est dierum 29 cum dimidio. Et signorum spatium quod continet dies duos & sextantem ut dictum est cum spatio quo Luna in signo uno permanet.

TEXTVS LXXXVI.

Nam summariam qualitatis rationem & temporum prorogationem Apheticus locus & generalium temporum arbiter, unà cum finium domino designat, eo quòd familiare est unum quodq; sydus ijs in genitura locis quorum ab initio gubernationem sortitum est. Sed bono ne sint an malo ex eorum qui temporibus præsunt naturali & mista propensione ad bene maleúe faciendum colligitur, & eorum familiaritate aut inimicitia, quam ab initio susceperunt.

Quinq; erant ab initio proposita quæ nobis euentus prædicerent: Scilicet constitutio genethliaca & quadruplex diuisio tẽporum: quarum prima quę per ætates fit cũ sit omnibus cõmunis & per se clara omittitur, reliqua duo prima in pręsenti textu edocet, scilicet generalem cõstitutionem & tẽpus, à directione sumptum. Cum uerò tria fermè in qualibet re supponantur, ut in secũdo libro docuit, genus rei, tempus & & qualitas: Veluti in coniugio hęc tria quęrũtur an nubet: quãdo nubet: an felix erit coniugiũ: Et ita de alijs præterquã de morte. Sed & in illa mortis author quæritẽ. Verum mors per Aphetã nõ decernitur sed Anæretã. Inquit igitur genus rei decernitur per locũ Aphetícũ: Prorogationis tẽpus, id est, quousq; procrastinabitur generalis arbiter tẽporis, id est, promissor in directione. Speciatim aũt dans finis: hoc aũt in secũda diuisione est explicatũ. (Eo quod) Subdit causam quare assumẽdus sit Aphetícus locus cũ finiũ domino scilicet succedentiũ et tẽporum generaliũ arbitro, qa dicit licet Apheticus locus sit per directiones mutatus, tamen semper partícipat cum domino temporis illius. Exemplum quando directio signi Geminorum peruenerat ad horoscopum, tunc dispositiones horoscopi (& fuit in iuuentute) erant mixtæ ex natura finium in Geminis & Martis gratia exempli & Saturni natura qui ibi erant & Tauri quod fuit ab initio in ascendente. Quod uerò dixit (Naturali & mista) Intelligit quod tria debemus considerare in temporum significatoribus, naturalem dispositionem benefici uel malefici mixtam, id est, statum eius tunc & cũ quibus commiscetur: Et idẽ hora natiuitatis. Notãdum quod ex hoc colligit una regula pulchra, scilicet quod effectus promissus per directionem non potest differre nisi per tot annos quot sunt hi qui respõdent numero partiũ finis quę supersunt post directionis locũ. Exẽplũ, per directionẽ in fine annorũ quinquaginta sextilis radius Iouis peruenit ad ascendens, & fines Martis in Cancro sunt ab initio eius usq; ad initiũ septimę partis, radij uerò sextiles Iouis cadebant in quartã partem Cancri, & Iupiter fuit dominus loci Lunę iter significantis, & iuxta cadebant radij quadrati Solis & trigoni Lunæ & omnes iter significarunt. Dico igitur quod punctũ itineris est quarta pars Cancri, tamen ubicunq; contingat concordia progressus signorum ab initio Cãcri usq; ad initium septimæ partis Cancri, ibi erit itineris significatio. Ponamus igitur quod in eo statu ascendant cum primis sex partibus Cancri partes quinque, minuta 18. quibus respondent anni quinq; cum triente. Cũ igitur ex directione debuisset contingere in fine anni quarti horum qui fuit quinquagesimi mei finis, & ita cõtigit ad unguẽ, tamẽ potuit contingere per annos quatuor ante, uel sexdecim etiam menses post tempus in quo contigit: Quia tantum extendebantur fines Martis ante & post punctum in quem cadunt radij promissoris. Et hoc est quod uoluit Ptolemæus.

TEX/

TEXTVS LXXXVII.

Quibus uerò temporibus magis eluceſcet decreti uis ſignificat ab annuorum & menſtruorũ ſignorũ cũ obnoxijs locis configuratione, & ſecundũ ingreſſus aſtrorum & Solis, Lunæq; radiationes ad annua & menſtrua ſigna. Nã ſi cõuenienter ſe habent cũ locis affectis ab initio in genitura accepto & ſecũdum in ambulationes conuenienter illis configurantur pro re propoſita, bonum. Si inconuenienter & præter conditionem oppoſita quidem aut quadrangula figura in trãſitibus, malorum authores ſunt, aliter uerò configurata, non ita.

Reliqua duo mẽbra diuiſiõis tẽporũ q̃ ad ꝓpria tẽpora pertinẽt, id eſt, ad annũ, menſem, diẽ & horã effectus, ut de Domitiano aliâs retulimus, in prẽſenti textu declarat: Dicẽs q̃d tale tẽpus dignoſcit ex duobus ſcilicet annuorũ et menſtruorũ intellige tu & diurnorũ ſignorũ, id eſt, q̃ habẽtur in tertia tẽporũ diuiſione, et ſuperius declarata ſunt à nobis, ad obnoxia loca intelligit bona & mala, nõ mala tantũ: pro obnoxijs locis maleficarũ & beneficarũ, & luminariũ, & Sortis, & cœli Medij, & aſcendẽtis intelligit loca. Sed tamen in his tribus ultimis radij nõ tantũ poſſunt ut in ipſis Planetis. Nã ſi gratia exẽpli agatur de cõparatione ad aſcendẽs in octaua genitura inconiũcta illi ſigna ſunt Gemini, Sagittarius, Aries & Libra: Quoties ergo profectio ad aliq̃d horũ ſignorũ peruenerit, nuſquã afficietur, in trigonis & hexagonis ſignis bene ſe habebit. In oppoſitis & quadratis malè. In malis autẽ utpote cũ mihi Saturnus & Mars Geminos poſsideãt, & Gemini, & Virgo, & Piſces qui ſunt in quadrato, & Sagittarius qui eſt in oppoſito, malũ afferẽt: Leo aũt & Aries qui ſunt in ſextili, et Libra, & Aquarius qui ſunt in trigono nõ nocebũt. Hoc eſt quod dixit (Aliter aũt configurata nõ ita) Atq; hæc de proceſsibus annorũ, menſiũ, & dierum. Quod ad ingreſſus uerò attinet, uult ingreſſus Planetarũ cõfigurari bene ſi bonũ debẽt ſignificare, & malũ, ſi malè. Exemplũ, ſi anno qnquageſimo primo aſcẽdens peruenit ad Cãcrũ, & Saturnus fuiſſet in Capricorno, omnia mihi aduerſa cõtigiſſent. Si aũt ibi fuiſſet Iupiter, optimè: id eſt, ſi fuiſſet in Cãcro. Et ita inſpicere oportet ubi erãt luminaria, quorũ alterũ in Libra, & ideò aduerſabatur: reliquũ in Leone iunctũ Ioui in ſecundo loco: Et hoc iuuit in cauſa diuitiarũ & incolumitatis corporis. Et hoc ſemper uerum eſt, ſed magis in initijs annorũ & menſiũ, ut aliâs dixi. Et circa hoc eſt notãdum quod ego obſeruaui ſæpius, & eſt quod ſi in initio anni, (idẽ de menſe dico) loca principalia per ingreſſus & maximè Luna cadãt in locis maleficarũ in genitura, uel fiat reditus quaſi per circuitũ malus, tũc eueniet eo anno mors uel infortuniũ ex genere ſignificati loci principalis, quẽ Luna aut Planeta alius ſignificator cõſtituit. Velut in genitura Io. Pauli Sfortiæ, Luna fuit inter Pleiadas & Iupiter iunctus Marti in Sagittario, & peruenit ad annum in quo Luna fuit rurſus inter Pleiadas & Iupiter iunctus Marti in Aquario in quadrato Lunæ, & mortuus eſt eo anno. Et ſimiliter in genitura Frãciſci Sfortiæ ſecundi uidebis exẽplum caſus Lunæ in loco maleficæ eo anno quo mortuus eſt. Et hęc omnia intellexit Ptolemæus ſub ingreſsibus aſtrorum in loca obnoxia à natiuitate, & loca Aphetica annua aut mẽſtrua uel diurna proceſſus. Sed dices igitur ex hoc ſeqtur q̃d ſingulis duodecim annis homo ad eadẽ peruenietꝫ Ita q̃d ſi qs habuerit morbum in tertio anno habebit in 15 & 27 & 39 & 51. & ſi qs habuit dignitatẽ anno 50 habebit et 62 & 38 habuiſſe oportuit itẽq; 26. Et ſic de aliꝭ q̃d nõ ſolum falſum ſed & abſurdũ eſſe uidetur. Hoc tamen ita cõtingere neceſſe eſt ſi admittamus omnia loca principalia ſingulis duodecim annis ad eadem ſigna nõ ſolum ſed & ſignorũ partes reuerti: Et q̃d ut ſe habuerint hæc ſigna ad loca natiuitatis bona malaue, cõgruentia aut diſsidẽtia, ita bona aut mala ſeq. At hoc certum eſt ſingulis etiã duodecim annis reuertẽtibus locis principalibus ad eadẽmet ſigna, eodem modo illa cõfigurari ad loca genituræ: Ptolemæus uerò cõcedit omnia hæc, igitur neceſſarium erit euenire, ut dixi, eadẽ ſtatis quibuſcunq; tẽporibus. Propter

Tex. & cõ. 85

pter hoc Arabes hac in causa Ptolemæū deseruere, alia cōmenti absurda & falsa. Vt uerò ratio Ptolemæi perspicacissima intelligatur: Sciendū hoc, q̄d omnia q̄ hic fiūt, à cœlorū motibus & cōstitutione pendent: Et q̄d, ut superius dictū est, omnia quæ in cœlo inæqualia esse uidētur ad æqualitatē referūtur, igitur cū reuolutio Solis inæqualis sit, nō poterit euētus rerū in annis ad illam referri, sed ad directiones & processus per signa. Ex hac tamē æqualitate quæ est reditus ad signa eadē singulis 12 annis, & cōparatione ad genethliaca loca cōsurgit magna diuersitas. Videndū est igitur quomodo cōsurgat. Si qs loca processuū cōpararet locis directionū protinus cōsurgeret causa diuersitatis in circuitibus 12 annorū. Sed nō est. Cōsentaneū hoc rationi, qa esset multiplex diuersitas. Dico igit̄ q̄d Ptolemeus uult quod ad hoc ut sequat̄ effectus ut primū significetur à significatore generali in natiuitate qui illū uenturū esse promittat. Inde per directiones & ætates uenabimur tempus. Et si contigerit sub illo tempore directionis ætatis & finis congruentiū processui quē Arabes uocant Alynthiā, peruenire ad signū cōgruens, eo anno sequetur effectus ualidus, & absq; impedimēto & maximè si Planetæ cū hoc, loca hæc processuū ingressi, fuerint fauētes significato: uel etiā Sol aut Luna solum respexerint. Quod si nulla possint esse talia signa quę faueāt huic causæ, utpote q̄d in bono impediātur à maleficis ibi positis aut respiciētibus quadrato opposito uel aspectu: Vel in malo impediant̄ à beneficis illis positis aut aspiciētibus trigono uel sextili aspectu: tūc oportebit q̄rere magna diligētia opportunius signū in ea causa. Quòd si eo inuēto Planetæ cōtrarij significati ibi ingrediant̄, uel etiā Sol aspiciat aut Luna ex opposito uel quadrato aspectu, tūc impedieī negociū illud quādiu Planeta ille locum eū corpore aut radijs obsidebit. Ex hoc patet quod hinc ad 12 annos res talis nō reuertetur, quia directio necessario erit mutata & forsan ætas: & dato quod ista omnia reuerterētur ad idē, nō idem effectus reuerteretur post 12 annos: quia ingressus Planetarū & luminariū uariatur, igitur & & effectus. Nā si idē numeros per duos numeros diuersos multiplicetur, aut addatur duobus diuersis numeris, necessario confiabūtur duo numeri diuersi magis, quā si duo & duo numeri ex toto diuersi iungātur aut multiplicētur, ut in multiplicatione 3 & 8 & 4 & 6 in additione 3 & 8 & 4 & 7 nā multiplicādo 3 in 8 uel 4 in 6 utrobiq; fit 24 & addēdo 3 & 8 & 4 & 7 fit 11 utrobiq;. Sed manente uno numero, idē nūquam proueniet. Igitur Ptolemæi inuētio effectui respondet. In his tamē circuitibus contingent persæpe quædam similia, sed propter uarietatē initiorum, ętatum, & successuum, quæ ex ingressibus pendent, diuersa omnino existimabuntur. Manifestum est etiam ex his quod initia annorum quippiam simile cum finibus habebunt. Et scias
Tex. 83. quod in hoc textu, & alio superius explicato, tota fermè non solum ars sed & artis existimatio & difficultas, reconditæ sunt.

TEXTVS LXXXVIII.

Ac si ijdē & tēporū & introituū domini fuerint Planetę, illustris fit & minimè mediocris decreti natura, siue illud bono siue malo fuerit. Multo uerò magis cū non solum temporis quod gubernāt nomine causarum generi præsunt, uerum etiam ab initio secundum genituram.

Quod in rebus manifestis diffusius loquatur Ptolemæus quā in obscuris, plurimi admirari solēt, cum nō intelligāt in obscuris nō potuisse uel hāc obscuritatē sermonis effugere, uel immēsam lōgitudinē, cū mediocris prolixitas maiorē breuitate obscuritatē paritura esset. Nā quibusdā mēbris diuisionis explicatis, alia & peculiari ratione quā tota rei substātia maior longè cōfusio emersisset. Duo igit̄ capita rerū attingit, quorū quodlibet habet duos modos: primū in præsente textu, et est cū domini ingressuū, id est, signorū in quæ Planetæ ingrediuntur, aut finium fuerint, id cū dominis signorū processus in singulis causis, puta uel uitę, uel diuitiarum, uel animi: Et multo magis intelligit si sint eadem signa, tunc sequentur illustres non solum euidentes effectus. Alter modus maior est hoc, cū præter dominiū loci ingressus & processus, fuerint etiā domini illius significati in genitura, id est, loci Aphetę rem eam signi-

significantis. Et de hoc habes exemplum clarissimum in genitura octaua anno 51. nam Luna significauit iter, & ascendens peruenit per processum ad sextam partem Cancri, & per directionem ad quartam partem Cancri: quibus ambobus locis Luna præest. Ideò significauit iter magnum & diuturnum.

TEXTVS LXXXIX.

Omnino uerò beati aut miseri sunt quibus uel unus locus ab omnibus aut pluribus Aphesibus occupat, aut si hæ differãt, eadem tẽpora omnes plurimasúe obuiationes similiter beneficas aut maleficas cõplexa sunt.

Hoc est secundũ caput illustre ob cõcursum: Et hoc similiter habet duos modos, quorũ primus est quod quãdo quatuor ex quoq; Aphetis superius dictis scilicet Sol, Luna, Sors, ascẽdẽs, uel loco ascẽdẽtis cœli Mediũ in eadẽ parte unius signi fuerint, tunc tali nato aduenient omnia bona simul aut mala. Et hoc est ualidissimũ. Similis huic sed paulo imbecillior est, quando singuli Aphetæ sua loca seorsum habuerint sed casu euenit ut eodem tẽpore omnes aut saltẽ maxima pars obuiat malis radijs ac maleficis: Aut simul omnes aut maxima pars benefícis, tũc illi nato euenient simul plura bona aut mala. Velut cõtingit Iob (quanquã illud fuit supra naturã) ut breui diuitijs omnibus & filijs & sanitate priuatus fuerit. Et his quibus domus corruens uitã cũ bonis & familia tota aufert. Patet igitur quod in primis duobus modis declarat rem illustrẽ magnitudine, sed in uno tantũ genere: Insequentibus aũt illustrẽ nõ propter rei magnitudinẽ ut in reliqs præcedẽtibus, sed cõcursu multorũ bonorũ aut malorũ.

TEXTVS XC.

Hic igitur nobis est temporũ contemplandorũ modus, genera uerò decretorũ suis tẽporibus euenientiũ congerere hoc loco omittemus, ob illũ quẽ nobis scopũ proposuimus cum astrorũ efficientia generatim perspecta, partilioribus euentibus accommodari iusta ratione possit, si Mathematici causam eruditè cũ ea quæ ex temperatura nascitur comparemus.

Si memor es eorũ quæ in secundo libro scripsit, in futuris quæri solent quatuor, locus, tẽpus, genus, & modus. Verũ in tertio docuimus genus in publicis rebus ad modum in genituris priuatorum trãsferri oportere. Ita ut sit sensus quæ uerò speciatim unicuiq; homini tempore directionis & processuum & ingressuũ decernant, omittam scribere, quod iã sit per se notum, quia ex decretis generalibus iam superius his quatuor libris descriptis pateant, modo has considerationes mathematicas cum his quæ ex temperatura uniuscuiusq; oriuntur, cõparemus. Sed dices nónne etiã tempe ratura habetur ratione mathematica ut superius uisum est? Respõdeo quod licet hęc temperatura etiam ex astris haberi possit, nihilominus non tam exquisitè, ut Ptolemęus suadeat ut cum rempręmanibus habere possis, altius eam exquiras: nec quicquam habeas tutum cui inniti possis. Consulit igitur ut sensibus percepta cõpares his quę à genesi ac dependentibus ex illa decernuntur: Vtarisq; commode his quæ notissima iam habes in omni prædictione. Pro qua perfectius intelligẽda, cũ exempla melius moueant addiscentes, 12 præclaras euentibus maximis genituras subieci abundè mihi cognitas, è quibus etiam quædam sunt Regiæ, aliæ Illustrissimorum uirorum, quædam etiam priuatæ fortunæ, sed quas nec minus admiremur quam alias. Atq; in his exactam potius cognitionem, quã fortunę comparationem, secutus sum.

Cap. 4. com. 9

Lib. 3. cap. 15.

Quædam etiam pro usu, secundi libri, & scientia futurorum generalium euentuum, tametsi exigua & breuia, adieci.

Vale Antistes optime, & uiue felix.

HIERONYMI CARDANI MEDICI MEDIOLANENSIS, EXPOSITIONVM IN CL. PTOLEMAEI LIB. IIII. DE IVDICIIS, FINIS.

HIERONYMI CARdani Mediolanensis Medici Geniturarum exempla. Præterea & multa quæ ad interrogationes & electiones pertinent superaddita. Et exemplum eclipsis quam consecuta est grauissima pestis.


HIERONYMI CARDANI MEdiolanensis Medici in duodecim Geniturarum exempla,

PRAEFATIO.

HActenus igitur descripta est sententia Ptolemæi, scientiáq; ipsa tradita quantum ab homine fieri potest: ut si quid omnino desit in librum de Iudicijs denuò ædendũ coniiciatur. Quæ autem hic non tam absoluta sunt, hæc sunt: Cognitio totius cœli ocularis, stellarũ & situs. Emendatio quorundam quæ deesse uidentur ad exactam cognitionem locorum & motuum Saturni, Martis atque Mercurij. Accommodata descriptio significationum syderum in Europa, & præsertim in Italia. Tabula syderum quæ circa signiferum & quæ regia uocantur, etiam extra cum magnitudine, uiribus, locis, ascensione recta, & obliqua. Tractatus de mundi rebus generalibus, cum hæc pars paulò tenuius à Ptolemæo tradita sit, quàm pro tanto negotio expediret. Tabulæ quædam necessariæ pro quibusdam operationibus. Et cum his modus componendi instrumentum dirigendi exactissimum, & pro quacunq; altitudine, & pro quacunque stellarum latitudine, & pro quibuscunque circulis positionum. Quædam raro euenientium causæ & præcepta. Exempla non tam diligenter considerata, sed longè plura, utpote C C. geniturarum cum diuersis omnino casibus & mirabilibus, quædam etiã ad menses, dies & horas supputata. Hic uerò duodecim, ut pollicitus sumus geneses selegimus admiratione dignas, illustres euentibus & casibus, diligentissimè supputatas, quorũ uita nobis satis perspecta fuit. Harum septem sunt uiuentium, quatuor olim mortuorum: una quæ cœpta fuit dum uiueret, nunc interim cum ederetur mortui adolescentuli Regis Anglici Edoardi Sexti, quæ non solum fortuna quod Rex magnus fuerit, sed uirtute atq; casu fortunam superare nedum æquare potest,

HIERONYMI CARdani Mediolanensis Medici, Sereniſſimi Anglorum Regis Edoardi ſexti, Genitura prima.

NE te quod præfati ſumus amplius lector torqueã, miranda huius geneſis ſubiícere incipio. Primum eſt natiuitas ipſa per ſe admirabilis, nã excíſus ex utero materno fuit: ipſa mater parum, ut par erat, ſuperuixit. Pręſtabat enim ut reor hunc puerum nõ naſci, aut natum & educatum ſuperuíuere diutius. Aderant enim illi gratiæ. Linguas enim multas adhuc puer callebat: Latinã, Anglicã, Natalẽ, Gallicã, non expers, ut audío Grę cæ, Italícæ, & Hiſpanicæ, & forſan alíarum. Non illi diálecta deerat, nõ naturalis philoſophiæ principia, nõ muſica. Humanitas mortalitatis noſtræ imago, grauitas Regiæ Maieſtatis, indoles tãto Principe digna. In uniuerſum magno miraculo humanarũ rerum tanti ingeníj & tantæ expectatiõis puer educabaẽ. Non hæc Rhetoricè exornata ueritatem excedunt, ſed ſunt minora. Vt uerò harum geniturarum rationem reddam, Regiæ natalis exemplum primam habes. Quæ uirtute ad magnos honores ac Principis faſtum educta eſt, ſextam habes. Quæ ad Regiam dignitatem, ſed cum ſacerdotio decimã. Quę non adepta eſt ſed attigit, ſeptimã. Quæ aliena fortuna undecimã, ſimul & uiolenti exitus. Quæ ultimi fermè ſtatus eſt octaua. Amicitiæ non ſperatæ nona. Egregíj ſtatus publici uirtute & eruditione nõ mediocri quinta. Sicut pari ratione gratiæ Regiæ & maioris ſtatus quarta. Ad maxima negotia accommodati & cor-



poris formæraræ tertia. Eius qui ex humilimo ſtatu ad maximum per ſolam eruditionẽ aſcendit duodecima. Laborioſiſſimi morbi & prẽter id dexteritatis ſingularis ſecunda. Præterea ſi fortitudinem ſpectare libet uideas ſecundam & ſextam. Si efficatiam ſextam ac ſeptimam. Apponam & cõiugalis amoris & bene fortunati coniugij inſigne ac rarum exemplum. Multa præterea quæ ad interrogationes & electiones pertinent ſuperaddam. Et exemplum eclipſis quam conſecuta eſt grauiſſima peſtis.

Ex hac uerò geneſi ſex maximè notatu digna habebis. Primum quidem ordinem conſtituendi principia cuiuſcunq; cõſiderationis aſtronomicæ. Secundum matris mortem ſubitam & infantis ex utero excíſi rariſſimum exemplum. Tertium fortunæ Regiæ tam paternæ quàm propriæ hęreditario iure acquiſitæ argumentum: ut intelligamus de his non uerificari Ptolemæi dicta. Quartũ de cauſa ſingularis eruditionis. Quintum de uita quod non ſemper à principalis aphetæ incurſu interrumpitur. Sextum de ui Fati, qua quædam ſcire, alia pronũciare prohibemur. Quòd ad primum attinet, ſic negotium inſtituemus, in primo Planeta cuncta ad memoriam reuocantes: In alijs poſtmodum ſolum quæ ſunt propria, ut in exemplo.

Saturnus igitur hac in geneſi iuxta Ptolemæi ſententiam eſt potentiſſimus: à Sole enim primum habet ſtatum, auctus enim lumine & motu orientalis & in angulo licet iuxta finem, nocturnus tamen: latitudinem habet Septen. Aſcen. Par. 1. m̃. 36. cũ Borealiore Capitis Virginis quintæ magnitudinis de natura Mercurij & parum Martis. Aliquid prẽterea affine habet cum Cauda Leonis primæ magnitudinis naturę Saturni ac Veneris. Ipſe communis dominus eſt locorum luminarium, in ſigno calido & ſicco ſecundum ſubſtantiam, frigido & ſicco ſecundum qualitatem. Commune eſt hoc ſignum bicorporeum humanum: domus & altitudo Mercurij, trigonus Lunæ & Veneris, in Iouis finibus, in loco humido ſecundum qualitatem. Iupiter trigono applicat illi ob retroceſſum aliter ſeparans ſe: Venus autem corpore utroq; modo ſe illi applicat. Diſtantia à cœli medio Par. 119. m̃. 22. Hor. Temp. par. 16. m̃. 12. Signũ fœmineum & nocturnum atq; infelix: Nam in eo ambę beneficę cadunt: Et dum Sol in eo eſt, folia arborum cadere incipiunt.

Iupiter debiliſſimus inter primam ſtationem & oppoſitionem Solis, retrocedens in tertio ſtatu: calidus & ſiccus quo ad ſubſtantiam & calidus quo ad qualitatẽ, Occidẽtalis & nocturnus in ſigno fixo, calido, humido ſecundum ſubſtantiam, frigido & ſicco ſecundum qualitatem: fœmínino nocturno, in carpentis Veneris & Lunæ, & finibus proprijs, locus Martis eſt intuens. Auſtralis deſcendens Par. 1. m̃. 47. cum Capite Gorgonis ſecundę magnitudinis naturę Saturni & Iouis: Mars quadra-

to cius

to eius applicat mutuo, Luna ab eius trigono discedit. Discedit & natura à Saturni ac Veneris trigono, uerum casu mutuo illis applicat, in cœli medij apice. Coascēdit medio loco eius & cœli medij humerus dexter Persei, magnitudinis primę naturæ Saturni & Iouis. Succedūt illi Pleiades naturæ Martis & Lunæ. Distantia recta à cœli medio Par. 2. m̃. 21. Hor. Tem. Par. 19. m̃. 12.

Mars dominus est Sortis & loci Mercurij. Idem quadrato Ioui mutuo applicat & Mercuriū uenientē expectat. In secundo statu est Orientalis calidus & humidus secundum substantiam, siccus secundum qualitatem. In cadenti ab angulo, in carpento Solis, in Iouis trigono, in Mercurij finibus: In diurno & masculino signo calido & sicco substantia atque qualitate, fixo & ualido, intuens, ut dixi Iouem. Commixtus duabus stellis quartæ magnitudinis propriæ naturæ, atque Saturni. Latitudinem habet Borealem, ascedentem Par. 1. m̃. 2. Dis. Rect. Par. 84. m̃. 28. Hor. Temp. Par. 19. m̃. 20.

Sol dominus loci Martis undequaque debilis est nisi quod in signo est masculino: Nam cadit ab altitudine ab angulo, mediocris motu, nocturnus, in domo Veneris, carpento Saturni, trigono Mercurij, finibus Martis, qualitate humidus: In signo frigido & sicco secundum substantiam, calido & humido secundum qualitatem, mobili & æquinoctio. Dis. Rect. Par. 157. m̃. 32. Hor. Temp. Par. 12. m̃. 28.

Venus domina loci Solis, Iouis & cœli medij, nō dicitur applicare Ioui, quia Saturnus intercipit: Applicat uerè Saturno. In domo altitudine & finibus Mercurij. In trigono Lunę, proprioq;. In tertio est statu matutinæ Occidentalis, est enim cursu uelox. Cum stella est quartæ magnitudinis naturæ Veneris & Mercurij. Ipsa latitudinem habet Meridianam ascendentem Par. 0. m̃. 20. Cauda Leonis primæ magnitudinis naturæ Saturni & Veneris inter ipsam & Saturnum posita est. Frigida & sicca secundum substantiam, humida secundum qualitatem. In casu proprio ab altitudine in signo Saturni & in angulo. Dif. Rect. Par. 114. m̃. 30. Hor. Temp. Par. 16. m̃. 37.

Mercurius in primo statu uespertino Orientali licet nondum oriatur. Est enim uelocissimus in domo trigono & finibus Martis, sed & Luna secundum possidet trigonum: Cum luminosiore lancis Meridionalis secundæ magnitudinis naturæ propriæ & Martis. Applicans Marti quadrato & Lunā uenientē quadrato excipiens, calidus & humidus secundum substantiā, humidus secundū qualitatē. In signo fœminino fixo nocturno frigido et sicco secūdum substantiā, frigido & humido secūdum qualitatē. Pessimo & uenefico. In mūdo debilis. Dominus Horoscopi loci Saturni atq; Veneris, nocturnus: latitudinē habet Meridionalē descendentē. Par. 1, m̃. 20, Dif. Rec. Par. 164. m̃. 45. Hor. Temp. Par. 11. m̃. 50.

Luna in fine quintæ domus & à Solis quadrato diſcedens ad oppoſitumq; Martis tendens (Quod in prima cõſtitutione à me prętermiſſum eſt) in abſidis oppoſito. In caſu ſuo, in domo & finibus Saturni, in altitudine Martis, in proprio deinde Veneris trigono calida & humida æqualiter ſecundum ſubſtantiam, frigido ſecundum qualitatem, domina cœli medij & loci Iouis: In ſigno mobili fœminino nocturno, frigido & humido ſecundum ſubſtantiam, frigido & ſicco ſecundum qualitatem. Latitudinem habens Meridionalem deſcendentem Par. 4. m̃. 28. Dif. Rec. Par. 72. m̃. 21. loci oppoſiti Hor. Temp. Par. 20. m̃. 10.

Cœli autem medium in feliciſſimo eſt ſigno & optimo. Cęterum quæ dicta ſunt de Iouis loco de hoc eodem dicta intelligantur.

Aſcendens eſt penultima Leonis pars. Cæterum ſignum Virginis totum fermè horoſcopum poſſidet. Quæ dicta ſunt de ſigno. Finis Martis ei obedit, locus Mercurij, Radij quoq; illius, ſextiles ibi & trigoni Iouis & Saturni, & Veneris præſentia & ſtellæ quæ cum illis. Hæ autẽ dictæ ſunt. Differentia recta Par. 104. m̃. 32. Hor. Temp. Par. 17. m̃. 45.

Sors eſt in domo & trigono Martis, inde Lunæ & finibus Saturni, in ſigno eodem cum Mercurio, ibi requiras qualitates, in ſextili Lunæ & iuxta anguli finem, loci oppoſiti, Differ. Rect. Par. 11. m̃. 0. Hor. Temp. Par. 20. m̃. 2.

De uero tempore genituræ.

Saturnus fuit dñs loci nouilunij & ipſe fuit in decima ſeptima parte ſigni, ideo etiã cœli mediũ. Præterea anno decimo quo Lunæ trigonus ad cœli culmen peruenit conturbatio in regno facta eſt. Alij deduxerunt cœli medium ad trigonum Lunæ pro regno adipiſcendo. Et ita poſuerunt ſecundam partem Virginis in horoſcopo, ſed nõ eſt iuxta Ptolemæi ſententiam. Atq; hæc de initijs quæ præponenda ſunt in genituris, nam de ordine Capitum non eſt hic locus cum ad perfectam ætatem haud peruenerit. Abſoluimus igitur primum.

De utroq; parente.

Patris ſignificator eſt Saturnus, utramque beneficam ex angulo recipiens unde optimè diſpoſitus uidetur. Sol uerò cum dirigitur ad Martis infelicis quadratum in annis nouem ſignificabat mortẽ ex hydrope, quia erat radius ex loco infelici Veneri in locum infelicem cum Saturni mixtione, & ex ſignis longarum aſcenſionum atque ex prima in quartã. Erãt enim Veneris radij ſextiles infelices. Atq; ita multipliciter Sol eo tempore afflictus eſt. Antea autem cum peruenit ad Mercurĩ, ſignificauit expeditionem bellicam contra Regem Gallorum factam ſimul cum exitu extra patriam. Et hæc ut dixi in primogenitæ natiuitate fuiſſent cõſpicua.

Matris autem utraq; ſignificatrix damnata eſt, Luna cadens in Capricorno in dignitatibus maleficarũ, cadens ab angulo ſub terra in quadrato Solis

to Solis infelicis iens ad oppositum Martis, significauit mortem immi-
nentem & aliquam dilacerationem ex ferro, neque beneficarum ulla Lu
nam aspiciebat, Venus quoque in suo casu cui succædebat Saturnus & il
li applicabat significauit deesse suppetias. Sed cum Sol infelix in qua-
drato Lunæ esset, non diligere uxores patrem declarabat. Habuit enim
pater sex uxores & ex his duas repudiauit quæ legitimæ erant, duas ca-
pite propter adulterium puniuit, tertiam in partu execto infante ami-
sit. Rara historia, sed tamen hæc nostra ætate tota peracta sunt. Habes
igitur secundum considerationem dignum.

De fratribus ac sororibus.

Luna multipliciter afflicta & cœli medium in trino Saturni qui est in
sterili signo declarant nullum fratrẽ aut sororem ex eadem matre, nam
paternos non curat Ptolemæus, tametsi paternas sorores duas superstiti-
tes esse constet.

De sexu, numero, perfectione, & nutritione.

Quia ista iam nota sunt nolim hanc ostentationem sequi. Quia tamen
Saturnus est in horoscopo & utriq; dominus trigoni eius debilis secun-
dum substantiam, & signum horoscopi non ualdè uitale, significauit de-
bilem uitam in pueritia: Et uestigium in facie quod mors immatura præ-
uenit. Fuit de cætero formosus ob ætatem & parentes qui pulchri fue-
runt & Venerem in ascendente, unicus & sine labe etiam nutritus.

De duobus præcipuis in hac genesi considerandis.

Duo maxima mala habet hæc genesis & rara certè: Primum quod am
bo luminaria sunt in casu suo & inuicẽ quadrato radio disiuncta, & Ve-
nus etiam in casu, & Iupiter debilis & peregrinus. Secũdum quod etiam
est deterius est quod omnia loca præcipua sunt in dignitatibus malefica
rum, & maleficæ fermè super omnia eleuantur. Saturnus tamen à Ioue
multum mitigatur, sed Mars nimium sæuit, in quadrato enim Mercurij
& duodecimo loco Solem & Lunam uenientem quadrato excipit, in si-
gno fixo & sæuo, quo fit ut patrem & matrem & ipsum fuerit interem-
pturus. Sed diuersis modis patrem commixtus Veneri & Saturno, ideò
hydrope, ut dixi. Matrem Soli cõmixtus, ideo repente. Ipsum solus con
geminatus, ut suo loco uidebitur. Cum igitur ex primo omnia loca opti
ma luminaria & beneficæ ambæ etiam Sors sint impedita & in casu. Ex
secũdo omnia in potestate maleficarum, misero huic adolescentulo mul-
ta & magna inconuenientia accidere necesse erat. Quæ tum tamẽ ob Io-
uis situm mitiganda tandem & in melius mutanda decernebatur præter
ea quæ ad uitam pertinebant, nam in ea ut uiderc licet beneficæ nullas
afferebant suppetias. Si uixisset sero tamen hæreditario iure regnũ non
parum erat aucturus. Hæc genesis nostræ ad unguẽ cõtraria est in hoc,

quod multos Planetas habet situ ualidos, pauciſsimos in beneficarum dignitatibus: noſtra pauciſſimos ſitu ualidos, imò uix louẽ ſolum, omnes tamen in dignitatibus beneficarum, quod ſatis mirum eſt,

De forma corporis.

Ordo dicẽdorum & hiſtoria ſubſecutæ rei poſtulant ne cogar eadem bis dicere, ut caput de uita ultimũ faciam, nec omnino prẽter rationem, nã ut uita omnia præcedit, atq; ob id præponi eius caput debet, ita mors omnia ſubſequitur, atq; ita poſtponi: Cum igitur mors uitæ coniuncta ſit, ut uitæ ratione cũctis præponi poterat, ita mortis cõuenienter poſtponi. Fuit igitur ſtatura infra mediocrẽ paululum, candido uultu, oculis cæſijs, grauitate aſpectus, decorus & formoſus. Vitijs potius quàm morbis corporis ſubiectus, quod maleficæ à Sole eſſent Orientales. Habuit igitur ſpatulam paulo ampliorem, hæc aut ad mõſtroſam formam non pertinent, & ſi à natiuitate contracta. Quæ uerò non perpetuo manent morbi dicuntur, ut cæcitas, ſurditas ad tempus, nec ex aphetarum directionibus pendent. Febres autem & morbi generales & graues fiunt ex aphetarũ directiõe ualida aut debiliore cũ proceſsibus atq; ingreſſibus.

De diuitijs.

Sors malè poſita eſt & in maleficarum poteſtate, & Mars malè quoq; poſitus eſt: Et ſignificat dilapidationem patrimonij. Luna tamẽ adiuuat ſextili debili, quoniam infelix eſt. Sed Sol in Libra cum regnum ſit ſub Ariete ſeditiones denũtiat, ut etiam Pleiades in cœli medio. Succeſsibus tamen temporum cum Saturnus Veneri iungatur, felicitates inter polis uiciſſitudinibus,

De amicis, inimicis & ſeruis.

Amicos & inimicos non ex propria cuiuſque geneſi agnoſci poſſe docuimus. Attamen loci illi quatuor principales conſiderandi. Ex Leone & Aquario, tamẽ prẽcipuè ſumendi, quia hæc ſigna ſunt inconiuncta aſcendenti & Lunæ, maximè ſi Virginis initium in aſcendente ponat & quia Mars eſt in horum altero in alterius autem oppoſiti. Qui uerò Lunam habent in Cancro aut Piſcibus hi omnino fideliſſimi. Præterea iuxta noſtra principia maleficæ in locis oppoſitis, aut inconiunctis & ad maleficas aliquando faciunt odiſſe. Amici uoluptatis cauſa ex Virgine & fine Leonis. Ex Libra & Scorpionis initio, item Capricorno & initio Aquarij utiles ſed ab his non prioribus prodetur. Ex Scorpione in fine propter ſortem & initium Sagittarij. Inimici igitur relinquũtur ex Leonis & Aquarij prima medietate ut dictum eſt, & Piſcium ſecũda medietate, propter locum Saturni & horoſcopi. Serui igitur neque ualde & fortes atque ei infidi, ex Aquarijq; præcipuè initio ob Martis oppoſitum.

De iti-

De itineribus.

Itinera conficiet nõ longa ad Austrum & Boream ob latitudines, & magis ad Orientem propter Martis & Lunæ situm quàm ad Occidentem. Situm tamen regionis considerare expedit in Rege & conuersionis necessitatem. Et cũ Luna cadat in quadrupede & Mars à Mercurio affligatur, offensiones suo tempore à quadrupedibus significabit.

De honoribus & dignitate.

Rex hic genesim habuit quinti status & tamen hæreditario iure adeptus est regnum. Patet ergo ea quæ dicta sunt à Ptolemæo de fortuna honoris & dignitatis ad patris statum in comparatione esse intelligenda, nec tenere in iure hæreditario, sed uelut in sacerdotij ordinibus, in his enim maximè uerãtur quæ à Ptolemæo scripta sunt atq; similibus. Fiunt Pontifices ex priuatis & humilibus uiris atq; plebeis. Ex hoc igitur habes tertium insigne.

De animi qualitatibus.

Dominus loci Lunæ & Mercurij cõmunis est Luna. Proprij & efficaces Saturnus & Mars. Saturnus fuit in ascendente & in domo Mercurij, & Mars recepit Mercurium. Fuit in hoc monstrificus puellus hic, linguas iam septem, ut audio, perdidicerat, Propriam, Gallicam, & Latinam exactè tenebat. Dialecticè nõ expers & ad omnia docilis. Cum illo cõgressus decimũquintũ adhuc agebat annũ, interrogauit (Latinè non minus quàm ego politè & promptè loquebatur) quid cõtinent libri tui de Rerum uarietate rari? Hos enim nomini M.S. dedicauerã. Tum ego Cometarum primum causam diu frustra quæsitã in primo capite ostendo. Quænam? inquit ille. Concursus, ego aio luminis, erraticorum syderum. At Rex quomodo cum diuersis motibus astra moueantur nõ statim dissipatur aut mouetur illorũ motu? At ego mouetur equidem sed longe celerius illis ob diuersitatẽ aspectus, uelut in crystallo & Sole cum iris in pariete relucet. Parua enim mutatio magnam facit loci differentiam. At Rex: & quonã pacto absq; subiecto illud fieri potest, iridi enim paries subiectum. Tum ego uelut in lactea uia, & luminum reflexione, cum plures candelæ propè accensæ medium quoddam lucidum & candidum efficiunt. Itaq; ex ungue Leonem, ut dici solet. Fuit hic in maxima omnium aut bonorum, aut eruditorum expectatione, ob ingenuitatem atque suauitatem morum. Prius cœperat fauere artibus quam nosceret, & noscere antequam uti posset. Conatus quidam humanæ conditionis, quẽ non solum Anglia, sed orbis ereptũ immaturè deflere debet. Plurimum educationi debueramus, plus ereptum est hominum dolo fraudeue. O quam bene dixerat ille:

Immodicis breuis est ætas & rara senectus.

Specimen uirtutis exhibere potuit, non exemplum.

Fletè

Flete nefas magnum, sed toto flebitis orbe
Mortales: uester corruit omnis honor,
Nam Regum decus, & iuuenum flos, spesq; bonorum,
Delitiæ secli & gloria gentis erat.
Dignus Apollineis lachrymis, doctæq; Mineruæ
Flosculus, heu miserè concidis ante diem.
Te tumulo dabimus Musæ, supremaq; flentes
Munera, Melpomene tristia fata canet.

Vbi grauitas regia requirebatur, senem uidisses, ut blandus erat & comis ætatem referebat. Cheli pulsabat, publicis negotijs admouebatur, liberalis animo atque in his patrem æmulabat. Qui dum nimium bonus esse studuit, malus uideri poterat. Sed à filio aberat suspitio criminis, indoles philosophiæ studijs exculta fuit. Cæterum quod ad astra attinet Mercurius in statu uespertino ascendens respexit cui dominabatur, & adhuc sub radijs erat, Mars autem & Saturnus Orientalis & robusti, maximeq; Saturnus, ac bene dispositi, animam liberam reddunt. Hoc autem est quartum insigne.

De uitæ spatio.

De uitæ uerò spatio ultimo dicendum est, quoniam ut præfati sumus cum morte coniunctum est. Dicam aũt quæ primo scripseram, ut etiam in præcedentibus quorum extat apud Regios exemplar. Vita debilis omnino erit nam luminaria infra terram sunt, & Venus quæ in ascendente est infelix est, & Saturnus illi succedit, ascendens quoq; ex signis minimè uitalibus. Saturnus tamen aut Venus apheta est. Ascendens ad Saturnum peruenit in annis 23. mensibus 9. diebus 22. Et tunc animi & corporis langorem patietur. Saturnus quoq; ad Martis sextilem in annis 34. mensibus 5. diebus 20. Et significat morbum in cute & febrem leuem. Sed & ad Lunæ quadratũ in annis 55. mensibus 3. diebus 17. Post quod tempus diuersis conflictabitur morbis. Cumq; Mars sit Anæreta erit mors cum sanguinis profluuio & feruore maximo.

In uniuersum quo aduixerit erit constans, rigidus, seuerus, continẽs, intelligens, æqui custos, laborum patiens, iuiuriarum & beneficiorum memor, terribilis, cupidus, laborabit uitijs circa uenerea, & generandi impotentia patietur. Erit sapientissimus, & ob id omnibus gẽtibus admirabilis: prudentissimus, magnanimus, felix, ac quasi alter Salomon.

Quæ post consideraui de eodem.

Deduxi post modum oppositũ Martis ad Lunam hoc modo, ut præcipit Ptolemæus, & fuit distãtia Par. 15. m̃. 7. quæsi iungat parti septuagesimę secundæ, pertinget oppositum Martis ad Lunam in annis 15. mensibusq; 4. quo tempore imminebant insidiæ à seruis proprijs & periculum ui-

Oppositi Lunæ.			
72	21	20	10
84	28	19	20

lum uitæ. Eodem tempore peruenit Sol ad quadratum Martis, hoc modo in annis 14. cõpletis paulò plus. Hoc igitur tempore expresse imminebat periculum amissionis etiam regni rebellionis causa. Consului igitur processus & ingressus anni 16. & fuerunt, ut uides. Et manifestum est quod nõ poterat euadere, quia eodem tempore Sol peruenit per processum ad locum Lunæ inimicæ in radice, & uicissim Luna ad oppositum Solis inimici. Et per directionẽ, ut dictũ est Sol ad quadratũ Martis sub Sextili lõgo Saturni. Et Luna ad oppositũ Martis & in ingressu ad locum Martis & ibi Mars ut nil euidentius. Bifariam enim Sol directione & processu afficiebatur, & Luna quadrifariam, trifariam à Marte directione, corpore, & radice, Sol etiã à Marte. Vnde ab improbo seruo insidias minabat. Cumq; ibi esset nodus etiã uenenum, quod utinã abfuerit. Saturni aũt cum Ioue oppositio alia significabat circa causas tanti opificij, de quibus non est propositum. Sic igitur misellus ille adolescentulus suorum proditione interceptus obijt. Anno ætatis 15. mensibus 8. diebus 28. expletis. Scilicet anno Dñi 1553 die 6. Iulij, ex febre tabifica cũ æstu, fluente per os sanguine.

Oppositi Solis.			
22	28	17	32
38	4	18	32

	Proces.		Dir.		Ingressus	
Sol	28.6	♍	12	♏	28.6	♎
Lunã	28.44	♈	10.16	♒	8.4	♌
Ascendens	29	♏	Saturn.	27	44	♒
Cœlimed.	17	♌	Iupiter	28	45	♌
Sors	29.38	♒	Mars	3	48	♌
			Venus	0	3	♏
			Mercur.	18	18	♏
			Caput	14	17	♌

Ex quo patet quod non debemus pronuntiare de uitæ spatio in debilibus genituris, nisi prius consultis directionibus omnibus aphetarum, processibus, & ingressibus. Et nisi esset quod ego in prognostico quod illis dederam ad hæc me reseruassem, iure poterant de me conqueri. Sed maior huius fuit causa quam statim subijciam: Hoc igitur est quintum.

Fatum.


Ecce fatum, consumpseram in condendo prognostico horas circiter C. solitus Aphetas omnes dirigere, si mediam horã adiecissem poteram & Solem, & Lunam dirigere, quibus directis, ut clarum est, periculum è uestigio apparuisset. Non cõfisus directioni, statim ad processus & ingressus uenissem, tunc res ipsa patuisset, mortis periculum, neque enim tantus sum, ut audeam dicere certam mortem (quanquã & illa tuto posset cum tot testimonijs unà consentientibus pronũciari) proditio, tumultus, regni translatio, & cætera quæ sequuntur: Nam naturæ bonitate cogebar prædicere. Inde qui metus, suspitiones Regi? At mihi certè maxima pericula incumbebant. Cogebar sententiam meam dicere. Qui terrores, quæ uoces, alij inanem & stultũ prædicassent, alij pecunia ab aliquo Principe corruptum dolo agere, ut aliquem euerterem, aut Regis mẽtem

alienas-

alienarem, alij spe corradendæ pecuniæ ista commentum. Vnde mihi auxilium, aut spes ulla inter gentes ignotas, quæ nec suis parcunt, præsertim Rege adhuc puero qui nec seipsum nedum me tutari ualuisset? Cum maximè credulam pueri mentem, hi in quorum potestate erat & quibus mens patrandi facinus, infensam mihi facile reddidissent. Itaq; certum erat non redire in patriam, & si optimè res cessisset cum quo pręmio tanti periculi & perturbationis animi. Memini me legisse duos exitium prædixisse Principibus, Ascletarionẽ Domitiano qui statim præmium tulit ueræ prædictionis, mortẽ: Et sacerdotẽ Duci Galeazio Sforti& ipsum uerè, qui in carcerẽ cõiectus fameq; crudelissimè enectus est, cum aliquot diebus uitam lotij proprij potu protraxisset. Forsan & Rex periculum uitasset, uel quia proditor metu rem distulisset, uel alia uia. At mihi ex innata synceritate & quod miserũ adolescẽtem amarem, sortisq; eius misererer, certũ erat etiam cum manifesto uitæ discrimine omnia patefacere. Quamuis futurum crederem, ut me irriderent. Ergo uolentibus fatis, nec singularis huius artis cognitio prodesse Regi potuit: nec bonitas atque simplicitas ingenij mihi obesse. Simili prouidẽtia seruatus sum cum in Scotia usque ad Aprilem præsentis anni manere debuissem hortante atque rogante te Antistes optimè. Certũ enim est si mansissem simili ratione in reditu qui contigisset tempore quo iam Rex morbo laborabat, in casses incisurũ. Itaq; pro duplici periculo à quo seruatus sum gratias omnipotenti Deo ago. Potuissem sanè more quorundam astrologorum fingere me nouisse quæ uentura essent, tacuisse ob timorem, facile hoc erat in re tam conspicua, sed tantum abfuit, ut uel de hoc cogitarem quantò minus ut præuiderim. Præuidebam certè, sed alia ratione, cum omnia in unius potestate esse cernerem, puerum, arces, thęsaurum, senatum, classem. Filios enim quibus præesse non poterat, præfecerat: Atq; eius cuius patrem Regis pater capite mulctauerat, ipse uerò duobus maternis patruis uicissim dãnatis atq; capite mulctatis interuerterat omnia, ut non magis odio quàm metu in Regis necem conspirare cogeretur. Cumq; omnibus silentibus præ metu (multos enim iudicio quos libuerat damnauit) patritiorum pleroscq; distributis ecclesiæ bonis sibi conciliasset, ut omnia unius arbitrio agerentur, atq; eius iure Regis inimicissimi, commota mihi nausea, misertusq; Regiæ cõditionis, melior uates natali prudentia, quam artis huius peritia, statim discessi, ominatus simul ingens malum, ac territus.

Verum postquam huius Regis mentionẽ feci, patris eius schema subijcere placuit: in quo tria maxima cernere licet. Primũ quod ut dixi cum sex uxores duxisset, duas repudiauit, totidem capite mulctauit. Fuit Venus cũ Cauda & Lampade stella naturæ Martis, & Luna in occiduo cardine in Martis dignitatibus. Mars uerò in Virgine infelici signo & quadrato

drato Iouis infelicis. Mutauit præterea legem ob hanc causam Pontifici Maximo succẽsens.




Id contigit ob Veneris situ & ea quæ illi adhærere diximus. Oportuit & aliquid habere cum constellatione sectam significãte. Et aliquas eclipses præcessisse, quę longum esset persequi. (Ex his duobus cum alijs causis factum est quod Antistes Lexouiensis mihi narrabat Besuntij, scilicet ut biennio antequã periret inuẽta sint LXXII millia hominũ, iudicio, & carnifice sub hoc Rege, qui tamẽ uix unius insulæ dominus est, perijsse. Vt parũ mirari liceat, Imperatores Romanos totius orbis dominos & Ethnicos fęuijsse, cum pauci illorũ in tanto imperio hunc numerum excesserint.) Præter hęc fuit ditissimus Rex propter Sortis & Iouis situ, cuius opulentiæ partem maximam absumpsit ob quadratum Martis inimici. Iupiter enim cadit tam in Virgine quam in Geminis. Fuit etiã munificus, liberalis, & splendidissimus, nec à Musarũ cultu alienus. Quid forsan si Thomam Morum non occidisset uirum bonum, eruditum & (ut reor) insontem, & excusari poterat, & semini suo causas tantarum calamitatũ non reliquisset. Discite uos Reges sacratis parcere Musis. Si enim bonis non sit securitas frustra quisquam bonus esse uelit.

Illustrissimi Archiepiscopi B. Andreæ Scoti Ioannis Amulthonis, Genitura Secunda.

NOn hic Encomiũ uirtutis tuæ scribere propositũ est, sed exempla magnifica, ob id constantiæ, summæ prudentiæ & humanitatis ac patientiæ iconem habent lectores, tũ morbi fermè inexpugnabilis. Simul & testimonium peritiæ nostræ in

hac arte, & ueritatis ipsius artis. Aequalia enim sunt causas ex effectibus prædicere & ex causis effectus: licet hoc maius uideat. Cũ enim Guglielmus Casanatus morbi uim ac pertinatiã mihi exposuisset, (atq; is nũc uiuit medicus insignis, cuius genesim inferius exponã, dixi oportere illi Saturnũ esse in sexto loco, & Lunã tam propriè, ut per directionem iuxta tempus quo morbus cœperat illi applicaret. Itaq; post aliquot dies habito tẽpore, utrũq; uerũ inuentũ est. Retulitq; id Cel. tuæ, Antistes maximè, nõ sine admiratiõe. Quòd si partã gloriã, id est, iam certam sauciare non extimuissem, ausus fuissem adijcere quod in Scorpione, quia solũ id signum fixum inter aquea. Morbus autem ex pituita & plus quam inexpugnabilis. Sed tacui hoc, contentus potius mediocri gloria sed tuta, quã maxima atq; dubia.



Motus		Latit.				Stellæ fixæ	
Sol	Velox	Coascend.				Dex. Hum. Aur. ♂ ☉ ☿	
Luna	Tardiß.	M	A	3	17		
Saturnus	Fª Stat.	S	A	2	40	cum * 3ª M	♂ ☿
Iupiter	Velociß.	M	A	0	54		
Mars	Velox	S	D	0	48	cum * 4ª M	♄ ☿
Venus	Tarda	S	D	4	40		
Mercurius	Velociß.	M	A	1	15	Coascend. Ala Pcg.	♂ ☉ ☿
Cœl. M.	Cum stellis naturæ ☉ parum ☿						
Ascendens	Lampadias naturæ ♂						
Sors							

Non in omnibus omnia præstamus, sed perfectio ex multis colligẽda est. Prædixi & hoc Casanato cum Lunã in parte 26 Virginis inuenissem in Ephemeride perpetuo errorem esse in illius loco. Nam oportere existimaui quo anno illa inspirandi difficultate correpta est Cel. T. Fuit autem 31. Lunam ad Saturnum peruenire, atque ita euenit. Erat autem Saturnus quadrifariam pessimè affectus in sexto loco in casu Lunæ, in signo fixo & malefico & cum inerrante malefica. Præterea in signo aqueo & stans, ut nihil durius uel cogitatione ad morbi prauitatem addi posset. Eodem etiam anno Sol peruenit ad Leonem signum in quod cadunt radij inimici Solis, Mercurij & Martis

Martis atq; Saturni. Et ibi plures stellæ naturę humidæ & frigidę. Nulli præterea radij beneficarum, quare Leo est signũ infelicissimum. Et significat cor & pectus: Et ob id cum Sol Leonem ingreditur à medio Julij ad medium Augusti, pessimè afficitur. Sol enim ex potentia ad actum educit promissa.

Quo ad radicem, Sol est Apheta in Aquario afflictus à Marte quadrato & à Mercurio. Et ideò direxi ipsum ad Saturni oppositum & in annis 48. perueniet ad ipsum, quo tempore uix euadet. Et aderit periculum ueneni, & cordis passio. Et hoc si euaserit 1554. in cuius initio, & est 43 ętatis, Luna combusta erit iuncta Martí & Mercurio, in dignitatibus maleficarũ. Processus hi ☉ 24 ♌, Ascendẽs 2 ♎, Luna 9 ♓, Cœli mediũ 27 ♋, Sors 17 ♊. Solis igitur locus ab opposito Lunæ & Martis & Mercurij in reditu affligitur.

De difficilimo suppositionum modo in proprijs temporibus decernendis.

Videtur autem illius anni periculosius tempus à die 20. hor. post meridiem 10. m. 30. mensis Julij usq; ad 14. diem, hor. 21. mẽsis Septẽbris. Hoc autem distinguere magno labore & diligẽtia indiget cum sit difficilius cognitiõe anni, quæ satis clara est propter quinq; causas. Prima est quod in annis directio exquisita non errat, in mensibus & diebus non satisfacit, tum quia locus erraticarum in minutis nõ est exploratus, tum etiam quia tabulæ in tot supputationibus aliquid erroris minimi cõtinent. Secunda quia processus annui simplices sunt & primi & ad loca directionum Aphetarum, quæ sunt eadem locis corporum aut radijs Anæretarum. In mẽsibus uerò est dubium an ad loca processuum & ingressuum reditus anni an radicis sint comparandi. In annis præterea quod maximum est initium, seu causa effectus, & perfectio et finis fermè semper ob anni prolixitatem in idem incidunt, non in mensibus aut diebus. Videntur tamẽ obseruasse finem Asclętarion & Franciscus Maria Ferrariensis. Horum enim duorum tantum memoria extat tam exquisitissimæ cognitionis. Sed in his quoniam uoluntaria erant finis non differt à perfectione sed tantum à causa. Quarta est quoniam concausæ exteriores, ut in creando Pontifice prioris mors in eundem annũ facilius coincidunt quàm mensem & multo minus diem. Vltima quia circuitus in anno semper cõplentur, aut saltem medietates, in mensibus non ita, nec est certum quid præponere debeamus ex multis, utpote oppositionem integræ restitutioni. Hæ autem persæpe ambę in eodem anno continentur. Ex hoc habetur quod ad inuenienda tempora propria necessaria sunt quinq;, primum directio exquisitissima, quia contingunt promissa circa tẽpus exactæ directionis ferè semper. Secundum est ingressus Solis in locũ Anæretæ cum obseruatione distantiæ. Tertium processus deteriores in comparatione ad processum anni, seu radicem, & est locus Anęretę, seu promissoris

missoris ad quẽ directione pertingit significator. Quartũ reditus domini loci & maxime finis per integros circuitus, aut ad locũ sibi oppositum. Quintum ingressus & cõgressus Planetarum in loca principalia figuræ. Veluti primus circuitus Saturni est augumẽti in corpore, secũdus status, tertius declinationis. Iouis primus circuitus est incrementi, secundus status incrementi, tertius declinationis incrementi. Quartus honoris & sapientiæ initium continet, quintus statum, sextus declarationem.

Redeo ad institutum Venus potens & Luna decernunt matri longam uitam, patri non ita, cum Sol à Marte affligatur, & Saturnus in sexto loco debilis & stans sit.

Circa mores optimi sunt decreti à Saturno, Ioui & Mercurio cõmixto. Mercurius à Saturno obsessus ex signo muto impedimentum in lingua significat. Cæterum animo Cæsareo & planè inuicto. Splendidissimumq; statum ob sydera fixa in ascendente & cœli medio constituta.

Luna in opposito Iouis ad trigonum Veneris pergens multas adducit felicitates, sed tamen plenas anxietatis & periculi.

Causa concordiæ cum octaua genesi & amoris erga nos quintuplex est. Vbi Celsitas tua habet, Caput, ego Venerẽ & Mercurium, ubi Venerem, ego Cœli medium, ubi Iouem, ego Lunã & in opposito Lunæ Celtuæ. Vbi Saturnum, ego in opposito Iouem & ascendens, quod causam amicitiæ significat, scilicet oppugnãdi morbum. Anno 1551. quo amicitiam inij Sors mea directione fermè peruenit ad locum Sortis Celsitatis T. ut omnibus liquet.


Illustriss. Principis Badolfiæ Claudi Laualli, Genitura tertia.

IT fortuna & ingenio & moribus & corporis forma genesis hęc admirabilis est. Vir est procerus, iusta magnitudine satis maior, oboesus & crassus. Cũq; hac forma ingeniosus, mathematicarum non ignarus, ciuilis, magnificus, comis. In rebus etiam agendis callidus, prudens, impiger. Quiq; multum suo Regi sua sagacitate contulit. Causa amicitiæ cũ Rege suo est locus Solis idem. Et locus Veneris huic, est ascendens fermè Regi. Legatus est Regis Gallorum apud Regem Anglorum. Sępius præfatus sum omnia quę dicuntur intelligi debere si non repugnauerint constitutiones generales: Terræmotus, naufragiũ, bellum, pestis, annonæ penuria, seditio, lex noua.

Stellæ splendidæ.

Cum Saturno coascendit Scorpij cor naturæ Iouis & Martis cũ Marte stellula quartæ magnitudinis naturę ♂, Venus cum Ala Pegasi magnitudinis

tudinis ſecundæ naturæ Martis & Mercurij. Mercurius cum ſplendida in lino Piſcium magnitudinis quartæ naturæ Saturni, parũ Mercurij. Luna cũ ceruice Leonis naturæ Saturni, parũq; Mercurij coaſcẽdit, & fermè cũ dextro humero Perſei naturæ Saturni & Iouis. Aſcendens in initio Lacteę uię. Cœli medium cum extrema caudæ Vrſæ maioris naturæ, Veneris & Lunæ. Occidens autem deſcẽdit cum capite Meduſæ naturæ Saturni & Iouis & eſt cum dextro humero Aurigæ naturę Martis, & Mercurij. Sors cum ſplendidis quæ in Argo naturæ Saturni & Iouis. Dicemus autem ſignificata expoſitis his prius quæ ad directiones pertinent.



De parentibus.

Luna in quadrato maleficarum & Venus cadens & retrograda breuem uitam & debilem matri portenderunt. Saturnus in oppoſito Martis & Sol cadens ab angulo, patri difficultates & morbos ac triſtitias ſignificabãt. Quia tamen Saturno in horoſcopo poſito Luna fit Apheta in nona & Sol cadit in angulo, ſuperuixit annis 34. Vixit autem 68. Quod uitæ ſpatium in Gallia prolixum eſt.

	Differentia Recta C	M		Hor. Temp. G	M	
Cœli Med.	211	15				
Aſcendens	61	7		10	15	
For. Pars	19	35	op.	11	55	op.
Saturnus	43	12		10	40	
Iupiter	48	35	op.	10	30	op.
Mars	44	16	op.	10	40	op.
Sol	172	48		13	55	
Venus	159	53		14	54	
Mercurius	172	9		14	5	
Luna	43	40	An.	16	45	

De fratribus & ſororibus.

Iupiter aſpiciens Lunam unum decernit fratrem. Sorores quoq; tres quia occidentalis ab oppoſitione. Et Luna etiam & uterque in ſigno bicorporeo. Plerique ob maleficas ante illum morientur.

ATENEO VENETO VENEZIA

De sexu, numero perfectione & nutritione.


Luna malè affecta in primis quatuor annis detrimẽta significauit. Sol liber & maleficæ cadentes nutritionem securam. Reliqua ut aliâs dixi potius ex generatione pendent. Ascendens Luna & dominus ascendentis in bicorporeis, Geminos nasci, aut eum qui natus sit duorum uicẽ corporis magnitudine indicabant.

De uita & morte.

Non est exquisitè tempus notum: Ideò neque tuto de annis pronunciare licet. Ascendens est Apheta, cũ peruenerit ad ipsum 7. Pisciũ pars, morietur proculdubio. Hoc autẽ erit post quinquagesimũ quintũ annum ad minus ex directione. Subsequentes igitur processus oportebit explorare usq; ad sexagesimum, sic & ingressus. Antea etiã quia horoscopus debilis est & illius dominus, nec alius Apheta. Similiter & generales calamitates sunt excipiendæ quibus posset prœueniri. Decimooctauo anno antequam morietur ægrotabit grauiter. Mors uiolenti aliquid habebit cum mœrore & prohibita transpiratione, & forsan cũ sanguinis effusione. Ideò caueat diligenter.

De corporis forma.

Iupiter dominus ascendentis in Geminis signo duplici & calido, humido, substantia & qualitate. Et Lunæ loci dominus in signo uernali & Iupiter, Luna & dominus loci eius omnes in apogeis proceritatem maximam cũ pinguedine et crassitie, immoderata non solum, sed etiã morbosa declarãt. Sũt autẽ tria signa quę sunt similia substãtia et qualitate Gemini, Leo & Pisces, totidem dissidentia Taurus, Cãcer & Libra. Velut Libra est frigidũ & siccũ substantia, & calidũ ac humidũ qualitate. Latitudo pectoris à Geminorum forma oritur. Sed ut artis ipsius ueritas ostendatur Friderici Ducis Saxonię schema natalitiũ subijcio, qui adeò obcœssus & crassus est, ut uix ab ullo equo ferri queat. Et ipsi idẽ locus Sagitta-



rij

tarij ascendit. Et Iupiter iuxta utrunq; apogeum in Geminis ex opposito respicit horoscopum. Similiter & Saturnus & Venus in suprema epicicli parte. Captus fuit hic Dux à Cæsare nostro, quoniã Luna infelix fuit in quadrato Saturni infelicis cadentis & sub Sole & in septimo loco.

De morbis & uitijs corporis.

Mars in sexto loco & Iupiter ibi infelix dominus ascendentis & in Saturni opposito & quadrato Lunę, fluxiones à capite calidas, frigidas, dolores renum colicos, spirandi difficultatem, inexplicabiles decernunt.

De animi qualitatibus, uitijs & morbis.

Luna in domo, altitudine & finibus Mercurij facit delectari mathematicis, liberalibusq; studijs. Mercurius sub Sole in sextili Iouis facit magnanimum, liberalem, generosum, magnificũ, splendidum. Luna quoque facit ingeniosum & prudentem. Aspectus maleficarum infligunt, ut dixi, mala corpori, faciũtq; iracundum, subdolum, trucẽ, atq; ad omnia paratum, non tamen sponte hæc facientem, uitia nulla dignoscentur.

De diuitijs.

Res diuitiarum erit fluctuans, diues tamen erit. Multis autem causis res peribit. Vt sunt itinera, dona, conuiuia, seruorum furta, naufragium, mors equorum, uenatio, ornatus.

De honoribus, magistratu, gratia Regum.

Ob Solis & Lunæ situm habebit plurimos magistratus recurrentes aut secundi ordinis, non ita ad primos paratus. Attamẽ gratiosus maximè suo Regi ac sponte erit. Vtriusq; locus Solis idem: Ascendens in trigono ascendentis, Sors in Sortis trigono. Circa finem uitæ maximã potentiam adipiscetur: Et tunc non minus animo anxius fluctuabit.

De uxore & filijs.

In utroq; horum erit infelix ob Lunam pessimè affectam. Vnam uxorem habuit breuis uitæ.

De opificio.

Erit cupidus secretorum rerum, delectabitur pulchris rebus, gemmis uestibus, picturis, imaginibus: Et liberalibus disciplinis, nec tamen quicquam horum ob nobilitatem exercebit.


De itineribus.

Nulla in re aut felicior aut aptior quàm in itineribus, legationibus & expeditionibus, in quibus & pericula & calumnias patietur ob inuidiã. Ad maximas tamen administrationes perueniet. Habet aũt hæc genesis contrarietates mirabiles quasdam, uelut morbosus ad senectam: Bona temperie, cum uxore orbus, obœsus & ingeniosus benefacere & calumniari, atq; talia.

Hieron. Cardani Mediolan. Illustriss. Ioan. Cheki à Secretis Anglorum Regis, Genitura quarta.

Differentiæ	Rectæ			Hor.	Tem.	Stellæ insignes
Saturnus	52	56	P.	20	37	
Iupiter	112	39	A.	20	30	cum Lampadia ♂.
Mars	41	54	A. Op.	19	27	cum stellula ♂.
Sol	79	31	A.	21	23	
Venus	73	20	A.	21	17	
Mercurius	88	11	A.	21	5	fertur cũ Procione nat. ☿. Cap. Meduſæ naturæ ♄. & ♆.
Luna	23	9	P. Op.	16	37	
Med. C.	173	35	cum ſtel. ♄ & ♀. Item ☽ P. ♂.			
Aſcendens	61	6	P.	10	10	cum tribus ſtel. ♂. P. ♄.
Occidens	occidit cum Lampadia ♂. Et Hum. Orionis ♂ & ☿.					
Sors	11	0	A	17	0	cum dorſo Leonis fertur naturæ ♄ & ♀.

COntigerunt ei hæc inſignia anno 1540 die ſeptima. Septẽ laborauit acuta febre. Anno 1552 die quinta Maij Peripneumonia. Anno 1544 die decima Iunij, in Regium præceptorem electus eſt. Anno 1549 die undecima Ianuarij à priſtino honore fermè decidit. Anno 1547 die undecima Maij uxorem duxit.



Vt circa hæc aliqd dicã, in fine 30. anni ergo electus eſt in regium præceptorem: Trigonus Mercurij cadit in Par. 25. m̃. 47. Libræ: Cuius recta aſcenſio eſt Par. 203. m̃. 54. ab hac detrahe Par. 29. m̃. 35. pro annis 30. fermè cõpletis, relinquuntur Par. 174. m̃. 19. aſcenſionis rectæ: quibus reſpõdent in ſignifero Par. 23. m̃. 48. ♍. & hoc eſt Cœli medium uerum niſi error ſit in loco Mercurij qui ex obſeruationibus contingere ſolet: Aut proceſſus diſtulerit aut præoccupauerit. Erat autẽ Mercurius Orientalis matutinus, quia retrocedebat licet nõ appareret & in domo ac trigono ſuo & Lunæ, amicorã dio com-

dio commixtus, & in locū sui trigoni. Et quia processus eius anni fuit in Aquarium alium Mercurij trigonū. Et similiter mensis, & initium signi etiā fuit impeditū à Saturni quadrato, ideò dilata est hęc prouincia ad finē anni. Et ea die Sol superauerat locū Mercurij & Mercurius locū Solis. Et Luna locū Cœli medij & ibat ad Mercurij trigonum. Et Iupiter fuit in loco Saturni radicis & Saturnus in ascendēte. Et hic adest mixtio Solis ob Regis consuetudinem.

Pericula quibus modis decernantur.

Dixit quod anno 1549. die undecima Ianuarij fermè excidit ab officio. Sol ad oppositum Martis peruenit in annis 34. Et tūc processus Solis fuit ad quartā partem Tauri in quadrato Martis & opposito Saturni. De his periculis ratio manifesta est & de periculo mortis in morbo, quia pręter periculum adest pars infortunij, ideò significātur ab eisdem causis debilioribus, seu cum auxilio beneficarum. Sed de puris periculis puta casu lapidis propè magna est dubitatio: Si enim causa carent, nihil erunt, uidentur autem aliquid esse & quasi intendi ab astris, sed nō perfici ut effectus. Si habent causæ illi nullus respondebit effectus. Sed effectus proculdubio fiunt à causis perfectis non impeditis: imperfecti effectus fiūt à causis imperfectis aut impeditis. Vbi nō adest periculum nec effectus nulla ibi causa est, igitur pericula absq; effectu cū sint imagines effectuum fiunt à similibus causis quæ non sunt causæ. Hęc autem bifariam, aut cum directiones, uel processus fiunt in contrarijs latitudinibus, uel cum loco Aphetæ dirigitur dominus loci Aphetæ: Ipse enim significat timores & animi affectus, in periculis uerò adsunt timores. Propriè igitur fiunt pericula absque effectibus cum Anæretæ habent contrariam latitudinem Aphetis. Idem dico de bonorum expectatione.

Morbi autem qui successerunt fuerunt ex directionibus ascendentis, quod solum est Apheta ad trigonum Lunæ inimicæ ascendenti & ex signis breuium ascensionum & oppositum Mercurij ad unguem. Viueret iuxta sexagesimum primum annum donec ascendens impingat in radios sextiles sinistros Saturni, qui dextris sunt ualidiores. Et hoc si per processus & ingressus licuerit, uitaueritq; publicas calamitates. Ascendens solum cum Apheta sit, debile est, inq; maleficarum potestate.

Cæterum ut in uita mala est hæc genesis, ita contraria ratione in honoribus adipiscendis ac diuitijs atque amicis comparandis felix. Insignis etiā eruditione, ingenio, prudentia. Qualitates animi Mercurius cū Luna sextili copulatus & loci proprij dominus, præbet amicos, diuitias & honores, Iupiter in primo statu cum Lampadia ante Solem, & Sol cum Venere & Mercurio. Dabit & Luna & Iupiter filios pauciores etiam filias. Erunt autem inclyti, sed debiles tamen.


Forma corporis est gracili, flaua, maculosa, rariore cute, capillis mediocribus

cribus, oculis decentibus, cæsijsq;. Statura procera, hirsutus, rubescens satis ob Solem, pulcher, incommensuratus tamen, et anterioribus debilior, sicci temperamenti, sed in actiuis qualitatibus temperati. Calueſcet cito ob id, caneſcetq; celerius. Morietur ex morbo longo ab humore frigido cum dolore partium inferiorum cerebro etiã causam defluxus præbente. Opificium quasi magistratus & Regis instructio à Ioue decernuntur qui in Mercurij est dignitatibus, domo, finibus, triangulo. Cum uerò in occasu adsit Lampadias secundum latitudinem simul etiam occidat humerus Orionis siniſter, erit ultima ætas cum magistratu quidem & potestate, sed onerosa & laboribus, periculis atq; anxietatibus grauis. Cũ Sorte Leonis dorsum, hæreditates causa mulierum significat. Cum Mercurio caput Meduſę (de circulo positionis nunc loquor, ut etiam de Sorte) significat sacerdotiũ & in legis administratione potestatem. Est enim de natura Saturni & Iouis. Cum eodem Procion quod naturæ sit Mercurij facit hominem studiosum disciplinarum & negotijs tractãdis habilem. Erit autem talis ut maximè loco & tempori accommodare senorit. Et ultimum splendoris ac gloriæ humanæ consequetur, opinionemq; sapientiæ quasi diuinæ nisi à communibus constitutionibus impediatur. Quas etiã modo euaserit, maximus fiet. Coniugem tantũ unam habebit quod Luna uni tantum Planetæ copuletur. Eritq; pro regione prudens & ingeniosa, quia Mercurius est qui copulatur, & bene cõstitutus. Itinera plura sed breuia & commoda peraget. Erit in uniuersum officiosus, grauis, liberalis, sapiens, humanus, Anglicæq; gloria gentis. Apud quem diuersatus cum fastum omnem cum gloriam consultè compresserim, ut agnoscerem non agnoscerer, quod ueræ felicitatis est, cõtemni aut negligi minimè potui. In uniuersum cum uiolenti quippiam habeat Iupiter sic constitutus. Extremum malum in communi periculo patietur. Nec patietur maximum periculum absque multorum malo.

Illust. Præsidis Senatus Lutetiani Emari Ranconeti, Genitura quarta.

NOn nisi illustres geneſes hic collocãdas pollicitus sum. In his duabus uirtus peperit dignitatẽ. Quæsiuit apud Tibaldeum quãdoq; quidã à fortuna quare tam parũ faueret uirtute prędito? Respõdit illa ne ancilla uidear uirtutis. Verum hic Præses grauitatem habet cum humanitate mira iunctam: Eruditionem cum usu rerum. Officiosus, eruditorum amans, ut alius quisq;. Et cum mediocri re familiari tantum, tamen librorum habet selectorum, ut Epaphroditum à libellis imitari uideatur. Rogauit me enixè ne illius geneſim hic insererem iudicium & humanitatem his precibus suis declarãs, sed non impetra-

impetrauit, quod impetrari non debuit. Vt cuius solum amicitiæ causa non pigeat Gallias inuisisse, hunc tã opportuno loco silentio prætereã. Fateor ingenuè me in patria mea nũquam talem expertũ. In quo tantum humanitatis cũ magistratu, tantũ iudicij de me fecerit. Quem quod panno sus essem efficere nõ potui, ut contemneret, ꝙ simplici uterer sermõe, ut despectui haberet. Tunc mecum dixi, hæc rara auis est, quæ intus prospicit, nec recti falsa specie fallitur. Ascendẽs, ut dixi, ex Libra & illi Venus iuxta locum Lunę nobis: Et Sol Mercurius ꝙ in trigono Veneris, Mercurij, Saturniꝙ nostri in undecimo loco: Itaꝙ neꝙ benigniorẽ expertus, nec sapiẽtiorem eo sapientiæ genere quod optimũ est. Id est, benefacere bonis cũ iudicio.



Non omnia ubiꝙ præstanda, exempla hæc geniturarũ diuersa sunt labore, sumptuꝙ temporis, par tamen ubique diligentia, ut intelligas lector non semper eundem exhibendum laborẽ. Saturnus significator morum cum Ioue & Venerem finium dominis. Sed Saturnus & Iupiter in culmine cœli sunt. Nobilior sanè quod quemadmodũ Socrates morum decreta in melius ueræ philosophiæ studijs communiuit. Neque enim ulla in parte Astrologia minus constans esse potest quàm in decernendis moribus. Mihi præterea uidetur ratione & experimento consonũ, quod dominus ascendentis plurimum possit in morum qualitate, quoniã animi mores corporis sequuntur temperamentum. Ascendẽs autem & eius dominus corporis qualitatem significant. Quod si ita est, spica Virginis primum ob latitudinem stella illustrissima in parte horoscopi posita est. Ei dominant Saturnus, Venus, Mercurius, & Iupiter. Atꝙ sic omnia bene congruunt. Anno 34. ex directione loci quadrati Martis & Iouis ad ascendens periculum cum iactura corporis euasisse necessariũ est. Mercurius & Sol trigono aspectu ascendens fouent unde & robustior uita & illustrior & in genium maius.

Vxorem

Vxorem & filios illustres hęc genesis pollicetur propter situm Iouis, Mars tamen aliquot occidit: Erunt autem feroces. Iuxta etiam 16. annum ob Saturni quadratum, iacturam corporis passum oportet.

Ob Saturni statum & Iouis cum Marte oppositionē, omnia illi cum difficultate euenient.


Ioan. Iacobus Medices Principis, Genitura sexta.

SOcraticum est & uiri probi officium, etiam si malè ob aliquid audieris, nec uirtutis studia deserere, nec à magnorum uirorum laudibus abstinere. Nemo in patria sua meipso deterius acceptus est. Solum defuit iudicium publicū, quod dissimulatione uitaui. Non enim Christo miracula, non Socrati integritas, non beneficia in rempublicam Scipioni, ad mortem uitandam contra inuidiam profuerunt. Postquam desierunt uitiorum obiecta, ipsa uirtus mihi uitio uertitur. Conspirationes & uulgata opinio apud improbū uulgus potentior ipsis operibus. Itaq; cum tot è patritijs nostris laudaris, ne unus gratias egerit: Externorum ne unus sola gratiarum actione contentus fuerit, poteram ab huius etiam mentione abstinere. Sed uicit magnitudo uirtutis eius, & recti apud me obseruantia fortunæ meæ apud proprios ciues improbitatem. Stet igitur factorum memorabilium memoria, quæ licet à scelere ortum habuerit, cum tam egregia uirtute tamē continuata fuit, ut scelus hoc in uirtute speciem transierit. Stipabat Hieronymi Moroni latus, ab eo addictus est ad necem illustris uiri Hestoris uicecomitis, peracto facinore amandatur in arcem Musi, ea mente, ut tegendi facinoris causa, & ipse cum alijs complicibus interficeretur. Cūq; nesciret literas, aperit tamen epistolam à socio legi iubet, intelligit se asseruādum & quorsum, sublato sigillo alias fieri curat, quibus imperatur, ut præfectus arce commissa ei, statim se Mediolanum conferat. Inde inductis sociis, ita strenue eam tutatus est modo aduersus Noricos, modo Mediolani Ducem, modo Cæsaris præfectos, ut summi Ducis, strenuissimi militis, maximi Imperatoris nomē et opinionem meruerit. Inde multis præliis uictor Cæsari reconciliatus, Prorex in Boëmia creatus est. Demū alijs expeditiōibus interfuit, nō sine maxima authoritate, & rerū gestarū gloria.

Motus		Stellæ inerrantes
Sol	Velox	
Luna	Velox	cum corde Scorpij.
Saturnus	Velox	
Iupiter	Velox	coascendit lucidæ coronæ Aust.
Mars	Velox	coascendit Dex. Hum. Aurigæ.
Venus	Velox	cum tribus stellis Par. Mar. Mer.
Mercurius	Velociß.	coascendit Alæ Pegasi.

Obijciet forsan quispiam scelus primum, sed quis è priuato in principatum

patũ absq; scelere euectus est? Quid egit C. Iulius Cæsar? nónne patriam prodidit? Quid Sílla cum suis proscriptionibus, ut Dictator euaderet? Quid Marius? Quid Francíscus Sfortia primus? Nõne eos prodidit à quibus in exercitus ducẽ electus fuerat? Nemo ad primos gradus dignitatis ascendere nisi duce scelere potuit. Ianitor hic est primus, quem si uirtus & fortuna sequantur ad Principatus uia patet: Si alterutra deserat, ad pœnas poscũtur.



Sed hic minimo scelere uirtute summa rem egit. Etiã pietatis officia non neglexit. Vt quæ patrauerit mala necessitate potius quã uoluntate fecisse uideatur. Mars igitur in ascendente uelox & coascendens dextro humero Aurigæ naturæ Martis, & Mercurij, & in sextili Solis, & Mercurij, quadrato Veneris, trigono Iouis, Iupiter quoq; dominus loci Lunæ, & Mercurij, faciũt promptum, fortem, sagacem, magnanimum. Cumq; omnes Planetæ sint aucti motu, significant expeditum in negocijs non hæsitantem. Cum uerò supra terram etiam omnes, illustrem & omnibus cognitum. Ex his duobus maxima felicitas designatur. Luna cum corde Scorpij & in oppositio absidis facit uiolentum, terribilem, crudelem, rapacem, incredibilia audentem, dolosum, ambitiosum, suis uiribus confidentem. Et quia est in quadrato Mercurij erit prudentissimus. Cumq; in ultima quadra in occidente in Solis quadrato in sextili Veneris & Venus in cœli medio coniugium serotinum cũ muliere prædiuite & ex Principum prosapia, cum qua tamen parũ conueniet.

Cumq; Venus in cœli medio sit in dignitatibus Saturni, & in Martis quadrato. Multa & magna circa actus Venereos significantur cum lęsione genitalium ex ferro. Atq; hoc, ut audio, illi contigit, & reliqua etiam in suspitione fuerunt.

Aphetam uix pronuntiare audeam, Sol in finibus duodecimæ in fœmínino, Luna octauæ in masculino signo, dicemus ascendens esse cum au-

xilio reliquorum aut Sortem etiam. Diuitiarum autem ratio cõstat eum Venus & Luna potentes sint, Iupiterq; in imo circulo cum lucida Australis coronæ. Saturnus cadens in duodecimo loco, & Mars cadens dominam ascendentis quadrato respiciens carceres & uulnera significarunt, quæ omnia passus est & euasit. Carcer fuit cum ascendẽs ad radios Saturni sextiles peruenit: Ex quo Genitura uerificari potest.

Honores, potentiam, magistratus, & principatum semper retinebit, ob astrorum non solum consensum, sed uirtutem. Dignitates enim sudore & præstantia acquisitæ non nisi cum morte relinquuntur.

Pro quo sciendum est quod triplex est exaltatio, à uirtute, & præstantia, & hæc fit ab aspectibus erraticarum, à fortuna & casu, & hęc fit à situ Planetarum in angulis & in comparatione ad Solem, à prudentia & consensu, & hæc fit à Planetarum dominio in locis in quibus sunt. Iuuãtur hæc omnia à fixis & alijs dispositionibus: Sed hæc tria sunt principalia, nec plura sunt aut excogitari quæunt.

Est etiam illud consideratione dignum, quod omnes Planetæ sunt in initijs signorum præter Saturnum, & ob id etiam plerique in finibus beneficarum. Quo factum est, ut pericula & insidias euaserit, & alacrior ad negotia semper fuerit.

Mors erit cum Luna ad Saturni quadratum peruenerit iuxta 61. annum ex longo morbo, & si euaserit cum ad initium Leonis post 70. uiolenta. Periculum uitæ & homicidium & turbatio fuit cum Luna conuersa directione simul ad Occidentis lineam & Martis oppositum peruenit.

Scientia mensis & diei in uno quoq; negotio.


Annum ex directione & processu, ingressuq; ut dixi habebis. Mensem autem & diem cum Sol super locum Planetæ interficientis transiuit in mense congruenti: Aut Luna super locum directionis: Aut significatores per circulos completos ad sua loca aut semicirculos ad opposita redierint. Vel cum significatores ad promissorum aut promissores ad significatorũ loca redierint. Vel cum duæ causæ cõcurrentes in unum fuerint. Vt iter, honor, lucrum: Ex itinere honor, ex honore lucrum. Vidisti exemplum in quarta genesi cum adeptus est prouinciam ducendi Regem quod Sol super locum promissoris transijt: Et in octaua uidebis in diuturno itinere.

Quod si reditus Solis ad loca conuenientia non solum in propriis genituris, sed locis communibus nihil faceret ad effectuum perfectionem; non ijsdem anni temporibus plerique recurrentibus annis in morbos inciderent: Nec plures morerentur mense Augusto quam Maio.

Cara-

Cardinalis Sfondrati, Genitura septima.

INter duas amiciſſimorum geneſes noſtram collocare libuit, à quarum altera initium ſtatus noſtri cœpit, ab altera ſuſcepimus incrementum. Sed non ob amicitiam tantum uerum ob inſignes caſus potius illam interpoſuimus. Hic primum priuatæ conditionis uir, Patauij anno trigeſimo lus ciuile cœpit profiteri non mediocri cũ laude. Poſt paucis admodũ annis à Franciſco Sforcia Mediolani Principe in Senatum aſciſcitur. Nubit, procreatq; maſculos filios duos octimeſtres, qui quamuis ægrè, ſuperuixere fœminas quatuor, atque hi omnes adhuc ſuperſunt. Mortuo Principe, cum rem poſſideret Cæſar, inter eos qui conſilij ſunt ſecretioris eligitur. 46. anno uxore mortua, præficitur Senarũ cuſtodiæ, ibi manſit 18. menſibus maxima cũ laude: quod apparuit ſuccedentibus magiſtratibus, cum nemo ſine nota rem adminiſtrauerint, alij etiã cum uituperatione. Anno 49. Romam pergit, fitq; Epiſcopus, inde ſtatim Archiepiſcopus, inde Cardinalis. Sub fine anni 1549 moritur Pontifex Paulus tertius, certatur de eligendo Pontifice, parum abfuit quin in locum demortui crearetur. Fuitq; hoc anno 56 ætatis ſub initio. In fine eiuſdem æſtate, ſcilicet ſuccedente ſeu lõgo morbo, ſeu tædio, ſeu ut quidam uolunt, ueneno tabifico, extinctus eſt. Nónne hæc hiſtoria admirabilis eſt & rara?



Fuit procera ſtatura, & liberali forma, obœſus & rubicundus, comis, elegans, lætus, ſapiens admodum & eruditus. In negocijs præterea cautus, prudens, promptus, & efficax. Ludo & cum grandi pecunia delectabatur. Iracũdus & aliquantulum præceps. Fato credebat & Sortibus Vergilianis, quas ſæpius ueras ſe expertum teſtabatur. Maiores ſui non

diuturnæ uitæ fuerunt, sed circa eandem ætatẽ obiere. Ob quę minus cautus & diligens circá uitã fuit. Nunc singula disquiramus. Sol igitur cum luminosiore lancis meridionalis & in trigono Saturni & coniunctio illa Veneris, Iouis & Capitis, significabant quandoq; futurum maximum in religione & sacerdotio, multiplicesq; dignitates. Cum igitur Sol peruenit ad secundã partẽ Capricorni, ubi erant radij quadrati Iouis, & Veneris, & Lunæ trigoni, & Saturni sextiles, factus est Cardinalis anno ętatis 52. Et quia erant multi Planetæ propinqui situ secũdum numerũ graduũ ideò habuit omnia magno cũ successu: Eodẽ ferme tẽpore cœli mediũ peruenit ad Solis sextilẽ, & Iupiter dominus cœli medij ad Solis corpus, ideò tam multiplicem felicitatẽ significauit. Ex hoc patet quod multiplex felicitas significat subsequentem inanitatem & calamitatẽ. Quia multiplex felicitas breui temporis spatio indicat occursum locorũ principalium beneficis radijs & corporibus, quibus exhaustis succedit inanitas: Inde cum sint in similibus habitudinibus significatores ad promissores, uerendum est, ut simul occurrerunt amicis radijs, occurrant & simul hostilibus. Et si quis dicat quomodo erunt hi qui perpetuas & multiplices habent felicitates? Respondeo quod hi habent ualidam radicem: Et in his sufficiunt processus & ingressus absque directionibus. Sed in hac cum nihil maximi usq; ad 46 annum ei aduenisset, tam frequens dignitatum successio necessario fiebat ex concursu directionum, quare suspitione ea felicitas carere non debuit.

In initio eiusdem 49 anni, ut Sol Ioui directione commiscebatur, ita Iupiter ad locum Solis per ingressum deuenit.

Spica Virginis in ascendente præstat leporem magnum in dicẽdo & scientiam eorum quæ ad nostræ religionis sacra, archanaq; pertinent.

Luna fuit cum stella exigua iuxta Leonis dorsum naturæ Veneris & Mercurij, gratiamq; præstat & sapientiam in administrandis negotijs.

Cum Ioue autem & Venere stella eiusdem naturæ cum supra scripta tertiæ magnitudinis ualde potens, unde si superuixisset donec ad trinum Iouis peruenisset Sol, Pontifex creatus fuisset. Alias quoque dignitates esset consecutus.


Concordia nostræ geniturę cum sua fuit, quia Mercurius fuit in Eudemone meo, ubi Venus, Mercurius & trigoni radij. Saturni, & ascendens suum iuxta locum Solis. Vnde uidetur quod ascendens cum significet amicitiam per se, quod habeat potestatem supra animam & mores hominis. Luna quoq; fuit iuxta oppositum Lunæ mihi.

Corporis proceritas & obœsitas fuit propter Venerem cum Ioue iunctam, & Venus erat ascendentis domina, & Iupiter in absida, & uterq; in signo calido & humido.

Decla-

Declaratio annorum, mensium, dierum, horarum, per exemplum.

Cum hoc opus perfeciſſem, contigit 11 menſis Auguſti, ut fabrum lignarium qui præ triſtitia ægrotaret curarem. Cumq; cauſas triſtitiæ percunctarer inueni nudius tertius filium bimum unicum cecidiſſe ex tabulato, confeſtimq; diſtractum & mortuum. Exiſtimaui oportere aliquid in geneſi clarius eſſe, quod hic nulla generalis calamitas cauſa eſſe poſſet. Habito tẽpore diligenter & erecta figura, de cauſa & anno ſtatim conſtitit, Luna diſcedens ab oppoſito Martis, Saturno retrogrado applicabat domino octaui loci & in octaua. Et Sol Apheta cum Mercurio in Capite ſuo ſub ecliptica matutino occidentali et domino octaui loci. Beneficæ ab utroq; luminari omnino remotæ, & maleficæ cum Luna in ſignis fixis. Et ideò ſignificabant mortem per caſum & ruinam, & ita utrunq; fuit. Diſſoluta enim tabula & auuli a ſimul collapſus eſt. Habes cauſam.



Annus erat tertius aut quartus ex directione, ſed ſeu Saturnus eſſet paulo magis retro, ſeu Luna ante, omnino in tertio anno in initio fuit proceſſus loci Solis Aphetæ ad locum Martis & oppoſitum Saturni & Lunæ. Ex quo Sol à Saturno & Luna affligebatur. Et tunc Luna fuit infelix in Scorpionis initio & Mars in 29 Leonis, & Iupiter in 27. eiuſdem Lunæ locum oppugnantes in radice. Habes igitur annum.

Menſis & dies habent ſimul cũ Sol, Luna & Mercurius, Sol in 26. Luna 27. Mercurius in 25. Leonis parte fuerunt. Die 9. Auguſti anni tertij, ſcilicet 1553. Quod ſi Sole ibi tranſeunte nõ adfuiſſent Mercurius & Luna, oportuiſſet expectare congreſſum Lunæ & auxilium maleficarum. Sed hic caſus claram habet cauſam. Habes menſem & diem. Hora fuit quinta exacta à meridie, initium menſis fuit die 19. hor. 12. Iulij completis: reſiduum igitur ad diem & horam, caſus dies 20. hor. 17. Aſcendens dierum die 8. Auguſt. hor. 1. m. 8. ante meridiem, locus ♂ & ♄ anni

& ☉, ☾, & ♈ ingressus: Oppositū Saturni & Lunæ radicis peruenerat. Ascendens autē processus horæ locus ipsemet Lunæ & Saturni tot modis infelix. Oportet enim pro horā considerare maximè ascendens, quia solum ascendens etiā in singulas horas mutatur. Hora igitur casus Sol, Luna, & Mercurius in illius oppositō erant. Quòd si interius protrahatur cadet locus Solis in eundem infortunij locū & 20 pars ♒. Habes igitur horam. Ex hisq; omnibus euidens ueritatis artis argumentum, secretumq; maximum. Quod si libeat habere etiam momentū, habebis & illud eadem ratione. Solis enim locus in oppositum Lunæ, id est, Leonis partem 20. per processum commutatus fuit.

Hieronymi Cardani Medici & expositoris huius operis, Genesis octaua.

PRollicitus fuerā solum illustres hic positurū genituras, quod etiam hucusq; præstiti. Verum quod nostrā adijciamus meritò nos quispiam leuitatis accusabit: Cum non fortuna tantum à qua nos longè absumus illustres, sed etiam casuum uarietate qua nulli nostra secunda est, describere propositum fuerit. Nec si talis non esset adhuc omittenda foret, quoniam ad amussim adeò perspecta est, ut simile exemplum non facile inuenire queas. Comprobata etiam est æditione præcedente cum iam decennio exacto multa publicè prædicta successerint, eorum quæ non essent præuisa nihil. Adeò uero quæ tota uita euenerunt huic figuræ exactè congruūt, ut historiam potius quàm prædictionem & ex stellis decretum subiecisse uidear. Itaq; ut ab omnibus præcedentibus fortuna superatur, eò omnibus illis casuum uarietate admirabilior est. Primum quidem ex patre sene & qui nullos alios liberos dicitur ante nos procreasse. Deinde per uim ex utero cum iam triduo in partu laboraret mater, ut illa seruarē pro mortuo extractus sum. Reuiuixi lauacro uini. Capillatus antequam natus, inditiū ærumnarum mecum tuli. Ater enim capillus prælongus ac crassior nascenti mihi fuit, ut mater ipsa narrabat. Prima infantia pestem sensi maximum malorum: inde aquam intercutem: demū octauo anno dysenteria ad mortem deductus, præter spem seruatus sum. Ab eo tempore cū nunquā uel unā diem ualetudine firmus & sine dolore duxerim, nihilo minus per 44 annos sequentes uix toto triduo & semel tantum in lecto morbo oppressus decubui. Totq; labores ac difficultates passus, anno exacto iam pene quinquagesimo secundo robustior quàm in pueritia, uel iuuenta unquam fuerim. Frigidus usq; ad 30 annum ex toto, abinde salax effectus, præter

omnem

omnem ſpem multos procreaui filios. Nulli enim aduerſa minus nocue runt, aut ſecunda profuere. Nec cuiquam mortalium, ut exiſtimo tot inſperato aut bona, aut mala aduenere. Adeò ut nihil optatum præter medicinæ lauream & cooptationem in collegium medicorum atq; eam non niſi cum omnino deſperata eſſet conſecutus ſum. Aſpernanti uerò reliquos honores ultrò delati: Primus profitendi locus in academia, Primus locus apud Reges uocãt Archiatron, familiaritas & amicitia Principum plurium, honores à ciuitatibus publici, memoria noſtri multis eruditorum uirorũ momentis celebrata: Quę omnia multò minus quæſita quam recepta. Solum profitendi munus ſuſcipere potius coactus ſum, quam ſponte ſuſceperim. At contra quædam cum diligentius quæſiuiſſem, atque his lõngè minora repulſam paſſus ſum. O quoties uiſus in profundo miſeriarum, me communi conſolatione illa, in ſecundo de Rerum uarietate libro deſcripta, ſolabar, cum ſubitò unde non ſperabam auxilium effulſit. Quoties ab amicis deſertus ac proditus, ab incognitis adiutus ſum? Quoties magna mala ingens bonum peperere mihi: Vt contraria ratione ex magnis bonis ingentes mihi ortæ ſunt calamitates. Cum in iuuentute inſanum me prædicarent, occaſionẽ ſcribendi & glorię, quantulacunq; eſt, præbuerunt. Et nunc quot me colunt, qui non ſolum contemnebant ſed egregiè oderant. Toties per calumniam accuſatus, nunquam tamen exilij aut carceris pœna intentata eſt, cum tamen penè crucifigendum conciues mei, quibus nihil ueritate ipſa grauius eſt ac uoce libera, clamarent. Simili felicitate uſus cum inter tot inimicos & inuidos nemo unquã lædere me potuerit. Et ubi naturalis prudentia defuit, euidenter per ſomniũ monitus non ſemel maxima pericula euaſi. Nec qui intentarunt inulti unquam euaſere. Toties etiam edoctus quæ conſcribere debueram ſingulari curæ cuiuſdam potentioris fuiſſe perſuaderi poſſem. Diuitiarũ & gloriæ contemptor fui: Et quæ alij fugiunt, adeò non horrui, ut quod uix credi poteſt, credi tamen debet, quoniam nunquam me mentitum eſſe memini, inter acerbiſſimos podagræ dolores quod ſolum mihi reſtat malum uoluptatem ex dolore capiam. Quod quomodo contingat neſcio, niſi quod perſæpe diſſecta carne cum ungue policis ſiniſtri finire ſolitus eram eam corporis moleſtiam, quæ me quotidie affligebat, uoluptate & ibi ex ardore percepta. In ecſtaſim quotiens uolo trãſeo, nec mutato uultu nec moto corpore, ſed quodam interiore neſcio quo ad imperium uoluntatis commoto aut tranſmutato. Cumq; in intentione multarum rerũ felix fuerim, plura ſcripſi quã legi, docui quàm didici. Iuuatus à numine non obſcurè, cui etiã omnia tribuo. Hęc omnia ſi colligas, digniorem ad exemplum facere genituram poſſunt quã Crœſi diuitiæ. Non enim felicitatis imaginem quærimus, ſed earum rerum quæ maximæ unicuique contigere, ſeu bonæ, ſeu malæ. In quorum ge-

nere multa sunt hicinde in nostra genitura. Sunt & alia permulta admiratione digna, quæ in explicatione genesis scribentur.

Stellæ inerrantes in locis principalibus.


Iupiter ob latitudinem ascēdit cum horoscopo fermè, et lucida fusiōis Aquarij magnitudinis primæ naturæ Veneris & Mercurij.

Cū corde cœli est Vultur uolās secundę magnitudinis naturę Iouis et Martis.

In occidente luminosior lancis Meridionalis secūdæ magnitudinis naturæ Mercurij Martis.

In imo cœli fermè Canis minor seu Procion magnitudinis primæ naturæ Mercurij.

Sol cum ultima alę sinistrę Virginis magnitudinis quartæ naturæ Mercurij & parum Veneris.



Motus		Latitudines				Differentiæ		Rectæ		Hor.	Tem.
♄	Retrog.	M	D	1	40	♄	150	57		19	5
♃	Retrog.	M	D	2	0	♃	101	26		17	5
♂	Tardus	M	A	0	36	♂	140	0		18	53
☉	Velox					☉	80	0	op.	15	40
☿	Velox	S	D	0	52	☿	91	37	op.	16	30
☿	Retrog.	M	A	2	36	☿	91	33	op.	16	30
☾	Velox	M	A	4	20	☾	53	23		13	5
Coniunctionis luminarium natiuitatē præcedentis locus					28. 48. ♍.	*Cœl. M.*	89	45		0	0
						Ascen.	104	5		17	15
						Sors	77	4	op.	15	30

Luna fermè cum Capite Medusæ magnitudinis secundæ naturæ Saturni & Iouis in circulo positionis.

Mercurius in imo circulo positionis cum stellula de natura sua & Veneris.

Saturnus cum dextro humero Orionis magnitudinis primæ, & cum dextro humero Aurigæ magnitudinis secundæ, ambabus naturæ Martis & Mercurij. Et cum stellula de natura Martis.

Fuit etiam conceptionis tempus cognitum iuxta dictum matris, & fuit anno 1500. Die 28 Decembris horis 11. m̄. 30. à meridie & tūc cœlum sic se habuit.

Cœli

Cœli medium	10	♋	
Aſcendens	8	♎	
♄	0	26	♊
♃	24	1	♈
♂	14	0	♐
☉	17	27	♑
♀	0	18	♐
☿	26	0	♑
☾	3	42	♉
Sors	24	15	♑

Dies fuere 270 ad unguem, de hora non admodum certus ſum, locus Lunæ hic fuit locus Iouis, & aſcendentis cum naſcerer, & Veneris in Saturni aſpectu erat. Et Mars in oppoſito loci ſui in natiuitate. Et forſan horoſcopus fuit locus Solis hora natiuitatis, & pars fortunę rurſus ſub Solis radijs.

De parentibus.


Superius explicaui patris geneſim è noſtra extractam, non eſt, ut prę-ter morem quicquam repetã. Obijt longo ſenio 28 Auguſti 1524. prout ex directione Lunæ ibi liquet, ad Solis oppoſitũ. Annum ex proceſſibus & menſem ac dies uenaberis. Cæterum cũ Saturnus eſſet in trigono Veneris ſignificauit longam uitam pro ætate in qua iam erat conſtitutus. Et ſimiliter quia fuit in ſuis dignitatibus, & quia Mercurius erat in Saturni trigono, & ipſe Saturnus in Mercurij dignitatibus, ſignificauit ingenioſum. Et Mars in trino Solis dignitatem cum parua utilitate, nam Mars erat peregrinus & quaſi ſtans, & Sol ab altitudine cadens. Cum uerò Luna illi eſſet in cœli medio ſub radijs Martis quadratis, ſignificauit labores multos irritos quibus cõflictatus eſt, et uitam debilem. Cumq; Sors eſſet infelix, ſignificauit pauperiem & labores. Et per hæc omnia tranſiuit. Verum quia propriam illius genituram habemus, ideò illam maioris claritatis gratia ſubijciemus.

Stellæ inerrantes in præcipuis locis.

Aſcendens cum Apolline magnitudinis ſecundæ naturæ Mercurij, & cingulus Orionis coaſcendit naturę Saturni & Iouis.

Sol cũ Aſino magnitudinis quartæ naturæ Solis & Martis.

Saturnus cum pede boreali Cãcri magnitudinis quintæ naturæ Saturni & Mercurij.



Iupi-

Iupiter cum ſtella extra formam Cancri magnitudinis quartæ naturæ Saturni & Mercurij.

Mars cum ſtella magnitudinis quartæ naturæ Mercurij & parum Veneris.

Venus cum eadem cum qua etiam Saturnus.

Inſignis pietas me admonet, ut quanquam malè acceptus ſim à patre, eius tamen haud obliuiſcar. Præſertim quod hæc genitura multa præclara habet, & eius cognitio ad noſtræ intelligentiam non parũ faciat.

Quia Sol fuit uitæ ſignificator & cũ Ioue & Venere & in Leone, ideò habuit robuſtam & incolumem uitã. Vixit donec Martis quadrato Sol occurrit in Libra, ubi uterq; cadit in finibus Saturni: annis 79. expletis mortuus eſt 28 Auguſti 1524. Ideò decrepitus, facile à Martis quadrato ſuperatus morte lenta. Saturnus enim finis ad quem aſcendens peruenit dominus erat, & Saturnus ſub radijs Solis erat. Patri quoq; eius diuturna uita ſignificabatur ob Solem, ſuperuixit annis 27. uixit autẽ 86. Matri non ita, quia Luna & Venus erant infelices. Ex quo patet quod propria unum ſignificat & uitam robuſtam, noſtra aliud & debilem: & tamen concordant, quia genitus ego fui illo 56. annũ agente & paulò poſt amiſit dentes.

Et quia Sol fuit cũ Aſino & Luna infelix in ſexto loco in uia Lactea, habuit oculos albos ut felis, & paruos lucentes in nocte, non procul uidebat, attamen uidit abſq; perſpicilijs. Quia uerò Saturnus fuit cõbuſtus & in Cancro, ſignificauit amiſſionem omniũ dentium: ſuperuixit tamen annis 21. ab hoc caſu. Et forſitan quod ſtellula illa cũ Saturno aut Aſinus cum Sole aliquid iuuit ad calamitatem. Cæterum pulcher, nam aſcendenti & Lunæ loco præficiebat Iupiter & Luna. Ideò fuit candidus, rubeus, carnoſus, moderatus.

Et quia Venus erat infelix cum Sole & Saturno, ideo anni 23. bibit Auripigmentum album, uocant Arſenicum. Et anno 59 uenenũ tabificum, & cuaſit, amiſit tamen, ut dixi, omnes dentes, quia ex priore ueneno quo ſocij omnes periere concuſſi ſunt omnes dentes, & ſemper poſt modum fuere inualidi. Cæterum ſanus, ut dixi, niſi quòd deerat ſubiectus perpetuò cordis palpitationi.

Et quia Luna fuit in uia Lactea, fuit paululũ turbido & hebeti ingenio. Sed quia Luna Mercurium trigono radio aſpiciebat & fuerunt ambo in Iouis dignitatibus, fuit eruditus Mathematicus, Iuriſcõſultus, medicinæ non imperitus, occultarum diſciplinarum maximus profeſſor, adeò ut familiarem ſpiritum tenere fateretur & omnes pro conſtanti haberent. Hoc contigit quia Luna erat in ſexto loco in Sagittario. Fuit præterea humidi cerebri ob Lunæ imbecillitatẽ, & debilis uentriculi ob Veneris cum Saturno congreſſum, & maximè in Cancro.


Quod

Quod ad mores attinet, Iupiter dominabatur loco Lunæ & Mercurij, nam Sol non recipit dominatum: Et quia Iupiter erat cum Sole & in domo eius debilissimus, significauit uirum integræ bonitatis atq; iustissimum, abiectum tamen & animi deiecti. Sed cum Sol esset cum Saturno infelici, fecit timidum, agrestem, neglectorem rerum, ancipitem in omnibus rebus, nihil perficientem, seruilis animi, rigidũ, suorũ neglectorem. Et quoniam Sol recipit dominatum ob Iouis debilitatẽ, fecit publicarum rerum cupidum, & qui res generales & negotia Principum scire cuperet. Ob id etiam sæuerum & ueracem. Et quia Iupiter dominabatur, faciebat studiosum, & Saturnus cum Venere facit amatorem laborum attamen pigrum, cum uterq; sit cum Sole. Sed cingulus Orionis horoscopo coascendens & Apollo in eo fecerunt ut laborem studiorum absq; incõmodo perferre posset. Et ita fuit studiosissimus, si quis unquam mortalium: Et certè dicam bona uenia, cum exiguo fructu pro tantis laboribus.

Diuitias comparauit mediocres atq; infra, quia Sortis dominus erat Iupiter Soli commixtus, sed sub radijs atque occidentalis: nihilominus uterq; eorum trigono radio respexit ascendens. In iuuentute igitur diuitias parauit. In senectute autem relicta aduocatione & iudicandi officio, solumq; profitendo intentus, quod per genituram meam quę pauperiem indicabat, exequutus est. Si quidem ut uisum desolata Sors patris in Scorpione cuius dominus erat Mars & ipse peregrinus in trigono Solis peregrini, nihil reliquum fecit ad lucrũ nisi exiguum stipendium publicum, quod à Sole decernebatur. Ita uides quomodo dissimilia ad similitudinem reducantur. Pari ratione patris genitura propria est quarti status, quo factum est ut in iuuenta esset uitę, necisq; dominus, cũ esset procurator fisci (omnia enim ad consuetudinem loci sunt referenda) sed post natiuitatem fuit sexti status, amotus ab omni officio & dignitate in posterum, prę terquã à profitendi munere. Ita uides cõcordiam undiq;. Vxorem uix duxit ob Lunam afflictam & eam in senectute, quod Luna esset in occiduo quadrante secundo post coniunctionem & in fine eius, ideoq; in senectute. Significauit & conuictum perpetuum ob Venerem cũ Saturno positam. Sed & unicam, nam solum Mercuriũ Luna aspexit nulli alij applicans & à nullo recedens. Sed quo ad filios occupati erant. Iupiter & Luna quæ filias duas dabat. Venus ergo orientalis & masculino Planetæ coniũcta & cœli Medio configurata lociq; domina filiũ promisit. Et uix uicturum ob Saturnum succedentem, iuuabatur tamen locus etiam à Lunæ quadrato quæ succedebat Saturno & in loco dignitatẽ habuit. Alios habuisse filios qui obierint ipsa genitura demõstrat, me solo diu post etiã illius mortẽ superstite. Cõcordia uerò inter genituras fuit, quoniam locus quadratus Iouis in undecima fuit mihi ascendens, & locus trinus Veneris in cœli Medio iuxta locum Lunæ mihi, & Venus lar-

gitrix

gitrix filiorum denuo Saturno configurata. Atq; hæc de patris genitura. Pro matre autem posui, quia natiuitas nocturna erat, Lunam pro ascendentis loco. Et fit Solis uitæ significator, & iuxta 20 annum conuersa directione peruenit ad occidens, et Lunæ oppositũ, & Martis quadratũ, & correpta fuit sæpius hysterica passiõe ad mortẽ usq;. Demũ direxi rectè Solẽ ad Martis oppositũ & peruenit ad eum in fine 36 annorũ, & tũc mortua est. Et quia Mars respexit ascendens & Lunã quadrato aspectu, significauit ipsam esse iracundam & in facie lædendam, & ita casu contigit dum agerem ego 16 annum: Et Saturnus fuit in imo cœli & Sol in angulo cum Venere & Mercurio, & significauit maiorem existimationem illi quàm patri. Et quia est mulier non amplius me extendo, nisi quod fuit ingeniosa, sapiens, liberalis, proba, & amans filiorum.



De fratribus & sororibus.

Mater igitur morbosa fuit ob Martis quadratũ, qui cum esset stans, non potuit occidere: Iouis uerò sextilis longe quam ostendit: At Venus Saturno per trigonum configurata patri uitam longam decernit, nõ tamen adeò quod Venus esset imbecillior Ioue. Luna uerò & cœli mediũ quod alter locus à Ioue, alter à Venere & Mercurio respiceretur fratres duos & sororem unam ex eadem matre significabãt. Erat mihi frater Thomas annorum 13. soror Catharina annorum octo, frater alius Io. Ambrosius annorum trium ex priore coniuge: hi omnes post annum spatio dierum 40 perierunt, quod illorum genesis cum generali pestis quæ tunc sæuiebat constellatione, cõsentiret. Hoc ut existimo matris causa, nam & ego peste afflictus sum, Et mater ipsa cum puella esset eodem morbo correpta fuit. Debiles autem erant tam qui à Luna quam qui à cœli medio significabantur, & ob id omnes periêre, non tamen tam debiles, ut circa uniuer-

ſalem calamitatem non ſuperuixiſſent. Alius præterea ex utroque parente genitus frater, qui naſcendo periit.

De uero tempore natiuitatis principio & fine.

Reuocandum eſt in memoriam quod diximus in initio tertij libri, ſcilicet quod uerum aſcendens mihi eſt Pars ſexta & ultra minuta decem Tauri, & tunc cœli medium eſt 18.15.♄. & Lunæ locus in duodecima, 11.42.☽. Initium uerò fuit 23.7.♈. in aſcendente 12.♄. in cœli Medio Lunæ locus 11.30.☽. in duodecima, Iupiter in aſcendente, Venus & Mercurius in occidente. Finis 16.♉. in aſcendente 23.♄. in cœli Medio, Lunæ locus in undecima, 11.52.☽. Ex quo patet quod initia mihi bona ſunt, media mala, fines ſatis boni, non tamen ut initia, atque hæc generaliter ita ſemper ſe habuerunt & habebunt. Nam horum temporũ quod ad negotia attinet peſſimum eſt, uerum natiuitatis tempus. Comment. 6.

De ſexu.

In aſcendente fuit Planeta maſculinus, & Luna in quarta maſculina & Sol in ſigno maſculino & quarta maſculina, & Iupiter orientalis: ideò inclinabat hæc geneſis potius ad ſexum maſculinum quam fœmininum. Præſertim quod Venus domina communis omnium locorũ & quæ colligit ſuffragia, eſt in ſigno maſculino, in quarta maſculina iuncta & in aſpectu Planetarum maſculinorum.

De numero.

Loca tria dicta principalia fuerunt maiori ex parte in ſignis unius figuræ, & non fuit commixtio corporum in bicorporeis, neceſſe igitur fuit unum eſſe.

De ſpecie.

Non fuiſſe monſtroſum clarum eſt, cum nulla malefica ſit in angulo.

De educatione.

Educari cum difficultate oſtendit Luna ſub radijs maleficarũ & ambo luminaria ab angulis decidentia. Quia tamen benefica in principio et uerò tempore eſt in angulo, & Luna in fine exit è duodecimo loco, & luminaria ſunt in finibus & dignitatibus beneficarũ, & nulla malefica fuit in angulo, quamuis ex utero uiolente extractus, quamuis ſemimortuus, quamuis peſte intra paucos menſes correptus, euaſi tamen ſatis leuiter, tametſi idẽ Mars qui Lunã principaliter afflixerat, ſupra Solem eleuareẽ.

De uitæ ſpatio.

In hoc capite multa præclara continentur: primum quis ſit Apheta, nam Lunam cum ſit in 12. loco Aphetam ponere haud certè conuenit. Et tamen certũ eſt, cum illi quadratus Saturni radius occurrit, uitę nos maximum diſcrimen adijſſe in octaui anni fine. Dicet igitur quiſpiam ſi Luna non fuit Apheta quomodo morbum ſignificare potuit? Certum eſt

ATENEO VENETO VENEZIA

enim non ex occursu ascendentis hoc factum esse, cum tunc ascendens liber esset, atque sub radijs amicis dominantis Lunæ. Respondeo quod ascendens est Apheta, morbus tamen ille factus est ob occursum radiorum quadratorum Saturni ipsi Lunæ. Quoniam ut uisum est in illa re-
Comment. 8. gula pulcherrima de directionibus posita in quarto libro: omne quod habet significatum generale super aliquam rem per directionem, potest significare bonum aut malum proprium & eo tempore. Vnde cum luminaria quia possunt esse Aphetæ, possint etiam significare læsiones in cor-
Cap. 16. pore, ut in tertio libro capite de uitijs & morbis corporis, directione si occurrant maleficis idem præstabunt (præsertim quod Luna est luminare temporis primum) ut demonstratum est in regula suprascripta.

His constitutis ueluti fundamentis, dirigemus ascendens pro maioribus commodis, & Lunam pro mediocribus, & Venerem, quia est, ut dicunt, Almutem ut Arabes uocant, id est, præfecta loco Solis, Lunæ ascendentis & Sortis, & ideò est in genere Aphetarum pro minoribus cõmodis aut incõmodis corporis. Vltimò Solem pro minimis. Ptolemæus autem tacuit reliquorum Aphetarum directiones, ob id quod erant claræ ex dictis in capite de uitijs & morbis corporis: Et etiam quia parum curabat minima detrimenta. Et maximè quod ubi Sol aut Luna sint Aphetæ, reliqui non adducunt detrimenta sensibilia, præter ascendens. Nam cum Apheta est ualde robustus, directio subsequentiũ parum nocet. In uita tamẽ tametsi Apheta primus sit debilis, utpote cũ fuerit ascendens directio subsequentium, puta Solis, uel Lunæ, uel Veneris non potest occidere. Quibus cognitis, direxi primo ascendens, ut par erat, & ne toties facere cogerer omnium quinq; principalium locorum directiones hic subieci, omissa Venere, quia, ut dixi, parum potest quoad uitam, sicut etiam Sol. Ita Solem omisissemus nisi quod causa honorum dirigere necessarium erat.

Ascen-

Ascendens			Anni	Men.
Ad	✱	☾	3	7
Ad	△	☉♂	25	11
Ad		♂	26	7
Ad	□	☾	27	0
Ad		♄	36	5
Ad	△	♀☿♃	38	1
Ad	✱	♃	49	4
Ad	✱	Prop.	52	6
Ad	□	☉	57	10
Ad	△	☾	59	0
Ad	□	♀☿	73	5
Ad initium		☊	82	2

Luna			Anni	Men.
Ad	□	♄	6	10
Ad	☍	☉	19	9
Ad	✱	♂	20	2
Ad	✱	♄	27	4
Ad	☍	♀☿♃	28	8
Ad		♃	35	10
Ad	✱	Prop.	42	9
Ad	△	☉	67	5
Ad		♂	68	0
Ad	□	☾	68	5

Sol			Anni	Men.
Ad	△	♂	0	5
Ad	△	♄	6	9
Ad		♀☿♃	8	0
Ad	☍	♃	14	4
Ad	△	☾	20	0
Ad	✱	Prop.	43	8
Ad	☍	♂	44	3
Ad	□	☾	44	8
Ad	☍	♄	54	4
Ad	✱	♀☿♃	55	10
Ad	△	♃	67	4
Ad	□	Prop.	75	7

Sors			Anni	Men.
Ad		☉	2	6
Ad	△	♂	2	10
Ad	△	♄	9	3
Ad		♀☿♃	10	6
Ad	☍	♃	16	11
Ad	△	☾	22	8
Ad	✱	Prop.	43	4
Ad	✱	☉	46	6
Ad	☍	♂	47	2
Ad	□	☾	47	7
Ad	☍	♄	57	2
Ad	✱	♀☿♃	58	9
Ad	△	♃	70	3

Cœl. Med.			Anni	Men.
Ad	□	♃☉♂♄☿♀☾♄	16	1
Ad	△		23	6
Ad	△		24	3
Ad	△		34	6
Ad	△		36	2
Ad	✱		46	1
Ad	□		53	8
Ad			54	1
Ad	□		63	2

Quo tempore Mars ad ascendens peruenit, laboraui duplici tertiana anno 1528, nec ultra aliquid passus sum, quamuis deliquio animi sim bis correptus, nam Sol ex trigono fouit ascendens. Solis trigonus significauit iter quo me contulerã ad Succensę oppidum anno præcedente. Sicut & Lunæ sextilis reditum in patriam, cum lactatus essem atque educatus ad quartum annum usque Moiragi uilla inter Papiam & Mediolanum, à Mediolano distante 7 M. passuum. Sub Lunæ quadrato in patriam diuerti, non tamen quieui, tuncq; laboraui septẽ mensibus destillatione usque ad uitæ desperationem: Sed hoc paulo seriùs contigit, scilicet anno 29 expleto. Tunc enim ascendens ad Libram peruenit signum sextæ domus, & fuerunt Planetæ hoc modo

☉	10	37	♎
♂	6	27	♎
☿	0	52	♎
♃	28	3	♍
♀	12	54	♏
☾	17	19	♏
♄	15	20	♊
☊	20	43	♎

in anni initio Iupiter, Mercurius & Mars combusti, Venus & Luna cadentes & infelices. Ideò morbus eo usq; protractus est. Cum uerò ascendens ad Saturnũ peruenit fluxu urinæ correptus quo ad centum uncias quandoq; urinæ in die emittere solebam, nec unquam plenè curari potui, cum iam anni 16. exacti sint. Anno 38. quod ascendens ad Veneris trinũ peruenisset, leuatus sum à uiolentia morbi. Anno quinquagesimo iter significabatur de quo suo loco cum de itineribus agam, dicetur. Anno 58 ero in periculo mortis, at non tunc sed 56. quoniam tunc ascẽdens ad nonam Cancri partem peruenit, quæ cum loco Saturni mutuo se respicit. Processus erit ad Sagittarij signum pro uita infelicissimum, ut paulo post declarabo. Tunc uerò Luna erit collocata inter locum Martis & Saturni radicis in anni initio, & utrunque respiciet, licet sextili aspectu. Et ipsa tendit ad Mercurij quadratum. Nec est quod iuuet nisi trigonus Veneris: Et quod locus directionis est in finibus Iouis. Causa erit cogitatio, & tristitia, & cibus, copiosaq; pituita descendens. Et si haberem tempus, præcognoscerẽ mensem, qui tamen erit uel cum processu perueniet ad Sagittarium, id est, primus, uel ultimus, aut quartus, aut septimus, aut decimus, id est, cum processus erit ad Pisces, Geminos, aut Virginem. Sed de Piscibus et Virgine minus uidetur. Vtrum omnino sim moriturus est difficultas, quia Solis radius quadratus non interficit nisi cum Luna fuerit Apheta: propter concursum tamen radiorum Lunæ & Solis intuentem Saturnũ, & processum ascendentis, est maximum periculum. Vtcunque sit à magna & euidenti calamitate non absoluar. Si autem euasero usq; ad 58 annũ, tunc perueniam ad quadratum Veneris & Mercurij, id est, ad annos 74. quantum per ascendens licet. Nunc autem examinemus cursum Lunæ, ea peruenit primum ad radios Saturni quadratos; Et quia erat infelix à Marte ab

vide li. 3. com. 44. hanc historiam.

initio


initio, & etiam à Saturno ab altero defluens & alteri applicans, significauit podagram in genere & calidam & breuem propter Martis naturam. Anno igitur septimo completo seu quod paulo serius quadratus radius Saturni ad Lunam peruenerit, seu quod processum operiretur cũ ascendens ad sextam partem Sagittarij peruenisset, signu m octauæ domus & ubi cadunt radij oppositi maleficarum & quadrati Lunæ & Luna peruenerat ad locum Solis & signum sextæ domus & in initio anni, & fuerunt Planetæ dispositi ut uides. Luna fuit sub radijs Solis & cum Mercurio combusto, & Sol infelix. Ambę beneficæ in Scorpione ubi & Venus domina ascendentis & Aphetarum cadit. Saturnus in quadrato ascendentis processus, & ibi etiam Mars. Et ideò hæc significabant mortem, & maximè quod, ut dixi, mater nullum habebat filium nec pater quod sciam, imò omnes ex familia matris, id est, sorores, fratres & ex sororibus nepotes qui erãt ad 16 interierunt, ut solus ego & qui ex me descenderunt supersint ex descendentibus Iacobi Micherij aui materni mei. Et ideò significabatur quòd natiuitates parentum meorum erant mihi parũ propitiæ, cũ tamen Luna non esset Aphe-

♄	19	39	♍
☾	4	23	♎
☉	10	37	♎
☿	12	25	♎
♀	10	44	♏
♃	17	18	♏
♂	4	33	♐

ta, & eo anno ascendens adhuc esset sub Lunæ radijs, & Sol ad Veneris corpus peruenisset euasi. Anno 20 cũ Luna peruenisset ad ♄ ☉ & * ♂. laboraui peste per triduũ, nec decubui in lecto, nec quieui: abscessus erat in dextro latere niger super costas mendosas: euasi medicamento quod habemus salutare aduersus hoc genus morbi. Tunc uerò ascendens ad Capricornũ peruenerat, & Lunæ locus ad septimã domum: Luna anni initio erat in opposito Saturni per ingressum, & nulla maleficarum fuit in ascendente, nec in eius opposito, nec etiam quadrato, nec cum Sole, nec cum Luna aut Venere, ideò euasi. Postmodũ anno 28. sed uerius 29 peruenit ad sextilem Saturni, & tunc laboraui 30 anno tussi usque ad mortem, expuens materiam sanioſam per septem menses continuos cum febricula & tabe, tunc ascendens ad sextam domum rursus peruenit, ut dixi superius, & Planetæ erant in his locis quibus uides. Succedenti anno liberatus sum cum Luna ad Veneris & Mercurij oppositũ peruenisset: Et locus Lunæ ac ascendens ad radicis trigonum. Anno 36. occursus Lunæ ad Iouẽ causa fuit ne fluxu urinæ, qui tũc cœpit, interierim. Cum Luna peruenit ad suimet * radios, magno fato certe & nulla urgẽte causa, iui Florentiam & Senas: fuit iterdierum circiter 30 quòd processus non faueret, Luna ad Leonem, ascendens ad Libram peruenerat. Cum uerò ad oppositum signum Luna peruenit, sequẽti anno adhuc exiui è patria, & rursus succedenti. Anno 42 Luna fuit in Ariete in opposito Solis & Iouis coniunctorum. Anno 68 Luna peruenit ad Martẽ in cuius qua-

drato erat ab initio, & tunc si euasero, ut dixi 58. ægrotabo acuta febre, uel subijciar periculo uiolentæ mortis. Manifestum est quod hoc cõtinget eodem anno, nam Luna ad signũ sextæ domus peruenit: Ascendens ad Sagittarium locum octauæ domus & oppositum maleficarum, & directio cadit in Geminis loco oppositio Sagittario. Si euasero, & hoc quia Luna non est Apheta, sequens annus uel etiam idem declarat iter: at de hoc considerabimus.

Ne quid etiam deesset considerationi, subieci thema eclipsis Solaris quæ incidit in partem ascendentis mei anno ætatis meæ 38. cũ iuberent Astrologi mihi timere. Nec tamen quicquam passus sum eo nec sequen-



Latitudines.

☿	S	D	2	38
☽	M	A	0	15
☉	M	A	0	1
♀	S	D	1	30
♂	S	D	2	18
♃	S	A	0	14

tibus annis, ut dixi, quia eclipsis illa malefica non erat nec nostræ ciuitati congruebat, nec in ascendens processus incidit quod erat sexta pars Geminorum. Inquit enim Ptolemæus obserua ingressus in loca processus, & Aphetarum mutationes in loca obnoxia natiuitatis.

Exacto igitur 68. si potero, in annis 74 peruenit ascendẽs ad quadratum Veneris & Mercurij: Et quia Mercurius est in forma Saturni & finis Veneris, significat morbum uarium & multiplicem, qui cum incidat in decrepitam ætatem facilè occidit. De hoc autem si euasero 56 & 68. diligentius considerabo. Initium quoq; Leonis proculdubio est etiã Anæreta, quia est quadratum latus ab ascendente, & finis Saturni. Sed utinam ad id peruenire possemus.

Animaduertendum etiam quod morbus 8 anni fuit adeò sæuus, ut post illum relictus sit sudor perpetuus singulis noctibus uniuersi corpo-

ris usq;

ris usq; ad 36 annum, & tunc mutatus est in urinæ profluuium, ideò fuit quasi naturalis & minori cum periculo, sed etiam difficilioris sanationis. Et sicut Luna 8 anno peruenit ad □ ♄ 36. ascendens ad ♄, commutatara tione, ita ex sudore nocturno transijt in profluuium urinæ.

Ex hoc patet quòd hi qui ante nos scripserũt, nugati sunt omnes, Ptolemæo uno artis inuentore duntaxat excepto. Neque enim illum primo intellexerunt, nec ausi sunt exempla in semetipsis ponere. Vnde neq; Hali in sua genesi quicquam ausus fuit de uita dicere: Nos autem non nunc solum, sed iam decem ante annis in publicum ædidimus uitæ nostræ futurum decursum.

De forma corporis & temperie.

Luna fuit domina ascendentis, illud etiam aspiciens: Venus præterea secundo loco domina ascendentis & loci Lunæ: Iupiter uerò dominus loci Lunæ & in ascendente: Quartum locum habet Taurus ascendens signum: Quintum, sunt stellæ naturæ Martis & Veneris in ascendente: Sextum, locus Lunæ signum Piscium: Et septimum Mars eum locũ aspiciens. Luna igitur dat corpus uegetum, moderatum, humidum secundum substantiam & aliqualiter calidum & uiuidum ac quasi floreſcens. Aspectus Martis addit bilem aliquam & colorẽ rubicundiorẽ & promptitudinem, & patientiam ad labores & iram aliquam. Iupiter & Venus concordant natura, sed Venus orientalis est, licet uespertina. Iupiter uerò occidentalis à coniunctione, ob id facit album cum coloris commendatione non tamen magna: capillos mediocres, flauos, temperie humimidiore. Circa magnitudinem, quod mater parua esset, pater mediocris, nec significatores in apogeis, aliquãtulum ad paruitatẽ declinaui. Quòd etiam natus sim parentibus senibus fui minus pulcher & ualidus. Mater enim cum me genuit 37. pater 56. annum agebant. Et ob hoc etiam, & quia nodus erat in ascendente, fui maximè in ambulando aliqualiter incuruus collo, non humeris, etiã à pueritia ut senes. Et quia Venus erat immixta Saturno & magis Mercurio, ablata est illa formæ uenustas & uenerabilis aspectus, quem beneficæ dominantes præstare solent. Cum uerò signum esset uernale, & Iupiter ac Venus domini cum Luna plena luminibus, significarunt temperaturam sanguineam & illius superfluam quantitatem. Taurus autem facit frontem prominentem à lateribus. Piscium signum paruitatem adiuuat & humidam temperiem in qualitate, non in substantia. Et quia Mars aspicit Solem & Lunam, & ipsa luminaria cadunt ab angulis, & sunt remota à fixis magnis, ideò significabant oculos paruos ac quasi perpetuo conniuentes: Et hoc etiam erat à patre, sicut quod non haberem uisum ualidum, ut longè prospicerem, acute tamen ualde & sine perspicilijs ut pater. Sed ille candidos, ego glaucos habeo. In cæteris adeò moderatus, ut cum multi cælare, fingere, pingereq;

me ſumma induſtria conati ſint, poſt multos labores, temporisq; haud exiguum ſumptum, operam luſerint. Naturale ueſtigiũ nullum habeo.

De corporis uitijs ac morbis.

Cum nulla maleficarum in angulo ſit, nec luminarium aliquod, maxima illa uitia abeſſe ſignificabũt, tum maximè quia nec in ſexto loco ſunt. Sed cum in ſexto loco Venus & Mercurius, & Sol ſint, Venerem Saturnus aſpiciat, Lunam Mars, & Saturnus poſt radios proijcit, profectò mediocria uitia decernunt & morbos plures. Primum igitur ob locũ Lunæ & radios Saturni ſuccedentes, laborauí perpetuo defluuio pituitę inſipidæ à cerebro ad uentriculum, & hoc etiam ab utroque parente hæreditarium fuit. Secundum fuit ſudor ille nocturnus qui inchoauit octauo anno cum Saturni radij quadrati Lunæ occurrerunt. Erant autem radij dextri. Inde huius loco urinæ profluuium uſq; in finem uitæ. Tertium fuit ſcabies toti corpori communis, quæ cœpit anno 24. cum aſcendens ingreſſum fuit radios Solis & corpus Martis ſubiuit, ubi etiam erant radij quadrati Lunæ. Durauit annis 27. Anno 51 liberatus ſum ab ea cum aſcendens ad ſextiles Iouis radios peruenit in Cancro. Hoc uitium ſignificauit Luna partim Martis radijs Sole in Libra imbutis afflicta, partim Venus in ſexto loco Mercurio exuſto corpore copulata. Eadem coniunctio peperit, quartum & quintum uitium ſcilicet hemorrhoidas, hæ fluxerunt perpetuò ad annum 28. demum poſt non, niſi per longa interualla. Et frigiditatẽ qua detentus fui à 21 anno ad 31. abſq; ſpe ſalutis, nam Venus cum Mercurio à Saturno affligebatur in Libra in ſexto loco. Solutus ſum cum eadem directione ad Martis oppoſitum & Solis ſextilem & Lunæ quadratum peruenit. Sextum uitium fuit tremor cordis à patre hæreditarius ob Solem etiam in ſexta infelicem uſq; ad annum 27 ętatis meæ: ſecreto inuento liberatus ſum in perpetuum: liberatus cum aſcendens Solis trigonos radios ſuperauit. Accedente cõflictabar, id eſt, poſtquam ad initium Geminorum aſcendens peruenerat. Septimum uitium fuit podagra quã Luna in Piſcibus à Marte pulſata quadratis radijs minabatur. Eo tẽpore cœpit quo & Luna ſextili proprio per directionem iuncta eſt. Diſtulit tamen donec aſcendens ad Sagittarij ſignum peruenerat, & Luna ad Libram: hęc enim multis modis infauſta eſſe ſuperius docuimus. Cœpit igitur anno 44 ætatis meæ qui etiam primus fuit diſceſſus & habitationis extra patriam. Die natalitio inchoãtis anni Saturnus & Iupiter coierant in 29 parte Scorpij: Luna cadebat in ♄. & Venus ac Mercurius combuſti in Libra, Mars & ipſe in Capricorno ad quem Luna ibat iter & morbum ſecum adferens.

Cum uerò cœperit eo anno quo aſcendens ſigno Cancri applicuit, eo ſolum anno ceſſauit quo aſcendẽs Iouis ſextili applicuit: manifeſtum eſt igitur in poſterum me nunquã eo morbo penitus liberãdum cum uſq; in

finem

finem uitæ aſcendens per Cancrum eat. Vſq; tamẽ ad 59 annum grauius laborabo, quod aſcendens ad Lunæ radios tendat imbutæ maleficarum radijs. Ita contraria ratione mitius à 59 ad 61. quod aſcendens ſit ſub finibus Iouis, à 61 ad 69 tranſmutabitur in calculum ſi uixero, quoniam Mercurius ibi fines habet. De octauo uitio & cauſa illius, ſcilicet oculorum imbecillitate, dictum iam eſt. Nonum uitium eſt lingua blæſa ob Saturnum retrogradum, Mercurium aſpicientem licet trigono, tum maximè quod pater hoc uitio laboraret. Imminuitur malum Veneris prẽſentia & nixu ac diligentia ſumma atq; arte: Nam uinculum linguæ ter aut quater etiam adultus incidi. Palam eſt autem hęc maiora eſſe morbis, ob continuitatem quæ à Planetis in ſexto loco poſitis & à maleficarũ aſpectu ad Lunam in duodecimo loco poſitam ac imbecillem prouenit: Minora tamen uitijs ob paruitatem cum nec lumina, nec maleficæ in angulis poſita ſint. Patior etiã in ſiniſtro oculo lachrymam quę eo anno cœpit quo & podagra. Sonitu etiam auris ſiniſtræ non admodum graui hoc anno 52. uexor.

De animi qualitatibus.

Oblata erat occaſio non leuis commodi atq; uſus his qui hac diſciplina delectantur, cum nulla exquiſita tam aut certa, aut tam diligenter obſeruata genitura unquam fuerit. Nullius præterea animus, mores, occulta facta, tam mihi explorate eſſe poterant quam mei ipſius cogitationes, cupiditates, et deſideria, impetuſq; primi animi: Sed ut dici ſolet, nihil eſt ex quaq; parte beatum: Si clauſtra animi non uni tantũ, quod multis graue uiſum eſt, refero, non amicis ſolum quod nulli penè ſyncerè faciunt, ſed omnibus quæ cogitaui quæ occulta eſſe omni induſtria uolui, ſi laudare meipſum aggredior, ſi uituperare, quam parum à præclara inſania, ſtultitiaq; abero? Si tacuero quid utilitatis afferam ſtudioſis diſciplinæ? Vincat igitur ueritatis amor & publica utilitas, nec tam turpe mihi ſit meipſum laudaſſe aut uituperaſſe, quam decorum ob ueritatis & ſapientiæ ſtudium me liuidorũ calumnijs & uulgi inſanientis uocibus expoſuiſſe. Nec tam turpe eſt ſemetipſum laudare, quàm iucundum quod iuſtè id facere poſſim: uideãt igitur an falſò me laudauerim. Quòd ſi uitia fatear, quid mirãtur? nónne homo ſum? Et quàm humanius eſt agnouiſſe quàm diſſimulaſſe. Diſſimulata teguntur, agnita fatemur & fugimus. Vincat igitur ueritatis amor dulciſſimus: Et illius cognitio ſuauiſſima omnẽ infamiæ timorem, & calumniæ ſuſpitionem. Et quamuis mores noſtri ſint (alia non nobis propria) ut nec laudare citra iactantiam nec uituperare citra amentiam poſſe uideamur, nos hic non de moribus philoſophia & educatione aquiſitis ſermonem habemus, uerum naturalibus ac talibus quorum non puduerit Socratem dici ſtupidum, imperitum & intemperantem eſſe. Alia enim eſt naturalis affectio, alia ſtudiorum & diſcipline

qua

qua mores uniuſcuiuſque inſtituuntur. Vt uerò procœmium tractatione maius non ſit, ad rem uenio. Venus eſt loci Lunæ ac Mercurij domina & Mercurio multum, Saturno mediocriter, commixta. Facit igitur ad manuum opificia aptum, animo philoſophico & ſcientijs accommodato, ingenioſum, elegantem, bene moratum, uoluptuarium, lætum, pium, fidum, ſapientiæ amatorem, meditabundum, uaria machinantem, mente præſtanti, ad diſcendum pronum, ad officia promptũ præſtanda, æmulatorem optimorum, inuentorem rerum nouarum, & abſq; magiſtri opera proficientem, moribus moderatis, curioſum rerum medicarum, ſtudioſum miraculorum, architectum, captioſum, doloſum, amarulentum, arcanorum gnarum, ſobrium, induſtrioſum, laborioſum, diligentem, ſolertem, in diem uiuentem, nugacem, religionis contemptorem, iniuriæ illatæ memorem, inuidum, triſtem, inſidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, frequentibus calamitatibus obnoxium, ſuorum oſorẽ, turpi libidini deditum, ſolitarium, inamœnum, auſterum, ſponte etiam diuinantem, zelotypum, laſciuum, obſcœnum, maledicum, obſequioſum, ſenum conuerſatione ſe delectantem, uarium, ancipitem, impurũ & dolis mulierum obnoxium, calumniatorem, & omnino incognitum propter naturæ & morum repugnantiam etiam his cum quibus aſſiduè uerſor. Cum uerò luminaria abſint, abeſt illud etiam Græcè dictum τὸ πῦ ἐπαφῶ. Luna quoque luminibus aucta, nobiliorem, ſolidiorem, & illuſtriorem animum decernit, atq; ob id cuncta mitigat: Et quoniam nulla ſtella ſupra Venerem eleuatur.

Quòd ad uires autem ingenij attinet, rurſus Venus Saturno commiſceẽ, atq; Mercurio: Saturnus in Mercurij & propriis dignitatibus eſt, unde Venereorum aſſiduam cogitationem præſtat, ut nũquam quieſcam. Dat & conſtãtiam in agendis. Iupiter in aſcendente proficit nõ parum, tolerantiam addens, unde illa magna moles ſcriptorum emerſit. Cũ uerò ſint tantum tres diſpoſitores animi qualitatum, ſinguli & in propriis & cõmunibus ſunt dignitatibus, quod non leue eſt. Cum uerò decidant omnes ab angulis, ſero omnia hæc apparitura nuntiat, & minora quam ſint, cuius contrarium eſt in alijs. Fructus quoq; horum ſtudiorum exiguos dant, dederunt, dabuntq; pro tantorum laborum magnitudine. Vnum adijciam quod etiam ex aſtris mihi datum eſt, ut ſcilicet gratus ſim his qui mihi benefecerunt. Adeò uerò ueritatis amator, ut à quarto-decimo anno ſupra mendacium me dixiſſe nõ meminerim: Saturni præterea retroceſſus facit perpetuo cogitabundum, manſuetum, fallacẽ, diſſimulatorem, ſed uitia philoſophia correxit, cogitationem ſtudia auxerunt: pertinacem quoque ac miſericordem, cũ Martis & Solis uis omnis abſit: Deiectum maximè, quod pari ratione Soli & Ioui nulla in hoc ſit authoritas. Cupiditatẽ & inijcit hæc conſtitutio omniũ occultarũ artium,

quas

quas aut percepi, aut ut falsas neglexi, uelut Chymicam, & Necromantiam, & ueneficam. Simili ratione cum omnes Planetæ animosi absint, Iupiter, Mars, Sol, fui timidissimus, & suspitione plenus, rerum exigui momenti, uiliũq; sectator nimius. Nihil enim grande hi Planetæ significant, præsertim sic cõstituti. Sedulus & diligens ob id supra omnes mortales: Nam & hæ qualitates remissioris animi partes sunt. Venus etiã potens facit delectari gemmis, lapidibusq; pretiosis sculptis & picturis & musica, ut dixi, supra modum. Eadem iuncta Mercurio maximã in filios dilectionem præstat, ut in secundo libro docuimus. Mars uerò in quadratõ Lunæ in quibusdam rebus facit inconsultum, & iracũdum, & inopinato res tractantem, atq; his in causis undequaq; infelix fui & cum iactura existimationis & rei. Æmuli enim hoc uitium agnoscentes aliquando me captarunt: alioquin si detur tempus, decipi unquam potui. Facit & hoc aleæ studiosum. Cũ uerò Mercurius in Lacteo circulo positus sit, & cum stellula ex natura propria & Veneris in signo humano & retrogradus, ingenium optimum & profundissimum, tardum tamen & turbidum, præstant & conuersationem gratam. Radij quoque trigoni Saturni cum stellis illustribus positi, retrogradiq;, memoriam profundam, stabilem sed fallacem & minimè promptam decernunt. Atq; hæc sunt quæ exuperant, cætera studijs & nixu, ac philosophia imminuta ac quasi abolita, euanuere. In uniuersum cum omnes Planetæ ob commixtionẽ moribus nostris imperent, eo fit ut quanto diutius tracter, eo minus qualis sim agnoscar.

De uitijs & morbis animi.

Vitia nulla animi fuerunt nisi immoderata cupiditas sciendi, quæ à dominis qualitatum animæ proficiscitur: Eratq; paternum uitium ut pecunias & honores scientiæ causa semper contemnerim. Et ueritatis studio commodorum propriorum sæpe oblitus sim. Cogitatio quoq; assidua Venereorum perpetuo me torsit, & quod facto implere nõ licuit, aut feciſſe potentem puduit, cogitatione assidua mentitus sum uoluptatem. Musicam quoq; dilexi nimis: Et ut uno uerbo cuncta complectar, immodicus in omnibus rebus fui, quas dilexi. Odi iniustitiam supra omnia: Et à crudelitate fui semper alienus, quamuis Saturni uis obstaret. Causa autem libidinosæ cogitationis est Venus Saturno & Mercurio complicata, & Mars utrique luminari. Quòd uerò circa actiones naturales essem absque reprehensione, indicat luminarium constitutio secundum naturam, alterius scilicet in signo masculino, alterius in fœminino.

De diuitijs.

Diuitiarum status à uita secundus esse uidetur, quod alia his posthabeant, ut amicos & filios, aliorum plus sibi persuadeant habere quam illis sit necessarium, ut decoris, aut sapientię, aut probitatis. Igitur domini

Sortis

Sortis sunt Venus, Mercurius & Saturnus: Venus carpentum habet & Saturnus, Mercurius primum trigonum. Ad hoc igitur pertinet opum distributio: omnes occidentales præter Venerem, & retrogradi, & Mercurius etiam combustus, omnes quoq; cadentes ab angulis. Igitur summam pauperiem declarant usq; ad senectutem, qua sum semper oppressus. Cum uerò Venus supra Saturnum & Mercurium eleuaretur, & ipsa orientalis cursu aucta & in domo sua, in senectâ diuitias mediocres pollicetur. Ipsa quoq; Sors in trino Martis domini cœli Medij & sub Solis radijs, stipendia publica & dona à regibus decernit. Et hæc etiã serò & exigua, quia Sol & Mars peregrini sunt, cadentesq; ab angulis & altitudine. Direxi igitur Sortem ad Lunæ trigonum, & tunc mortuo patre hæres remansi bonorum. Anno 43 peruenit ad proprium sextilem (hæc autem est meta senij in his qui non nisi in senectute lucrantur cum Sors ad proprium sextilem deuenerit) tunc professus medicinã publicè 150 coronatis, atq; tunc mihi initium fuit melioris conditionis. Anno 47 cum Sors ad Solis sextilem peruenisset auctus sum stipendio usq; ad 400 coronatos. Quo tempore Sors ad Lunę aspectus peruenit, iter feci 23 anno Patauium, 48 Genuam, nulla prorsus causa, sed impellente cœlo. Anno 58 iacturam rei non leuem faciam, si uixero. Sequenti fermè reparabitur donis amicorum, quod fundi calamitate aut domus perierit. Anno 71 si uixero non leue incrementum rei accipiam morte coniunctí, aut sacerdotio, uel alia consimili causa. Illud animaduersione dignum, quòd Sortis occursus patre uiuente irriti fuerunt. Et cum annis 47 & 48 Sors simul sextili Solis oppositi Martis & quadrato Lunæ occurrisset, lucrum publico stipendio aucto, ut dixi, & donis principum feci. Filiæ causa dote data iacturam ob Lunæ quadratum, & ob iter Martis oppositi. Non tamen statim cuncta perfecta sunt. Anno igitur quinquagesimo auctus sum stipendio quod hoc iam 47 anno pactũ esset inter nos ex * Solis cũ Sorte. Neq; tamen quicquã consequi potui quod processus & ingressus omnes aduersarentur: Dilata est pecunia in sequentem annum qui fuit quinquagesimus primus. Tunc enim Sors directione ad 14 partem Sagittarij peruenerat, eadem processu ad Sagittarium translata est. Et Luna tunc fuit in fine Cancri iuncta Ioui domino loci fortunæ uterq; in dignitatibus propríjs, coniunctio uerò in eodem gradu seu parte, & Venus domina Sortis in radice ex fine Scorpionis ambos trigono radio aspexit. Vides igitur consensum mirabilem euentuum. Eo igitur anno ad MM. coronatorum accepi. Anno 59 non fraudabor si uixero, quod Sors ad Leonem pertingat, Leo autem est in sextili Libræ, ubi est Sors radicis & trigono Sagittarij, quo Sors per directionem perueniet tunc temporis, & ut dixi iam nunc, multisq; exactis annis peruenit. Porrò anno 1549 die natalitio mihi Planetæ erant hoc modo positi. Vt uerò intelligas

gas me præuidisse futura, & quæ nuper mihi contigerunt, addam hic quæ anno 1548 de sequentibus annis scripseram. Extat id scriptum ea parte in memoriam & testimonium, quod futura ex arte quasi per umbrã præuideri possint.

☿	24	49	♍	♂	18	27	♎
♀	26	35	♍	☾	19	43	♏
☉	10	37	♎	♄	21	44	♐ st. 2.
☊	13	13	♎	♃	25	51	♉

Exemplar prædictionis factæ anno 1548 de annis futuris usq; ad 1552 Papiæ per me Hieronymum Cardanum Mediolanensem medicum de meipso.

Vt hoc anno 1548 Luna in Saturni opposito & Solis quadrato miris modis maximè per urinæ fluxum afflixit, affligetq; usq; ad mortis forsan etiam periculum. Verum sequens annus cum Planetæ dispositi sint, ut uides in diuitijs parandis tanto melior: nam Luna primũ ad Iouis opsitum ab ipsa receptum uadit, & ad sextilem Veneris & Mercurij iũctorum iuxta locum coniunctionis luminarium radicis, ipsi uerò ambo ad Iouem accedunt, trigonoq; illi retrocedendi sociantur: Demum Saturnus omnes hos trigono è domo sua complectitur: quamobrem aliquid & non leue in re pecuniaria pollicentur. Quod tamen ob radicem magnum ualde esse non potest, scio tamen uenturum, nec unde uenturum possum ullo modo suspicari. Verum cum directiones attestentur, nam trigonus locus à Ioue qui & quadratus Solis locus & Iouis altitudo & Lunæ domus per directionem Ioui & ascendenti applicant hoc anno, & in reditu futuri quinque Planetæ conspirant: quare nõ solum anno 1549 sed & tribus sequentibus proximis annis lucri non leue incrementũ expecto: Quod tamen unde profecturum sit, ut dixi, nec proficisci possit, intelligo. Venturum tamen esse scio.

Hæc tunc scripseram ignarus quid portenderet aduentus ascendentis ad trinum Lunæ & quadratũ Solis, palam autem erat, quod si nouissem quæ clare scripsit Ptolemæus adiecturem fuisse ob iter causa unius principis lucrum illud uenturum, nam Sol proculdubio Principes decernit: sed ego malui ueritatem simplicem narrare, quam falso gloriari.

Nunc uerò dicendum quod cum Sors & Sol assidue uersentur in Sagittario usq; ad annum 55 in quo Sol ad oppositum Saturni peruenit, quod hoc anno & duobus sequentibus ero cum incremento lucri. Sed iam Sol appropinquat finibus Saturni in Sagittario, ex quo nescio quid minatur, at ut dixi usque ad eum annum lucri incrementum manebit.

De honore dignitatibus & gratia Principum.

Hucusq; non solum uera sed & omnibus consentanea diximus: Quæ uerò nũc subijcientur, licet uera sint, ita tamen aliena à decretis astrorum esse uidentur, ut multi negarint genituram quam exposui meam esse: inter quos est Hieronymus Cutica uir non ineruditus in arte. Cõstat enim meam genesim esse sexti status, at ego iam nunc fama & gloria totum or-

bem fermè impleui. Agnitus omnibus principibus & maximis præcipuè, nullum honoris genus non sum consecutus. Quæ non habeo, habere potui: quæ habui, oblata nõ solum sponte sed quasi obtrusa mihi sunt, quemadmodum ab initio proposuimus. Explicanda igitur est ratio horum, & nec mentiri astrorum decreta frustra existimemus, nec genesim hanc quæ tot experimentis comprobata est falsam esse putemus. Igitur animaduertẽdum Ptolemæũ dum de fortuna honoris & dignitatis agit, loqui de ea quæ constat hominum concursu & existimatione, non quæ ad opificium sequit, de illa enim in sequenti capite agit: quare iam omnis difficultas in sequens caput reijcienda erit. Videamus modo si quid ultra sextum statum, cuius est genitura, sim consecutus. Et certè non: nam, ut dixi aliâs, neq; inter collegas gradum aliquem, quod tamen mirũ est, sed non mirum si quis genesim consideret, obtinui. Solus trigonus Martis domini cœli Medij cum Sole aliquem inanem magistratum circa artem pollicebatur, quem certè obtinui. Anno igitur 24 cum cœli Medium ad Solis trigonum peruenisset, electus sum Rector gymnasij Patauini. Tunc cœli Medium ad 19 Sagittarij partem peruenerat, Mars uerò in 21 Leonis, & Luna in 27 cœli Mediũ trigono radio aspicientes. Lunæ locus ad trinum Solis processerat & locus Solis ad Lunę oppositũ & Martis quadratum in Virgine, in cuius opposito fuit Saturnus per ingressum. Et ideò penè submersus sum eo anno in lacu Benaco. Euasi quia Iupiter fuit in quarta parte Arietis, quo per processum ascendens peruenerat, & ascendens ad Solis etiã trinum per directionem. Fuerat etiam Cauda in 17 Leonis parte, quæ non ualde felicem magistratum permittebat. Sed uicit industria & diligentia multa quæ eo tempore aduersa contigerũt: Vt etiam tribunal eo anno nomine meo ei magistratui erectum sit. Anno 25. cum cœli Medium ad Martis trigonum peruenisset Doctor factus sum Patauij in Medicina, reluctante collegio. Omnes enim loci principales ad radicem peruenerant. Et Luna infelix in cœli Medio erat in quadrato Mercurij & Veneris, qui per ingressum ad locum radicis fermè peruenerant.

Contigit ut eodem tempore fermè Sol & Sors, id est, anno 43 ad proprium sextilem peruenirent, & tunc propè Luna quoq; ad propriũ sextilem peruenit, & cœli Medium ad Iouis quasi sextilem: significarunt igitur dignitatem ex arte cum lucro extra patriam. Dignitatem ob Solem, ex arte, ob cœli Medium, cum lucro ob Sortẽ, extra patriã, ob Lunam. Anno igitur 43 post reditum è Senis ac Florentia Medicinam publicè cœpi profiteri honesto stipendio: tam uerò inopinato, ut quãdoq; cogitarem mecũ an dormirem. Sine amicis, non quærens, omnia præter Medicinam, uel magis scire eruditus, cum tot æmulis nunquam aliâs uel dialecticam aut philosophia professus. Eo anno ut par erat, omnes Aphetæ

ad

ad contraria loca peruenerunt, non tamen eo dilata est electio, sed solum effectus, ut attendẽdus sit 42 annus etiam. Anno igitur 42 locus Solis peruenit ad locum Lunæ, & Luna per ingressum ad oppositum Solis, & sextilem Martis: Cœli medium ad locum Saturni & trigonum Veneris & Mercurij, & Iupiter corpore, quod optimũ fuit in hac causa, Soli iunctus erat. Annus 43 non ita fauebat, quoniam omnia absurda erãt: Atq; ita etiã res omnino infeliciter cessit extra academiam sine auditore inexpertus. Vicerunt tamen astra, quoniam ut uidisti applicabant, nõ defluebant Aphetæ. Perseuerauí igitur ad annum usq; 50 scilicet perfectũ. Nec statim extra patriam profectus, sed sequenti anno, ideſt, 44.

Cæterum amicitiam arctam cum nullo Principe nisi sacerdote iam decem atq; amplius annis prædixeram in libro cui titulus est Supplementum Ephemeridum. Hic autem cum ut dixi iam ab hinc annis decẽ ædi tus sit, ea uerba habet: Cæterum nulli Principi gratus esse potero, nisi qui ecclesiasticam habuerit dignitatem. Et in prædictione anni 1548. Cuius supra memini eidem sententiæ inhærẽs: Sed quia Sol est infelix, ero quasi in contemptu Principum, ad illorum tamen perueniam notitiam, non tanquam aulicus sed aliorum medio. Item cum sacerdotio insignibus copulabor aliquando, dico primas partes tenentibus: quod quamuis fermè ad hanc diem consequi potuerim, hora tamen, ut dici solet, nondum uenerat. Causam huius liquet esse Solis infelicitatem, & Iouis in angulo potentiam: nam Iupiter propriè antistites significat. Id uerò licet etiã uidere in secunda genesi præsenti collata. At de hoc, ubi de amicis tractabo, diffusius loquar.

Nomen uerò illud quo cognitus sum toto orbe, quo cronographis, alijsq; de me scribendi occasionem dedi, quo agnitus sum regibus, declarant Vultur uolans in cœli Medio, Procyon in imo, clara fusionis prope horoscopum cũ Ioue luminosior lancis in occidente. Inquit enim Ptole- *Cap. 3 lib. 4.*
mæus, at si luminaria quidem in cardinibus nõ sint, Cardinales tamen satellites Planetę extiterint, aut cum angulis cõfigurati in illustrioribus quidem dignitatibus nõ constituentur, in ciuilibus tamẽ hi promotionibus & in sui generis mediocritate excellent. Est autem quinti status: Sed non licuit Ptolemæo cuncta adijcere, uerum oportet ipsum ex ipso ob breuitatem intelligere. Si enim illi hæc oblata fuisset genitura, dixisset hæc fama & splendore nominis erit illustris, nõ tamen re, & censu, aut magistratibus magnus erit: nam non unus cardo à stella, sed omnes ab insignibus: nec angulus solum, sed angulorum cuspides quas ipse cẽtra uocare solet, illustrantur. Inquit enim in capite de forma: amplius ex fixarũ ipsis *Lib. 3. cap. 15. post principiũ.*
coascendentium stellarũ delineatione. Et rursus in capite de modis futurorum: Idem uolo intelligi seu erratica, seu inerrãs præferatur, seu signifer locus, ut naturæ hoc sit priuilegium & proprietatis, non stellarũ. Et

Lib. 2. Tex. 43 & 44. in capite de genere euentuum. Stellarum autem inerrantiũ assumetur ea quæ loco defectiuo quasi assederit in præcedente cardine: Primum splendore secundum nouem modos demonstratos in primæ cõpositionis nostræ libris: Deinde uel cũ cardine orientis uel cœli Medij sequente locum defectiuum reperta. Quis dubitat fixas iuxta Ptolemæi sententiã non habere egregias uires? Cum Luna (experimento didici) maximã fortunam præstant, cum Venere coniugium celebre cum fuerint beneficæ: In centris famã solum prẽstant, quod per se in priuatorũ causis minimè agant, & ob id famam declarant, quod fama ad generale decretũ pertineat. Ideò in deliquijs multum addunt in decreta, non ita in priuatorum causis, nisi Planetę iungantur, aliter inanem gloriam & nominis celebritatẽ etiam post fata mansuram præstant. Iuuit & statum nostrum Mars cœli Medij dominus in Solis trigono. Sed iam uideamus cur Rectoris officium cœli Medium decernere potuerit, quod ad dignitatẽ magis pertinebat: Profitendi exercitationem quę ad opificium magis pertinet Sol, cum potius conuerso modo id fieri oportuerit. Sed Regendi officium non sine Solis testimonio cœli Medium decreuit, sed cũ ad illius trigonos radios peruenisset. Profitendi autem officium cum publica res sit, non priuata, ad Solem pertinebat. Atq; eo magis infringebat Solis uis mixtione quadam, cum ut dixi non is solum, sed Luna quoq; & Sors & fermè etiam Iupiter ad proprios sextiles radios peruenissent. Nunc demum uideamus quid in posterum sperandum: Et sane usque ad annum 54 satis bene, nam Luna sub proprio sextili, & Sol sub Lunæ quadrato, & cœli Medium sub

Lib. 2. tex. 82 Iouis sextili perambulant secundũ Ptolemæi decreta, illis uerbis (Ascísemus proximè antecedentẽ usq; ad eum locum) uerum anno 54 cœli Medium ad quadratũ Martis, 55 aut Sol ad Saturni oppositum accedit, quæ duo detrimenta non leuia erunt. Sed primum exiguum cito commutabitur cœli Medio ad Lunæ corpus translato. Quæ si commodo in loco esset, non mediocre bonum decerneret. Anni igitur 55 & 56 alter pro honore reliquus pro uita, sunt mali. Constituam autem thema quatuor annorum proximè futurorum, non solum ad cognitionem casuum propriorum, sed ad exemplum examinandarum geniturarum.

53 Ini-

53 Initium

Directiones				Processus			Ingressus			
Ascendens	♋	5	45	♍	6	10				
Luna	♉	23	22	♋	11	42	☾	♉	9	41
Sol	♐	18	51	♒	10	37	☉	♎	10	37
Cœl. Med.	♓	9	29	♉	18	15	♄	♓	11	35
Sors	♐	16	5	♒	7	15	♆	♍	19	52
							♂	♏	16	18
							☉	♌	24	43
							☿	♏	2	13

54 Initium

Direct.			Proces.			Ingres.		
♋	6	33	♎	6	10			
♉	24	34	♌	11	42	♍	16	33
♐	19	58	♓	10	37	♎	10	37
♓	10	31	♊	18	15	♓	25	25
♐	17	12	♓	7	15	♎	13	4
						♌	10	15
						♏	14	17
						♎	14	26

55 Initium

Direct.			Proces.			Ingres.		
♋	7	21	♏	6	10			
♉	25	46	♍	11	42	♄	23	0
♐	21	5	♈	10	37	♎	10	37
♓	11	33	♋	18	15	♈	9	41
♐	18	20	♈	7	15	♏	6	47
						♐	1	50
						♍	19	43
						♍	25	20

56 Initium

Direct.			Proces.			Ingres.		
♋	8	9	♐	6	10			
♉	27	0	♎	11	42	♊	17	32
♐	22	12	♉	10	37	♎	10	37
♓	12	35	♌	18	15	♈	24	24
♐	19	27	♉	7	15	♐	1	54
						♌	23	51
						♎	24	13
						♍	27	38

In uniuersum senectus erit illustris, sed ærumnosa propter inerrãtem splendidam in occidente naturæ ♂ & ☿. Vt uerò quasi typum habeas, unius anni expositionem proponam, proximioris exempli causa, ascendens est per directionem in Cãcro & in finibus Martis, unde podagram anno 53 decernit & maximè quòd per profectionẽ est in Virgine sub opposito Lunæ & quadrato Martis, & quia finis est Mercurij erit res uaria, mutabilis & implexa, & Iupiter præsens mitigat eam. Et forsan etiam significabit iter. Quia tamẽ Luna est in ascendente radicis & ubi gaudet, non erit periculum de uita nec iter, aut si erit, erit breue & patriæ proximum. Deinde aspexi Lunam quæ peruenerat ad Pleiadas significans tin

nitum, lachrymam in oculis, animum inconstantẽ. Et hoc anno ero prudentissimus, quia Lunam respicit Saturnus trigono quidem processum & sextili ingressum. Et quia est in loco Lunæ radicis, ero admodum tristis eo anno & melancholicus, nec causam possum suspicari. Ero præterea cum frigiditate cerebri & uentriculi. Quòd ad opificium attinet, non multum lucrabor, nam ad locum Lunæ licet cœli Medium perueneritSaturnus locum impedit. Habebo autem quędam insperata lucra, nec authoritas crescet, imò quasi minuetur. Tristitia erit occasione filij, qui non rectè aget occasione morbi impedientis, non ratione periculi proprij & ratione paucitatis lucri, & authoritatis : Pouebitur propter Lunã, cuius locus in radice est locus directionis cœli Medij, & locus ingressus est in sextili cũ concordia loci directionis. Et locus directionis Lunæ est locus processus cœli Medij, licet parũ faciat. Quod ad dignitatem extra opificium retinebo eam, & augebo, quia locus processus est in trigono proprio & Martis meliore loco quo possit esse. Et nisi properaret directione ad oppositum Saturni, haberem indubiè dignitatem. Ingressus hoc anno parum aut nihil facit in hac causa. Sors cũ sit inter oppositum Martis & Saturni, non potest esse bona, præsertim quod nihil auxiliatur: Erunt ergo dispendia magna. Habebo tamen aliquid à Principe, quia locus directionis est in domo Iouis & in sextili processus, & processus iuxta trigonum Martis & Solis radicis applicãs. Et hoc erit iuxta mensem Maij cum menstruus processus ad Iouis locũ peruenerit. Vides autem per oppositum quantum periculi immineat anno 56 cum Sol Luna & ascedens Saturno per partem uel eius oppositio misceantur, & Luna processu ad Solem deueniat. Quid uerò Luna significet mihi in loco Saturni uolui uidere, & inueni quod in 37 reuolutione Planetę erant ut uides. Eo anno passus sum nouem diebus tremorẽ cordis usq; ad mortis timorem, cũ iam pluribus annis cessasset. Sumpto medicamento ex gemmis euomui uenenũ, genitũ in corpore. Erat enim bilis eruginosa. Nõ nocuit amplius, quia directio nulla obstabat, nisi quod ascendens erat sub Saturno: at hoc, ut dixi peperit fluxũ urinæ. Et processus redierat ad radicem & Lunam, quod plus est Venus ex sextili aspiciebat. Eo etiam anno quoniam Venus domina loci Solis erat in quadrato Iouis, mutuoq; se recipiebant, & Mars in sextili Solis ab eo receptus. Et Venus iuxta cor Leonis in sextili Lunæ & ipsa, ut dixi, domina loci Solis, ideò congressus sum cum Pontifice prima Maij 1538. Et miraberis quoniã Sol fuit ea hora in parte et minuto Iouis in initio anni, id est, in Par. 20. m̃. 27. Tauri. Et Mars in parte eadem loci Veneris, id est, in 25 parte Leonis & Luna in Par. 28. m̃. 20. ♓ ubi erat in ini-

Sol	♎	10	37
Luna	♓	20	42
Saturn.	♍	14	55
Iup.	♉	20	27
Mars	♌	1	17
Venus	♌	25	0
Mercur.	♎	5	14
Caput	♓	5	19

in initio anni, & Caput in ♉ 23.44. id est, in loco Iouis. Ex hoc tamen demonstratur imbecillitas ingressuum, quia cum nec directio, nec processus fauerent, ex magna spe in inanem omnino euentum res transijt.

Ex his etiam patet quod honores non ita facile mutantur, ut diuitiæ, ualitudo, amici, & reliqua: quia in singulis annis Sol ad propriū locum redit, ideò parum mutat conditionē, quam ab initio radicis sortitus est.

Præterea uides quod nisi concurrant multæ directiones, processus, & ingressus, nihil magni sequi potest. Ex omnibus enim ad honores pertinentibus, nihil fuit magni præter professionem publicam. Videbis & aliud in capite de opificio, & tertium in capite de itineribus: & in omnibus his est mira concordia directionum, processuum, & ingressuum, & in nullis alijs, ut nemo nisi amens possit iam de his dubitare, nec superest aliquid magni, nisi in 55 & 56 anno, & si superauero inter 68 & 69.

Ex his etiam liquet quod Ptolemæus per illa uerba (propter humanæ naturę imbecillitatem) intelligit etiam aliud quàm significare uidebatur, scilicet quod natiuitas imbecillis quandoque licet raro ut ibi testatur & inferius clarius concursu multorum in idem tempus, præsertim idem significantiū, potest ualida reddi, & maximos sortiri effectus: Et per contrarium ualida genesis dispersis per diuersa tempora directionibus, processibus, & ingressibus, ultra quam credi debeat, debilitari. Desinant igitur mirari nostram genituram, quæ multos præstare potest honores, ullum tamen perpetuum decernere nō potest. Placuit igitur rem difficilem, concursuū exemplo declarasse, sed & inferius lōgè melius explicabitur. Lib. 4. tex. 80 Lib. 4. tex. 88

Superest modo solum ut doceā qualiter scias quocūq; tempore etiam intermedio loci principales quos quinq; esse docuimus quo per directionem applicent. Exemplo sumpto à Luna cuius locum uolo scire pro annis quatuor descriptis. Non inuenio in directionibus eius nisi annū 42 menses 9. Et annum 67 menses 5. & ideò considero quod differentia est annorum 24 mensium 8. sextilis proprius Lunæ cadit in Par. 11. m̄. 42. Tauri. Trinus Solis in Par. 10. m̄. 37. Geminorum: discrimen est Par. 28. m̄. 55 diuides Par. 28. m̄. 55. per annos 24 menses 8. ducendo omnia per 12. & habebis 347 partes & annos 296. reducito 347 partes in minuta habes m̄. 20820. diuide per 296. exeunt m̄. 70. quæ respondent singulis annis, & quia ab annis 42 mensibus 9. ad annos 52 perfectos desunt anni 9 menses 3. ducam hos in m̄. 70 & fiunt Par. 10. m̄. 47. addo loco sextilis proprij, qui fuit Par. 11. m̄. 42. ♉. fiunt Par. 22. m̄. 29. ♉. Capio igitur horaria tempora Par. 22. m̄. 30. ♉. & sunt Par. 18. m̄. 7. Et differentiam ascensionis rectę quæ est Par. 120. m̄. 19. Et similiter capio tempora horaria Par. 23. m̄, 30. ♉. & differentiam ascensionis rectę addita, scilicet una parte, erunt igitur horaria tempora Par. 18. m̄. 10. differentia ascensionis rectæ Par. 121. m̄. 20. Accipio etiā horaria tempora Lunæ quæ sunt Par.

13.m.52. Differentia ascēsionis rectę Par.53.m.23. collocaut uides à latere. Inde resolue omnia in minuta ut uides præter differentiam ascensionis rectæ, promissorum habebis differentiā ascensionis rectæ Lunę 3203 m. horaria tempora 832. m. horaria tempora 22. 30. ♉. 1087. m. duc in 3203 fiūt 3481661. diuide per 832. exeunt 4184. m. diuide per 60. m. habebis Par.69.m.44. detrahe ex Par. 120.m.19. relinquūtur Par.50.m.35. Similiter ducito 1090 horaria m. Par. 23. m. 30. ♉. in 3203. m. differentiæ ascensionis rectæ Lunæ, prodibunt 3491270. diuide per horaria tempora Lunæ in m. redacta, prodibunt m. 4196. diuide per 60. exibunt Par.69. m.56. detrahe ex Par.121.m.20. differentiæ ascensionis rectæ 23.30.♉. Tauri relinquuntur Par.51.m.24. Habes igitur pro 22.30. Tauri Par.50.m.31. & pro 23.30. Tauri Par.51.m.24. His adde septuagesimam secundā partem, ut te docui & habebis Par.51.m.17. & Par.52.m.7. Tu autē uelles annos 52 ad unguem: Vides igitur quod m. 50. ex his producunt m. 80. in ecliptica, quia istæ sunt ascensiones 22.30.♉. & 23.30.♉. quorum differentia est m. 60. duc igitur 60 in 7 fit 420. diuide per 50 exeunt 8.m. Et quia Par.52.m.7. sunt plus quam oporteat detrahe m. 8. ex Par. 23.m. 30. Tauri remanent Par.23.m.22. Tauri: & ibi est Luna in capite 52. anni. Et inde uides quod si annus diuidat in 50 partes postulat partes 60. igitur si diuidat in 60 partes pro singulis annis oportebit addere m.72. seu Par.1.m.12. adde igitur, & habebis pro 53. anno completo, seu initio 54. Par.24.m.34. Tauri: & pro initio 55 anni Par.25.m.46 Tauri: & pro initio 56 anni Par.27. ferme Tauri. Et licet hæc ratio aliquantulum discrepet ab exactissima, nullum tamen errorem sensibilem adducere potest, nisi quod oporteret habere exquisitissimam tabulam horariorum temporum. Quod si adhuc faciliorem computum desideras, fabrica instrumentum dirigendi tam magnum ut limbus capiat 3600 diuisiones, ut ad sena minuta peruenias. Nota etiam quod Mars ad unguem intuetur imum cœli, & imperat cœli Medio.

53	23	13	52
120	19	18	7
121	20	18	10

3203 — 832 — 1087

3481661

832 — 4184 — 60

69	44
50	35

3203 — 832 — 1090

3491270

832 — 4196 — 60

69	56
51	24

De

De opificio.

Mirum uidetur de honore, sed maius miraculum est de opificio: nulla est stella in cœli Medio, nulla in primo orientis statu, & tamen assiduè exercui artem? Sed uerè Mars est dominus opificij, quoniã licet non sit in cœli Medio nec in primo orientis statu, est tamẽ dominus cœli Medij & primus ex superioribus ac inferioribus qui antecedat Solem. Et loco status est in trigono Solis, & applicat Sol illi, non defluit, unde est intra terminos, & est in domo, trigonoq; Mercurij in finibus Iouis, ab eo etiã statim Luna defluit. Significauit igitur artem & nobilem, ob fines & luminarium testimonium, & præsertim quod pater fuit Iurisconsultus. Nihilo secius, quia non aderant conditiones à Ptolemæo scriptæ, plus quàm decies fuit interruptum exercitiũ, & intermissum, legendo, peregrinando, litigando, ludendo, scribendo, ac etiam ex inuidia medicorum maledicentium. Accusarunt me insaniæ, ignorantiæ, instabilitatis, improbitatis, flagitiosæ uitæ adeò multipliciter, ut multitudine accusationũ potius leuarer, quam opprimerer. Quis enim mortalium unquam tam malus esse potuit, præsertim cum nihil mali facerem, nisi quod odissem illos ut improbos? Vt ad rem reuertar, modo negotia, modo otium, modo impotentia interpellarunt ne non solita ægrorum frequentia, ut alij, exerceam artẽ: in posterũ ætas ipsa interpellabit. Anno 19 cũ in gymnasium me contuli fata quippiam magni ex astrorum constitutione polliceri uidebantur: Sic enim erãt Planetæ in initio reditus. Omnes igitur præter Venerẽ fuerunt iuxta locum Eudemonis, qui mihi est ♎ pars 24 cum ibi sit Venus & Mercurius cum trigono Saturni absq; malefici impedimento ullo. Processus erat ad opposita loca qui mutationem fortunæ declarabat. Eo anno exiui è patria, & cœpi libertatem experiri.

Sol	♎	10	37
Luna	♎	24	2
Iup.	♎	26	27
Mercur.	♎	28	7
Mars	♎	28	45
Cauda	♏	23	33
Venus	♏	25	36
Saturn.	♑	15	11

Singulis reditibus ad opposita loca magna mutatio mihi in statu uitæ contingit: 7. anno cœpi patri inseruire, totus ille decursus fuit ærumnosus, mutaui domum etiam habitationis. 19. ut dixi, in gymnasium me contuli, bona fuit mutatio. 31. anno uxorem duxi, altera seruitus præsertim studioso. 43. cœpi, ut dixi, profiteri medicinam: utilis seruitus, iucunda mihi & honorifica: Nũc 55. annus me expectat. Directio, ut alias dixi, Lunæ ad Solis oppositum.

Post anno 34 cum cœli Medium ad Saturni trinum peruenisset, redij in patriam habui munus profitẽdi mathematicas, cõcordiam cum collegio: erant autem ingressus qui maximè fauebant ut uides. Sed quia Mars cadit

Sol	♎	10	37
Luna	♉	7	14
Satur	♌	9	21
Iupiter	♑	22	22
Mars	♎	23	22
Venus	♍	1	40
Mercur.	♎	20	56

in Li-

in Libra, & Iupiter in Capricorno, & maleficarum dona præsertim Saturni, sunt specie non re, idcò illa bona mihi omnia fuere exitio & calamitati fermè. Processus nõ iuuabant nisi per ingressum, nam cœli Medium erat in 19. parte Libræ, & ibi fuit Mars & Mercurius, & Iupiter fuit in quadrato eorum, & in cœli Medio radicis, sed hoc leue est.

Audi nunc rem miram anno 37 cœli Medium peruenit ad trigonum Veneris & Mercurij in 24 parte Aquarij, & non potuit aliquid facere quia processus non auxiliabatur, sed solum præparauit media ad consequendum collegium, à cuius ingressu iam detinebar octo & amplius annis pluribus sententijs seu decretis collegij iam in iudicatum elapsis. Senatu causam perpetuò ad illos remittente: Et quod maius est, conuentione per me facta cum collegio, qua iuribus meis illi cesseram renuntiaueramq;. Igitur hoc anno primum mortuus est is qui aduersum me pessimè egerat: in gratiam principis Istonij perueni: amicitiam cum Sfondrato, cuius genesim supra uidisti, contraxi: Lucas Cruceius uir iustus sponte, & fratris Francisci Cruceij suasu etiam iustior, in locum demortui hostis subrogatus est: Eo tamen anno, ut dixi ob processus nihil peragi potuit. Sequenti anno qui fuit 38 cœli Medium ad 19 Aquarij partem peruenit, quo etiam per directionem & ubi radij Veneris & Mercurij trigoni, sed obstabant trigoni radij Saturni qui ante erant, hi conuentionem factã significabant. Obstabant etiam radij quadrati Martis. Porrò Planetæ in initio anni se habebãt, ut uides.

Sol	♎	10	37
Luna	♎	26	57
Satur.	♑	26	1
Iupiter	♊	25	55
Mars	♏	22	5
Venus	♏	13	18
Mercur.	♎	19	13
Cauda	♑	15	58

Luna & Iupiter locum processus cœli Medij & Mercurius & inter se trigono radio respiciebant. Abfuit Saturnus omnino. Vides igitur ueram concordiam euentuum cum dictis Ptolemæi. Quia uerò res ardua erat & difficillima, dilata est ad ultimum mensem anni, cum processus menstruus peruenit rursus ad Aquarij signum, & in eo comprehendebatur, ut & in annuo locus Lunæ & sextilis Iouis. Neque hoc sufficit, sed etiam dies fuit in quo processus ad 19 Aquarij partẽ peruenerat. Eo die qui fuit 28 Augusti 1539 Luna fuit in loco radicis & loco etiam processus, nam omnes tres processus anni, mensis & diei incipiunt à 19 parte Aquarij, & extenduntur ad 19 Piscium, & fuit eadem die oppositio luminariũ. Et hoc est mirabile quod omnia quæ mihi contigerunt magna, electio in rectorem 2 Augusti 1525. coniugium, doctoratus, ingressus in collegium, semper contigerunt mihi in ipsa oppositione Lunæ, & multa alia. Et hoc causam certè habet apud me occultam & difficilem. Nec credas quod ego de his cogitarem, imò igonrabam hoc penitus. Quinetiam ille mihi perfidus hostis, cũ aliquid sciret ex arte, in prima societate collegij quæ contigit anno 1535. dixit elegi huius

gi huius ſocietatis tempus dum Luna eſt in Aquario ſigno fixo, ut tibi faueam, ne hoc pactum unquam diſrumpi poſsit. Ita aiebat uir dolorum: ſed occulta ſunt iudicia diuina: cum enim quod ſimulabat de ſocietate in fauorem, eſſet è directo contrarium, quia per illud pactum priuabar debito mihi collegio, elegit locum mihi propitium ad habendum collegium, neſciens quod pars ultima Aquarij erat mihi maximè fauens. Et ob hoc ſoleo dicere quod electiones propter duas cauſas ferme plus nocent, quam iuuent.

Hoc anno etiam habui à principe Iſtonij aliquot aureos propter Sortem quæ ad Scorpionem deuenerat, & ibi erat Venus. Et iam ut dixi geneſis eſt parata repentinis donis Principum.

Hac igitur cum geneſi cum fidem & integritatem omnes cum quibus morabar admirarentur, pudorem maledicendi æmulis iniecí. Quod ad inſaniam attinet, ſi ego inſanio aut inſaniui unquam, uos qui me accuſatis, ueſtram oſtendite ſapientiam. Ego infirmus natus corpore, pauper, temporibus quibus perpetuo bella uiguere, nullo affinium fretus, aduerſante collegio, nullis inſidijs ſuccubui, nulli uiolentiæ, omnes gradus quos medicus habere poteſt aut habui, aut oblatos recuſaui, meos erexi, inculpatus uixi, Principibus omnibus & toti Europe abſque dubio cognitus: ſcripſi quæ probantur, totq; & tanta ut uix tota uita quis legere omnia poſsit. Rei familiari conſului. In omni certamine uictor, iudicio omnium. Adeò fauente cœlo, ut multi aperte faſsi ſint cum decertarent, ſe omnium oblitos eſſe. Quod etiam facile ter cuiq; adeò uidere licuit (Et erant qui certabant egregij uiri) ut omnes mirarentur. Nulli Principi blanditus nõ ſolum fui, ſed & egregiè aduerſatus. Multorum libris paſſim inſertus, incolumi ualetudine & ſatis lõga uita ſi 56 annũ licuerit excedere, inuentione multarũ nouarum & magnarum rerum feliciſsimus: exercitatione artis & ſucceſsibus, ut eadem gloria primo mihi comparauerit inuidiam, inde extinxerit. In uniuerſum, Saturnus cum ſtellis nobilibus eſt cauſa magnitudinis nominis in arte: Quia dans formã dat quæ ſequuntur ad eam. Vt dans excellentiam artis, dat etiam formam ex illa. Adiuuerunt decreta honoris, diuitiarum, authoritatis in opificio, geneſes filiorum fauſtæ ut aliâs oſtendimus, & infra ſumus oſtenſuri.

De coniugio.

Luna fuit occidentalis quo ad Solem, orientalis quo ad angulos, ideò ſignificauit coniugium in media ætate. Non opus eſt directione in hac cauſa iuxta Ptolemæi ſentẽtiam, ſed cum loca principalia in ætate media peruenerũt ad ſuum oppoſitum. Id contigit anno ætatis 31. Eo anno Luna uenit propè locũ radicis in oppoſito Veneris. Venus fuit in loco proceſſus Lunæ at Venus domina aſcendentis. Eo etiam anno Mars fuit in in oppoſito Iouis & in fine Arietis, & Saturnus iuxta locum radicis in fine Ge-

ne Geminorũ in sextili Martis & trino Iouis. Mars autem retrogradus, & dominus ascendentis processus. Exactus erat circuitus Saturni qui so let impedire coniugium. Et hoc nota: nam qui ante 30 annum nubunt, magnam habent significationem coniugij, & plerunq; sæpius nubũt, de uiris dico: in fœminis quæcunq; ante 15 annum: is est terminus dimidij circuitus: Et hæ ut plurimum nubũt plus quàm semel. Ita ego collegium ingressus sum exactis ad unguem 15 annis à morte patris, nam ex bisexto suppletur dies qui deficit, & supersunt duo dies alij. Patris autem genius hac in causa obstabat mihi. Et hoc est quod dixit Aristoteles, uitam & reliqua animantium certis syderum circuitibus constare. Verum ut ad rem reuertar, eo anno Mars septimi loci dominus peruenit ad Lunæ radios trigonos. Mars igitur significat personam meam in causa coniugij, quia septimi loci dominus, & Luna uxoris. Tam parum autem abfuit ab hoc congressu, ut ne unus dies: sed hæc præter Ptolemæi sentẽtiam. Ad illius placita reuertor, Luna fuit in bicorporeo signo & Ioui atq; Marti cõfigurata, ideò debuit significare duas uxores. Et certe significasset nisi quod Luna pergit ad Saturnum, & Saturnus commiscetur nimis Veneri quæ est domina ascendentis: ideò prohibet secũdam, non tamen potuit prohibere primam, de secunda etiã parum abfuit. Eodem igitur modo quo 7 annus 19.31.43.55. plerũq; significant uitæ mutationem, eodem modo 8.20.32.44.56.68. pernitiem & exitium si maleficæ sint in secundo uel octauo loco aut quinto uel undecimo, nam ascendens ad octauæ signum perpetuo his annis per processum deuoluitur. Vbi minus affligat, significat morbos, itinera & corporis incommoda: In quibus nihil aduenit, in his beneficæ ibi sunt constitutæ, aut illarum radij trigoni ad hunc octauum locum perueniunt, aut anni directio ascendentis & Lunæ omnino felix est & à noxa aliena. Hanc reor fuisse causam quod uidi quatuor iuuenes omnes patribus unicos ex legittimis anno 20 mortuos fuisse. Et certè is annus magno periculo generaliter non uacat. 56. aũt longè maiore quo Scipio & Virgilius & multi clarissimi uiri obiere. Nam eo anno redit ascendens & Luna ad 8 signum, cui non configurãtur: & ideò est proportio eius ad ægrotantes, quasi sicut octimestris ad parientes: nisi quòd tota malitia octaui mensis dispergitur in plures annos 8.20.32. & reliquos, unde uis tanto minor euadit. Ætas uerò tunc est iam effœta, & hic annus est ultimus custodiæ Martis: unde nõ secus effundit Mars iram suam eo anno, quam improbi milites, cum coguntur relinquere hospitium illis assignatum: Ob id cum contingat numerum illum per septem posse diuidi, frustra crediderunt annos quos uocant climatericos à numero climatũ quæ sunt septem, id est, qui possunt per septem diuidi, ut 7.14.21. & tales esse exitiales. Hoc enim est alienum à mente Ptolemæi, & à ratione, quamuis nos seducti aliâs authoritate Arabum id confessi

simus

simus. Et ratio demonstrans hoc, est quia idem sub eadem forma non potest habere nisi unam & eandem administrationem: Sed Planetæ simpliciter habent diuisionem illam ætatum à Ptolemæo, igitur simpliciter nullam aliam habere possunt. Secunda quam habent uocatur possessio radiorum, uel corporis. Tertia dominij uel locorū distributio. Quarta possessio radiorum uel corporis noua seu superueniens. Et similitudinē horum euentuū singulis 12 annis, ut dixi, cōfirmat Iupiter rediens ad idem signum. Et sicut homo per reditum Solis singulo anno ad eundē locum experitur singulo anno æstatis calorem, hyemis frigus, Martij uentos, Maij iucunditatem, quæ sunt manifesta, quoniam Sol & ipse manifestus est mundo, ita singulis duodecim annis homo per reditum Iouis ad eundem locum paulo serius, aut citius in diebus experitur quid occulti simile, uelut reditus Iouis occultior est reditu Solis.

Reuertendo igitur ad propositum, cum Luna esset Marti configurata significauit uxorem animosam, peruicacem, & indomitam. Et quia erat in dignitatibus beneficarum, mitem & ingeniosam, & mediocriter pulchram. Cum uerò esset in Piscibus & in aspectu Planetarū masculorum, fœcundam masculorum. Abortiuit igitur tres masculos, duos perfecte partu & unam puellam ædidit, qui omnes superuiuunt Dei gratia. Tempus igitur est, ut de his loquar: nam de consensu inter nos loqui nō possum, cum illius genituram non habeam. Vixit autem mecū 15 annis, & in tāto tempore Mars dominus septimi loci peruenit à radijs trigonis Lunæ, qui, ut dixi, significabant diem ipsam coniugij scilicet annos 30 menses sex dies 24. ad radios quadratos Veneris & Mercurij. Sed hoc non dixit Ptolemæus.

De filijs.


Iupiter Venus & Luna sunt largitores communes, sed Luna non respicit decimum locum nec undecimum: Ob id cum etiam cadat ab angulo, nullos dabit filios. Iupiter proijcit radios in decimam iuxta finem in quartam Aquarij partem ubi sunt propè radij trigoni Solis & Martis, & etiam quia quadrata radiatione ex æquinoctiali respicit apicē decimę domus quia est in signis breuium ascensionum, ideò significat primum filium natu masculum, nam omnes Planetæ & signum sunt masculina & cum natus est fuit Iupiter in initio Aquarij ubi erant radij quadrati eius in mea genesi in decimo loco. Sicut etiam mihi Iupiter & ascendens fuerunt iuxta locū ubi erant radij quadrati Iouis in 11. initio in natiuitate patris. Videquam bellè congruit. Et sicut mihi Iupiter cum illo gradu qui fuit nodus Tauri fuit in ascendente, ita in filio meo Iupiter fuit ascendentis dominus. Secundum filium largitur Iupiter radio sextili in Piscibus sub Luna, & ideò quia Iupiter erat in signo fœminino & radij eius in signo fœminino & sub Luna, ideò secūdus filius fuit fœmina. Et ideò Lu

na fuit in quarto gradu Piſcium ubi cadunt radij ſextiles Iouis. Sed quia uel ſic debilis erat conſtitutio loci filiæ cũ eſſet in fine undecimæ domus, ideò adiuuit eã trigonus Veneris in fine 11 domus, & cecidit in Aquario & ibi fuit Iupiter propè 29 parte Aquarij in natiuitate filiæ. Et quia in natiuitate filij ſignificator fuit in decimo loco & ibi radij Solis & Martis ſignificarunt robuſtum & morboſum & ita in infantia fuit in maximo mortis diſcrimine. Sed puella cum habeat ſignificatorem in fine undecimæ ſed in ſigno prolifico & auxio Lunæ præſente ſine maleficis ideò ſignificabatur quod eſſet imbecillis & incolumis in infantia. Et ita fuit, erat enim adeò exilis ut ſupereſſe non ſperaremus, adeò ſana ut nũquam peritura uidereī. Veneris uerò radij trigoni cadebant in 24 partẽ Aquarij, quadrati uerò in 24 Capricorni: hi in cœli Medio illi in 11. loco. Qui in 11 locum ceciderunt erant debiles, & Venus debilis, fuerunt auxilio filiæ. Qui uerò ceciderunt in Medio cœli cum Venus eſſet orientalis extra Solis radios ſignificarunt filium. Et licet Venus eſſet fœminina & ſignum in quod dirigebantur radij fœmineum, quia tamen ipſa erat in ſigno maſculino & commixta Mercurio & Saturno ualde, ſignificauit maſculum. Sed cũ Venus eſſet multũ debilis in ſexto loco indiguit auxilio Iouis tam magis quod radij Iouis in Piſcibus decernebãt duos filios ob ſignum quod eſt duorum corporum: Et ita natus eſt filius & maſculus. Sed quia, ut dixi, Venus erat imbecillis & radij Iouis ſextiles imbecilles loco ideò natus eſt imbecillis & morboſus. Superuixit tamen quia pars 24 Capricorni eſt immunis à radijs maleficarum. Niſi quod ibi imperat Mars. Ex hoc patet quod omnes filij mei ſunt à Ioue, primus ex loco quadrato & eſt ibi in natiuitate eius. Secundus ex ſextili in quarta parte Piſcium & eſt ibi Luna in eius natiuitate. Item quia imperat 27 parti Aquarij, & eſt ibi in natiuitate. Tertius ex radijs rurſus ſextilibus quia eſt bicorporeum ſignum & in ſecundo & tertio, quia radij ſextiles ſunt debiles & etiam quia cadunt in locum debilem, ideò auxiliatur Venus cum Mercurio & Luna, ſed fœminæ magis Luna, maſculo autẽ magis Venus. Concordia igitur duorum primorum eſt explicata ſuperius. Huius reliquum eſt ut exponam prius figura hic deſcripta;

	Motus		Latitudines			
Sol	Tard.					
Luna	Tard.	Sep.	A	2	12	
Saturnus	Retr.	Sep.	D	2	42	
Iupiter	Retr.	Sep.	D	1	47	
Mars	Vel.	Sep.	D	0	8	
Venus	Vel.	Sep.	A	1	0	
Mercurius	Vel.	M.	A	2	0	

Igitur

Igitur Iouis locus est fermè qui Veneris & Mercurij mihi, Lunę quoque idem mihi et illi, ubi etiam radij Iouis sextiles. Præterea illi Mars in loco Saturni mihi, & Sol illi in loco Martis. Vnde ex his mutuam dilectionem significabunt. Iupiter cū non potuisset peruenire ad 24 partem Capricorni quia numerus annorum non patiebatur ad locū Veneris peruenit. Fuit & illi Sors sub Solis radijs & ante illū. Sol uerò illi mihi in trino Solis & Sors Sortis & ascendens ascendentis. Cum uerò uidisset hanc genesim Nicolaus Constantius Simus Bononiensis Astrologus egregius dixit statim custodiendum puerum, qui si superuiueret omnes suæ gentis esset superaturus. Versari tamen in periculo ne non esset mutus ob Saturni oppositionem cum Mercurio, sed iam Mercurius celer euaserat. Itaq; usque ad quintum annū mutus extitit, inde soluta lingua promptè loquit. Maius est periculum in occursu Martis ad Solem cui succedit. Occurrit autem anno decimo, superq; mensibus decem penè exactis. Est autem hic præsens quo Sol peruenit ad octauæ signum, sed ibi sunt radij beneficarum: uel igitur in fine undecimi anni propter directionem, uel in duodecimo anno cum Sol peruenit ad locum Mercurij & oppositum Saturni. De cętero si superuixerit cum Luna sit in trigono Saturni & sextili Mercurij, erit ualde sapiens & nunc est ingeniosus. Cumq; Luna sit in septimo loco peregrina, habitabit extra patriam. Cumq; Sol sit in cœli Medio in Lunæq; quadrato, erit non solum gratissimus alicui magno Regi, sed etiam maximas res tractabit. Et cum Sors sit sub Sole, habebit publica stipendia alioquin parum, cum multum tamen lucretur ob Iouis situm. Cumq; Mars in Medio cœli sit, multis casibus & accusationibus subijcietur. Et quia Luna est in Solis quadrato, Saturniq; radijs, erit alienus ab uxorio affectu, & tamēsi ad perfectam ætatem peruenerit filios habebit propter Venerem. Et uix euadet quin ueneno pereat. Nonnunquam calum-



nĩjs apud proprios dominos uexabit. In cęteris erit elegans, splendidus, humanus, grauis, & qui ab omnibus, potentioribusq; præsertim probetur. Fuit in primis annis morbosus ualde, conuulsus iacuit mortuus, & absq; spe, disyntericus, laborauit abscessu cerebri, febre sex mensiũ. Non nisi triennio exacto ambulauit.

Præterea ut ad rem reuertar principalem in reditu anni quo genitus est primus filius, Venus per processum fuit in 24 parte Tauri & Iupiter per ingressum in 25 parte Scorpij. Anno autem quo natus est, scilicet 33 ætatis meæ Venus fuit per processum in 24 parte Geminorum, & Iupiter per ingressum in 22 Sagittarij. Et ascendens nati inter locum ipsius genituræ & natiuitatis: Et Luna fuit in reditu natiuitatis in loco Veneris radicis, & in natiuitate filij Luna & Mercurius dominus loci Solis in loco processus Veneris reditus & oppositio Iouis in reditu per ingressũ.

Rursus in reditu anni quo puella genita est Venus processerat ad 24 partem Cancri, & Iupiter erat corpore 23 Capricorni. Et in reditu anni natiuitatis Venus fuerat per processum in 24 Leonis. Et Iupiter corpore in 19 Aquarij. Et ibi etiam in natiuitate filiæ. Luna quoque in ea est in loco processus Iouis mihi eo anno ad unguem, qui est locus radiorũ sextilium ipsius Iouis radicis.


In tertij autem filij anno generationis Venus applicuit per processum ad 24 partem Aquarij in cœli Medio, & per ingressum ad locum proprium in radice, & in reditu natiuitatis Venus fuit in trino loco Iouis radicis & iuxta locum processus eius in generatione. Ascendens autẽ fuit inter locum Iouis in generatione & Veneris in reditu natiuitatis: Et Iupiter in oppositio loci Lunæ hora restitutionis anni. Et quo ad directiones pro duobus primis filijs, Luna peruenit ad corpus Iouis et cœli Medium ad trinum Veneris & Mercurij. In natiuitate autem filij minoris Luna peruenit ad sextilem proprium & cœli Medium ad sextilem Iouis.


Manifestum est aũt quod post ex directionibus non est amplius spes de alijs filijs. Et quod omnibus filijs idem est dominus ascendẽtis qui & largitor in mea genesi, ut primis duobus Iupiter ultimo Mercurius.

His uisis consideraui statum meum ex natiuitate filiorum, & significat inter natiuitatem filij & filiæ incrementum magnum: nam posito Saturno in ascendente, consurgit figura quam uides, & ita posui tres figuras meas extractas ex natiuitatibus trium filiorum. Ita quod status meus usque ad annum 1524 in quo mortuus est pater fuit mixtus ex statu natiuitatis meæ, inde patris, inde matris. In infantia tamen natiuitas matris præponenda est natiuitati patris.


Ab anno 1524 ad annum 1534 fuit status compositus ex natiuitate matris tantum & meo. Hi duo status fuêre ualde dissimiles, quia in primo paterna genitura superabat & fuit totus ærumnosus, in secundo totus

tus uoluptatibus deditus & exiguis honoribus contentus, quales decernebat geneſis mea q̃ maternã longè ſuperabat. Ab anno 1534 ad annum 1535 fuit compoſitus ex ſtatu natiuitatis meæ & filij primi, & poſt matris. Hic ſtatus fuit cũ honoribus & lucro propter id. Poſt ſucceſsit ſtatus ab anno 1535 ad annum 1537 qui totus fuit plenus ærũnis, periculis, calumnijs, contentionibus, quia ſtatus componebatur ex mea genitura quę calamitoſa eſt, inde filiæ quæ quo ad parentem eſt calamitoſiſsima, inde filij maioris, ultimo matris. Quinta pars uitæ cœpit 24. Julij 1537 à morte matris & fuit calamitoſa licet aliquanto minus. Componebatur tamẽ ſtatus ex genitura mea, inde filię, ultimo filij. Sextus ſtatus eſt ab anno 1543 q eſt cõpoſitus ex ſtatu meæ geniturę & filij mei ultimi & filię, ultimo maioris filij. Et ideò hic ſtatus eſt plenus itineribus, honoribus, contentionibus, iacturis, lucris, fama, atq; alijs propter magnam repugnantiam duarum geniturarum decernentium mihi magnam infelicitatem, & duarum decernentium magnam felicitatem





felicitatem. Nam genesis mea & filiæ mihi decernunt multas calamitates, & pauca bona. Genses autem filiorum multa bona & pauca mala. Et quãuis natiuitas filiæ decernat mihi malum, in causa tamen propria nec cõiugis non ita decernit ut intelligenti patet. Hic igit̃ status ultimus manet, nisi morte alicuius ex necessarijs interrumperet̃. Quod si quis dicat has geniturasnõ agere in me sed solum esse conformes ei parti meæ genituræ quæ administrat partem uitæ succedentẽ natiuitati filij, tametsi falsum dicat, nõ tamen dissentiam quia in re ipsa concordat.



De amicis & inimicis.

Res amicorũ & inimicorũ est fortuita, ut uisum est apud Ptolemæum. Si tamen sanè intelligatur qui habent Solem ab initio Libræ ad locũ Veneris usq; uel Lunam ab initio Piscium ad 22 partem eorum ubi cadunt radij quadrati Saturni, uel ascẽdens ab Arietis fine ad 20 Tauri, & quod de Sole dico, dico de Sorte, erunt amici. Verum tamen quia loci luminarium cadunt ab angulis & Sortis etiam tales amici erunt humilis fortunæ plebeij. Ob id uera amicitia solum est inter æquales. Minores autẽ potentes contemnent me, & ita fui magis contemptus ab amicis quam inimicis. Hoc aũt generale est his quibus luminaria ab angulis cadũt. Erunt etiam multi eorum infidi, quia Mars Lunam quadrato respicit, & mihi damno. Qui tamen habebunt Lunam eodem loco quo ego uel ascendẽs ubi ego habeo & ita de alijs erunt amici utiliores, ut uidebitur in sequenti genesi quæ apposita est solum pro exemplo huius capituli. Sola quoque Venus aut Iupiter dilectionem affert, si in loco Lunæ mihi fuerit ut in genitura magnifici Octauiani Scoti hic uidere potes. Hic nullus quatuor locorum principalium concordat, sed solum Venus est in loco Lunæ, & Luna in eius trigono & Iupiter in opposito, significantes utilem amicitiam qualis fuit. Nam Iupiter in loco Veneris illi & Lunæ mihi dominatur.

natur. Inimici erunt deteriores quam sint amici boni, quia incon iuncta signa locis principalibus et in quadrato posita pleraque sunt in angulis. Hic uides causam cur multi amicis ueris aut potentibus carere possunt, inimicis nemo. Et hoc continget, ut dixi, cum loca principalia ab angulis ceciderint,

Cœli Med.	♒	28	
Ascendens	♓	26	
Sol	♈	1	11
Luna	♏	9	14
Satur.	♌	10	28
Iupiter	♐	9	10
Mars	♌	6	16
Venus	♑	10	58
Mercur.	♑	24	12
Sors	♒	4	13

tales amicos raros, fidos, utiles & potentes habebunt, nec tamen propter id inimicis & quam multis etiam carebunt. Vnde scias quod uerba Ptolemæi in hoc casu sunt bene intelligenda, concursus enim in idem locorum principalium ubi maleficæ dominentur aut respiciant subdolam et ærumnosam amicitiam potius parit quam boni quicquã. Et scias quod in causa amicorum Venus Ioui præferenda est quo ad dilectionem. Vt suo loco dixi.

De seruis ac dominis.

Seruorum res nõ se habet, ut amicorum: & in hoc multi decipiuntur: sed dominorum à cœli Medio & oppositis locis Solis ac Lunæ & Sortis: seruorum à duodecimo loco & oppositis locis Solis Lunæ & Sortis Sunt enim serui & domini quasi contrarij. Vt autem uideas quod ita sit, in itinere prȩterito quatuor primarum geniturarum, domini omnes mihi domini & amici, donis me affecerunt, sed à quarto Ioan. Cheko non potui ulla ratione adduci ut acciperem. Primus igitur scilicet Rex habuit Venerem in opposito loci mei Lunæ, scilicet cum Luna mihi sit in 12 parte Piscium, Rex habuit Venerem in 12 parte Virginis. Rursus in genesi Reuerendissimi domini mei non est alia concordia nisi quod Luna est in decima parte Virginis oppositò loco Lunæ mihi, & Iupiter in oppositò Lunæ ipsi & iuxta locum Lunæ mihi, ideò maiore dilectione & ampliorib⁹ donis me prosecutus est. In tertia quoq; Luna illius est in oppositò Lunæ mihi, nec alia concordia nisi quod Sors ei est in ascendente mihi. In quarta etiam est Sors in 12 parte Virginis oppositò Lunæ mihi & nulla alia concordia. In 7 etiam genesi Luna fuit in secunda parte Virginis: Sed quia parum plus distabat quam par esset, ideò adiuuit Mercurius qui erat in eadem parte, ut in mea genesi. Et generaliter ostendam hoc clariore exemplo in sequenti genitura. Istud autem est uerũ generaliter sed magis in nostra genitura, quia Mercurius est dominus coniunctionis luminarium & oppositionis præcedentis natiuitatem & recipiens ac receptus à Venere domina ascendentis & totius figuræ, & ei corpore iũctus: ideò omnes Mercuriales sunt mihi amici, sicut milites inimici. Cum ergo oppositũ Lunæ sit in domo & altitudine Mercurij, & finis Veneris quæ

altitudinem habet in loco Lunæ, ideò significat perfectam amicitiam & utilem. Ideò nota quatuor regulas ex hoc.

Prima in dominis & seruis debent eligi loci oppositi principalibus non ijdem pro dilectione & utilitate præterquam in ascendente. Et hoc est quia seruus quasi opponitur domino.

Secunda elige significatores pro amicis eos qui conueniunt domino ascendentis, sicut repugnantes, id est, dominos septimi loci aut quadrato respicientes dominum ascendentis uel opposito pro inimicis. Et hoc in causa generali. Ptolemæus autem propriam tantū explicauit. Quia quærimus de hoc uel illo an sit amicus.

Tertia cū fuerint loci Solis aut Lunæ aut Sortis & oppositi eorū sub eadē benefica, tales erunt amici seruus & dominus, & uicissim sibi utiles.

Quarta cū beneficæ unius fuerint in locis principalibus alterius, amicitiam parient & dilectionem & maximè Venus. Et si maleficæ damna & odia. Et si loca principalia sint eadem in duabus genituris absq; dominio beneficarum erit amicitia solum quædam naturalis sine fructu. Et has regulas serua pro secreto magno.

Cæterum in seruis proprijs considera duodecimam, cuius status est mediocris, & tales erunt serui, nisi quod erunt superbi propter Solem dominantem duodecimæ, & in eius opposito constitutum.

De Itineribus.

Inspexi ad luminaria & Martem & Sortem & nihil horum fuit in occidente, nec nono loco, ideò non indicauit morā firmam extra patriam. Et quia omnes erant in cadentibus præter Martem qui erat in succedenti et commixtus ambobus luminaribus & Sorti, quę sunt in cadentibus, significarūt multa itinera & moras diuturnas extra patriā. Sex annis Papiæ habitaui. Ad eam ciuitatem prius, inde Patauium studendi causa me contuleram. Sex annis in Saccensi oppido iuxta Patauium x.m. passuum medicinam exercui. Præter id semel ex Mediolano Venetias perrexi, alia uice Florētiam & Senas, alia uice Genuam, ultimo in Scotiam. At de hoc diffusius loquar cum fuerit iter diuturnum, magnificū & utile & ex constituto. Igitur anno quinquagesimo inchoante cum iam cœli Medium ad Iouis* peruenisset & processu ad 19 Aquarij partem locū Lunæ & sextilem Iouis complectens, iamq; ascendens ad Iouis sextilem peruenerat, augmentumq; honoris & pręmij in patria pollicebant cum succedente anno & iam cœli Medio ad Solis oppositum, Martisq; sextilem per processum translato. Directione uerò ad locum qui est inter sextilem Iouis & corpus Lunæ ita ut in idem ferme conuenirent. Ascendente autē ad Cancrū loco qui intermedius est inter Iouis & ascendentis sextilem. Ad hunc eundem locum ascendens etiam processu peruenit. Rursus eodem anno Sol & Sors ad Sagittarium peruenerunt inter locum sextilem Solis, Sortisq;

tis ♃ ac Veneris, eodem etiã anno per processum eo loco peruenerunt Sol & Sors. Ingressus quoque Iouis & Lunæ ad locum directionis & processus ascẽdentis.

Fuerunt igitur omnia, ut à latere uides. Ergo cœli Medium declarabat amicitias nouas & opificij exercitationẽ, ascendens iter & honores & qualitatem eorũ ad quos ibã,

Directiones	Proceß.			Ingreß.		
Cœl. Med.	♓	7	26	♓	18	15
Ascendens	♋	4	0	♋	6	10
Sors	♐	14	0	♐	7	15
Sol	♐	17	0	♐	10	37
Luna	♂	21	0	♂	11	42
Saturnus						
Iupiter						
Mars						
Venus						
Mercur.						

♎	10	37
♌	3	6
♒	15	3
♋	29	58
♍	1	52
♍	26	20
♎	17	2

Sol gloriam & iter, Sors iter et lucrũ, Luna iter & notitiam plurium cum esset inter Pleiades. Iupiter autem & Luna significabant omnia firmiter uentura : Continebantur enim intra limites profectionis ascendentis qui sunt à Par. 6. m̃. 10. Cancri ad Par. 6. m̃. 10. Leonis, & augebant significata horum omnium & lucri causam. Et non obstabat aliud nisi quod locus directionis & profectionis Solis & Sortis sicut fuit intersextilem Solis, Sortis, Veneris & Mercurij ita erant inter oppositũ Martis & Saturni qui diminuebant ualde lucrum & ita fuit. Metu enim latronum & belli, omisi occasionem lucri triplo longè maioris quam fecerim. Fuerũt etiam qualitates syderum, ut uides, ne quicquam desit. Fuit igitur Luna ascẽdẽtis & profectionis & directiõis domina cum Ioue & ipsa ab initio cadens ab angulo & in quadrato Martis & in reditu in eiusdem quadrato ab illo rursus defluens, unde

Motus		Latit.				Direct.		
Sol	Vel.							
Luna	Med.	M	A	2	54			
Saturn.	Retr.	M	A	1	17	♌	6	59
Iupiter	Vel.	S	A	0	7	♋	2	17
Mars	Velociß.	S	D	0	1	♋	26	2
Venus	Vel.	M	D	1	30	♐	25	29
Mercur.	Velociß.	M	D	0	50	♐	25	25

significabat iter diuturnum per terram cum esset in Leone commixtum, tamen aquis propter Cancrum diuitiarũ causa & medendi ob commixtionem cum Ioue & utriusque cum Sorte. Nam nunc locus Solis & Sortis est in dignitatibus Solis & Iouis. In initio igitur mensis Nouembris anni 1551 afferuntur literæ mihi quibus accersor (res mira dictu cum neminem agnoscerem) ad curã illustrissimi Antistitis Ioannis Amulthoni, suadente, ut postea intellexi, Guglielmo Casanato medico Besuntino, pariter mihi, ut reliqui qui me aduocarãt, ignoto. Rescribo, rursus accipio literas, aduocabant me in Gallias credo consultò, ueriti quod & futurum erat, me nullis conditionibus in Scotiam si eo me aduocassent deduci

posse;

posse. Recepi conditionem 12 Februarij sequentis anni numerata pecunia. Hęc fuit prima dies sexti mẽsis processus si bene numeras undę processus locorum principalium & ingressus fuerunt, quales hic ut uides.

Cœl. Med.	Ascendens.	Sors.	Sol.	Luna.	Saturnus.	Iupiter.	Mars.	Venus.	Mercurius.
							Velociß.		
♌ 18.15.	♍ 6.10.	♉ 7.15.	♉ 10.37.	♎ 11.42.	♓ 3.6.	♍ 27.35.	♒ 25.50.	♏ 24.17.	♒ 17.46.	♑ 18.15.	♓ 21.6

Sol fuit corpore in loco trigono Iouis sub Luna in radice. Luna processu ad locum Solis peruenerat, Sol ad ascendens cum Sorte, ascendens autem ad Solis processum. Hoc igitur est primum tempus ratione mei, poterã enim & si deliberassem ad huc pœnitere, sed 23 Februarij iter aggressus sum. Tunc profectiones erant & ingressus quales à latere uides. Omnia ad radicem peruenerant, quoniam & profectio hæc à radice significabatur. Et in genesi filij minoris eodem anno Sol ad Iouis trigonum peruenerat: patri significans lucrũ & honorem. Et in natiuitate primogeniti Saturnus patris significator sextilem Solis & oppositum Iouis nuper superauerat. Et in natiuitate filiæ Sol erat inter radios Lunæ quadratos, & quadratos Iouis ac trinos Martis, qui iter cum lucro & honore significabant.

	Proceß.			Ingreß.		
Cœl. Med.	♑	18	15	♑	15	
Ascendens	♉	6	10	♉	1	
Sors	♎	7	15			
Sol	♎	10	37	♓	14	4
Luna	♓	11	42	♓	0	9
Saturnus				♒	27	12
Iupiter				♌	23	33
Mars				♒	26	24
Venus				♑	28	2
Mercurius				♈	2	36
Cauda				♒	26	31

Veni Lugdunum, nullum comperio Archiepiscopum, nihil ad rem: tandem ubi 38 dies expectassem aduenit Guglielmus Casanatus, suadet ut alijs acceptis pecunijs me conferam in Scotiam, Archiepiscopum certis causis non potuisse Lutetiam se conferre aut Lugdunum, dicit: Quid plura? non ille, non pecuniæ quæ offerebantur persuadent, aut lucri spes, aut uoluntas lustrãdi nouas prouincias, sed metus ne in ciuitate mea confingerent aliquid uerisimile pro tam celeri reditu, quo me infamia respergerent. Iter tandem instituimus die 18 Aprilis cum diurna profectio ad annuũ processum peruenissem. Discessimus cum loca principalia ad trigonum sequentem processu translata essent, ut ascendens ad Par. 6. m̃. 10. ♍. Tunc uerò loci Planetarum erant ut uides, Sol Lunæ locum ad quem directione peruenerat, occupauerat: Luna rursus iuncta Ioui, ut in reditu anni.

Die 2 Maij 1552			
Sol	♉	21	34
Luna	♌	29	16
Saturn.	♓	3	47
Iupiter	♌	27	9
Mars	♈	19	45
Venus	♈	13	27
Mercur.	♉	15	23

Vides en quod neq; oppositio Saturni ad quam

quam Luna pergebat discessus hora è Lugduno, nec cõiunctio eiusdem & Martis, & Caudæ hora discessus è patria quicquam obfuerunt, cum etiam maximè pericula bellorum & piratarum urgerẽt. Nam tunc graue bellum sæuiebat inter Cęsarem & Gallorũ Regem ferro, flamma, omnia destruebantur, infantes, mulieres, occidebanť: mihi Cæsaris subdito iter fuit per Gallias etiam sine fide publica, tantum abfuit, ut mali quicquam passus fuerim, ut à nobilibus optimè sim acceptus. Tantum tribuit eruditioni & uirtutibus Gallica nobilitas, & certè splendida, liberalis, generosa, omniq; laude d gna. Quæ me inter summas necessitates ac metus circunstantium hostium, præsidio aduersus Cæsaris milites tutata est. Prodigiosa proculdubio fortuna: seruãt hostes alienum, ne malè pereat, in suorum manibus. Fuit qui seruauit Sarepunti Princeps, Bononiæq; Gallicæ quæ in maris Anglici littore est, prefectus. Ita plus potuit longè uirtutis admiratio, quam domini odium. Die 23 Edinburgum Scotiæ ciuitatẽ attigimus. Eo die loca progressus initio anni eadẽ erãt. Ascẽdens in Cancro & reliqua quæ supra exposuimus. Tũc Planetę loca cum anni initio cõmutauerant alternatim maximè Luna & Iupiter. Sol præterea ad locũ directionis & processus ascendentis illius anni & trigonum Lunæ peruenerat, quod perfectum opus indicabat. Mansimus diebus 75 die 12 Septembris discessi. Processus mensis illius qualis initij anni ascendens ad Cancrum, Luna ad Taurum, Sol & Sors ad Sagittarium, Cœli Medium ad Pisces. Ita contigit, ut de collegij ingressu diximus. Quis ergo talia, nisi insaniat, prorsus dicat esse fortuita. Ea enim die, id est, antecedente nocte donatus sum egregiè à Reuerendissimo Archiepiscopo cũ omnibus socijs. Tunc loci Planetarũ erant quales uides. Processus diurnus quidẽ Solis & Sortis ad Cancrum ubi erant radij Solis & Sortis quadrati, Iouisq; sextiles & Lunæ trigoni quod optimum erat pro incremento diuitiarum & honoris. Si quidem & ibi etiã Iupiter & Luna dominabanť. Luna uerò processu ad Par. 11. & m. 42. Sagittarij peruenerat, ubi proprij radij quadrati oppositi Martis, Solisq; sextiles cadebant. Locus in Iouis, Solis & Veneris potestate. Luna uero & Mars, Solis & Sortis locum præsentes per ingressum partim urgebant, partim fouebant. Iupiter ad sextilem Veneris & Lunæ peruenerat & stellam insignem cordis Leonis, ubi & potestatem insignem habet.

Sol	♋	11	5
Luna	♋	28	58
Saturnus	♑	4	26
Iupiter	♌	6	28
Mars	♉	27	22
Venus	♊	14	51
Mercurius	♌	20	7

Sol	♍	28	45
Luna	♋	5	45
Saturnus	♒	28	57
Iupiter	♌	25	52
Mars	♋	18	22
Venus	♍	22	21
Mercurius	♎	9	16

Et hæc quidem magna: illud maius, quod Reuerendissimi domini cœli Me-

li Medium eodem anno 51 peruenit per directionẽ ad 8 partem Piſcium Lunæ oppoſitã, & corpori louis iunctam. Quod declarabat conſuetudi nem, amicitiamq; inter nos, & utilitatem. Dicebat enim Ptolemæus in ultimo capite quarti libri, cœli Medium pro amicitia ineunda diriges. Ex quo colligitur regula, quod cum inter ſeruum & dominum loci directio= num colliduntur, utilitas alterutri proueniet, maximè ſi beneficæ ab ini= tio præſentes fuerint corpore uel radijs & amicæ, atq; ibi dominentur. Si maleficæ in unum ad malefaciendum conuenient. At ſi ex oppoſito col= lidantur malefacient ſibi maximè ſi maleficæ & ab initio ibi dominẽtur, radijſq; inimicis ſe pulſauerint. Quod ſi beneficæ ſic collidantur contra rijs affectibus idem quærent. Veluti cum quis de laude certat. Idem que= que de proceſsibus & ingreſsibus eſt dicendum.

Londinum in Anglia reuerſus uocatus ad Regem, dona accepi, inde per Italium in Belgas & Germaniam cis Rhenum deueni, ubi cum multas & magnas ciuitates pertranſiſſem, Baſileam quoq; & Beſuntium uidiſ= ſem, liberaliter & humaniter ab illuſtri uiro Franciſco Bonualoto exce= ptus ſum. Tiguri uidi Geſnerum doctiſsimum uirũ, & iam pridẽ Gem= mam Friſium Louanij uirum de mathematicis benemeritum, tandem 3 Calendas Januarij 1553 Mediolanum poſt dies 310 ingreſſum ſum. Per= uenerant anni initio loca principalia iam ad propriũ, menſis uerò ad op= ſitum radicis, ut uides.

Loca principalia reditus tempore

		Anni			Menſis	
Sol	♄	10	37	♈	10	37
Luna	♊	11	42	♍	11	42
Aſcendens	♌	6	10	♏	6	10
Cœl. Med.	♉	18	15	♌	18	15
Sors	♄	7	15	♈	7	15

Hoc eſt illud iter genero= ſum tãdiu à me præuiſum & iam, ut uidere licet, in ſcriptis meis quadriennio ante deſcri ptum cum fortuna atq; euen= tibus, quo tamen neſciebam, neq; unde cauſa oriri poſſet poteram coniectari: Sicut nec de alio quodam ſi 56 annum exceſſero, quod fermè in idem tempus incidit in quod uitæ diſcrimen. Non erit ta men hoc nec tam prolixũ, nec adeò inſperatum, nec cum tot laboribus. Credo per humaniores gentes, & cultiora loca.

De morte.

Mors erit iuxta qualitates locorum, & ideò uarietatem temporũ: an= no 56. ſi contigerit erit ex mœrore & profluuio materiæ humidæ, & cor dis affectu ob Solem, & merè naturalis. Si autem 68 ex acuta febre, late= raliq; morbo. Et in utroq; caſu propter Lunæ commixtionẽ erit aliquid podagræ, aut paralyſis, nam uterq; morbus ex abundantia humidi cru= di fieri ſolet. Et etiam quia mater mea paralyſi ante mortem correpta eſt. Hoc autem eſt quod dixit Ptolemæus in fine libri, cõmiſcebis aſtrorum iudicia temperaturæ corporis. Vnde etiam filius meus natu minor à con

uulſione

uulsione factus est paralyticus in digitis pollicibus manuum. Et ipse distulit locutionem liberam usq; ad septennium, ut ego feci & deambulationem usq; ad finem tertij anni, ut etiam ego feci. Et in dentiū corruptione assimilatus est auo paterno. Et ita de alijs. Mors igitur non erit anno 68 absq; mentione sanguinis, & originem à uiolentia ducet, ut casu, timore, & talibus. Non erit credo meré uiolenta quia illa ætas est Iouis aut Saturni qui non significant mortes uiolentas, ut nec Luna, Mercurius & Venus, & multo minus publicas. Et si contingat oportet ut sit magna constellatio id significans. A 22 igitur anno usq; ad 56 fiunt mortes uiolentæ & publicæ sub Sole & Marte. Sed à 41 anno ad 56 potius uiolentæ solum, propter Martem: à 22 ad 41 etiã publicæ propter Solem. Memineris igitur in singulis iudicare conuenientia ætati, & Planetę ætati dominanti. Quod si superarem, quod non credo, 73 uel circa, ostendit mortem mixtam ex febre, paralysi, catarrho, hemorrhoidibus. 82 de quo nulla est spes attonitum morbum qui fit à corde propter Saturni & Solis ibidem dominium. Hæc, superato 56 anno si fas erit, per processus & ingressus melius considerabuntur.

Diuisio temporum.


Hæc superius suis locis declarata est. Generaliter autem cum ascendens peruenerit ad Geminos, Leonem, Aquariū & Arietem, malè me habebo. Peius cum ad Libram & Scorpionē: pessimè cum ad Sagittarium. Et ita cœli Medium malè in Aquario, Ariete, Leone, mediocriter Libra, pessime in Geminis & Sagittario. Fallit regula cum ad ea loca peruenerit eo tempore quo & directio ad radios amicos beneficarū. Ita malè Sol ad Scorpionem & peius ad Virginem & Pisces, nisi ubi imperant aut se respiciunt. Idem de Sorte. Luna cum ad Arietem, & Geminos, & Sagittarium, pessimè cum ad Libram.

Cumq; processus anni discrepat à radice, & mensis concordat cū processu anni, tunc erit pessimū. Et si uterq; concordauerit cū radice, optimum. Mediocre autem bifariam, uel cum anni processus discordat à radice, & mensis ab anni processu, uel cum processus anni concordat cum radice, & mensis discrepat ab utroque. Idem sed minus refert de dierum processu: Et in ingressu minus, cōparando annos ingressus annuis processibus, & menstruos menstruis diurnos diurnis. Verum occurrit maxima dubitatio, qua dissoluta, omnia erunt clara. Dicet enim aliquis omnes 51 anno deberent esse felices, quia loci principales perueniūt ad tertium signum semper, & processus etiam necessario illuc, & ibi sunt radij sextiles locorum qui semper ex regula Ptolemęi cadunt in tertium signum paribus partibus. Et ita concursus ille mirabilis in mea genesi erit omnibus generalis ac similis tabulæ infantis in utero materno, qui proueniet ex regula numerorum, nō habens aliquod peculiare significatum.

Aliter omnibus eo tempore magna euenire necesse esset. Sed certè non omnibus directio attingit, nec alij radij concordant sed impediunt, quibusdam etiã ingressus: ut si mihi Saturnus fuisset in Capricorno uel Geminis. Generaliter autem 50. anno uel 51 aliquid magni cunctis aduenit, tunc etiam inclinante ætate.

Animaduertendum diligẽter quod directiones omnes fermè & radij cadunt in octauum locum, & Sagittarij signum, tum in oppositum, scilicet Geminos, ubi sunt radij sextiles Solis, Veneris & Mercurij, & oppositi maleficarũ cũ quadratis Lunæ, aut trigoni Solis, Veneris & Mercurij cum corporibus maleficarum & quadratis Lunæ. Vnde significata erunt commixta ex signo Sagittarij, uel Geminorum, octauo uel secundo loco & stellis quæ sunt in his signis ac radijs uel corporibus Planetarum. Ratione igitur octaui loci omnia erunt turbulenta, tristitia, ratione Planetarũ & radiorũ, uaria, mixta, confusa, ratione fixarum, uide coascendentia sydera, & quæ ibi loco sunt: & hoc usque ad quinque annos. Idem considera in alijs genituris.

Vt autẽ credas quod hæc ars est uera & difficillima scitu, & quod ego nõ profiteor me posse scire omnia, ponã quoddã fortuitũ huius anni. Scripseram q̃d bene ualebo hoc anno & ita erit generaliter, nihilominus cõtigit ut hora hac doluerit uehemẽter iliũ sinistrum adeò ut dubitarẽ de colico dolore & lapide. Fluxit uenter usq; ad secundã horam noctis. Inde cessauit & dormiui in nocte ab hora quarta ad 14 post cessauit dolor etiã ilij, sed fuit uoluntas egerẽdi absq; effectu & meiendi, adeò ut ab hora 13 ad 22. meierim plus quàm centum uicibus & plus centum uncijs urinæ uel saltem 80 sine ardore, sed cũ perpetua uoluntate meiendi, ut uix unquam cessaret. Et causa fuit huius symptomatis, quia Luna opposita fuit Soli, & utercq; in illius quadrato. Et Luna fuit in loco Martis radicis, ideò fecit



dolores


dolores, postmodum ut elongata est à loco ibit ad locū Saturni radicis, & oppositum Martis & quadratum Iouis infelicis, est enim in Virgine, sed cum peruenit ad locum Saturni factus est tenesmus ille maximus. Et hæc ex ingressu. Ex profectionibus autem ea die peruenit ascendens ad initium Scorpij, & Luna ad sui oppositū ubi cadunt radij quadrati Martis, & fuit ascendens reditus anni, & ideò quantum ad uitam non est valde bonū, quia radij Iouis trigoni parū prosunt, quia Iupiter cadit in Virgine, uacat tamē periculo, & generaliter anni debiles pro uita sunt in quibus ascendit Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius & sunt 53.54.55.& 56. qui erit omniū pessimus, ut dixi. Ergo causę huius morbi fuerūt septem: Prima ingressus profectionis ascendentis in locum malum. Secūda profectio loci Lunæ in locum profectionis ascendentis anni oppositū sibi et quadratum Martis, & hæc ambo in eadem die cum oppositione luminarium, ut iuxta regulas Ptolemæi nō produceretur effectus. Tertia oppositio Lunæ in loco Martis in genitura. Quarta aspectus Lunæ quadratus cū Saturno, & Saturnus erat in loco Lunæ genituræ. Quinta Lunę defluxus ad locū Saturni radicis. Sexta oppositio Martis ibi. Et septima quadratum Iouis infelicis cum Marte & Luna. Et ita euenit ad unguem sicut speraui & timui, nam die 21 in meridie cum Luna fuit iuxta locum Saturni genituræ pessimè me habui, sub occasu Solis & usque ad tertiū horam noctis meliusculè ob trigonum Veneris, post usque ad octauam horam noctis cum Luna pergeret ad Martem & Iouem, adeò pessimè ut si ad solum morbum respexissem desperassem de salute: post dormiui: hora 14 euasi à morbo cum Luna exisset signum Geminorum. Causæ uerò inferiores etiam simul conuenerunt: nam pro morbo fuit molestia quædam parua animi, deambulatio à cibo, frigus pedū, assumptio oxymellis scilitici quæ pituitam acidam ad locum precipitauit, usus copiosus ciborum crudorū & salis. Et hæ si non præcessissent, ægrotassem, sed non tam uehementer. Ex causis autem salutis fuit abstinentia à cibo ab hora 19 diei 20 ad tertiam noctis 21. & à 3 noctis 21 ad 2 noctis 22. Cibus etiam bonus. Die 21 sumpsi ʒ 2. resinæ laricis septies lotæ cum uino albo dulci, die 22 feci frictiones ualidas in cruribus, & applicui hirudines ambobus pedibus. Cumq; Iupiter exeat signum Virginis & Mars Sagittarij, significant sanitatem quam Deo dante 23 die adeptus sum. Vides igitur quod Astrologus bonus oportet ut sit alter Argus.

ATENEO VENETO VENEZIA

Hieron. Cardani Mediolan. Guglielmi Casanati Besuntini Medici Genesis nona.

NIhil non nisi magnificum & mirabile hic me adiecturum sum pollicitus quod ad exemplum attineret. Quæsisse enim amicitiam nostram hominem tam procul patria nostra natum, non cognitum aliâs nobis sed solo uirtutis amore res insignis exempli est in hac labe temporum. Inde ex Burgũdia in Scotiã traiecisse, habitasseq; ibi ubi paucissimi aduenæ habitant, rarum. Domini quoq; ac serui res aliter se habere hoc exemplo demonstrabo, quã amicorũ inter se. Deinde si eruditionem, promptitudinem, liberalitatem inspicias, nõ est uulgaris hæc genitura. Aulicus totus ac quasi in ipsa aula natus. Solus etiam cum cũ sorore è sex fratribus supereſt.

Motus		Latitudines			
Sol	Vel.				
Luna	Velociß.	M	A	4	47
Saturnus	Medioc.	S	D	●	5
Iupiter	Velociß.	S	D	1	4
Mars	Vel.	In Cauda			
Venus	Vel.	M	D	2	2
Mercurius	Vel.	M	D	2	49



De parentibus.

Saturnus est in angulo imi cœli recipiens Solem & in domo sua, cui Luna sextili applicat, Sol in ascendente cum Ioue, ideò patri longam uitam decernit. Cumq; Sol sit cum famulitio multo, sed occidentali, ipse erit quinti status à natiuitate filij, fuitq;. Luna respicit Venerem, sed Venus ab angulo cadit, Luna succedit, ideò etiã matri longa uita sed tamẽ breuior quam patri decernitur. Luna etiã est in suo trigono & à Venere recepta & in trigono Mercurij.

De fratribus & sororibus.

Luna & cœli Medium significant multos fratres & sorores cum sint in signis

in signis fœcundissimis, Cancro, Piscibusq;. Ambo hæc loca damnat Saturnus excipiens Lunam uenientem ex Capricorno & cœli Medium oppositis radijs pulsans atq; hostilibus. Saturnus enim Cancro aduersatur: Sol quoque cœli Medium quadratis radijs respicit, Iupiter sub radijs nullum masculum superfuturum, nec fœminam nisi unam quę à Venere decernitur, cuius radij trigoni cadunt in septimam Leonis partem, ideò erit uirago. Lunæ enim radij oppositi nimis procul à cœli Medio cadũt, & à Saturni & Mercurij radijs impediuntur.

De sexu.

Signum ascendens & Sol, & dominus loci ascendentis & errones in ascendente omnes masculi.

De Numero.

Omnes significatores sunt in signo unius corporis præter Lunam & sine commixtione ideò unum significant: Et sine mola ac talibus.

De perfectione formæ.

Sol est cum benefica in ascendente nec malefica succedit sed præerunt radij ideò non erit ulla ex parte monstrosus. Sed sine macula.

De nutritione.

Mars succedit Soli & Saturnus radijs quadratis uexat ascendens ideò significat impedimenta in uita dum infans fuit. Euasit tamen quia Sol est cum benefica in ipso horoscopo.

De genitura uera.

Si ponatur Saturnus in angulo ascendet 12 Libręs pars. Si uerò 16 Libræ uidebitur genesis naturalis. Nam Saturnus carpentum habet in loco coniunctionis luminarium. Sed hoc solæ directiones & euentus rerum distinguere possunt.

De uita.

Sol absque dubio Apheta est. Significat uitam robustam cũ sit in centro horoscopi & cũ benefica. Propter casum autem & Libræ qualitates & Iouis exustionẽ significat morbos cutis & ex adustione procedentes. Sunt autem lepra, scabies, gallicus morbus & tales. Mars quoque succedens adauget mala. Morietur anno 66. Si à calamitatibus publicis cauerit. Tunc enim Sol Lunę quadrato in Sagittario occurrit. Aliter nũquam deest occasio: Primum iuxta 24. annum submersionis: & antea febris ardentis trigonus Lunæ, corpus Martis, inde etiam iuxta 28 cum ad Mercurium rixæ iacturæ honoris. Ab ascendente autem iuxta 28 annum rixæ peregrinationis acutæ febris, & iuxta 50 submersionis. Mortẽ quidem euadere poterit, periculum non. Vel erit suffocatio ex morbo, ut asthma uel attonitus. Generaliter autem si non uiolenta morte moriatur erit satis longęuus.

De corporis forma.

Planetæ occidentales faciunt paruos & erit obœsus, ualdè proprium Iouis in Libra & Geminis, pulcher, ualidus. Forma est ex Venere, Saturno, Ioue, Mercurio, hic dat agilitatem. Sol omnia decora reddit, addit & gratiam ac grauitatem, & patri aliqualiter similem reddit. Cumq; sit notus, non cadit suspitio quod omittam timore erroris.

De uitijs & morbis corporis.

Benefica est in horoscopo ideò cum neque in sexto, nec septimo, nec primo loco sit malefica uitijs carebit. Nodus etiã abest, solum Saturnus in imo cœli aliquid circa pedes posset facere. Morbos iam diximus: erũt plerunq; febres putridæ. Sol, Iupiter, Libra, calida & humida. Sed quia superat calor, longè minus uexabitur.

De animi qualitatibus.

Mars est dominus locorum Lunæ & Mercurij, inde Venus & Luna ipsa, ultimo Iupiter. Hæc autem descripta sunt suis locis. Mars est debilis & occidentalis utroq; modo, Venus occidentalis & ipsa sed matutina cum sit aucta motu. Erit ualdè callidus & supra quam existiment homines: nam Mercurius alligatur Lunæ trigono, ob id promptissimus & fortis & audax, & boni ingenij.

De animi uitijs.

Carebit uitijs animi quoniam non eleuantur maleficæ super dominos qualitatis animi, & Mercurius Lunam respicit, & neuter est in angulo. Quia tamẽ Mars est in nodo, mutabit opiniones & erit præceps aliquando. Et credo quòd ipse rudentia sua omnia etiam hæc in melius uertet. Erit Veneri abunde deditus non nephandę. Et ludis etiam delectabitur. Sæpius etiam ocio. Sæpius etiam bonus focius, comptus, ornatus, crapulæ & potui deditus, & luxui. Erit iocosus & uoluptatibus deditus. Tempori inseruire noscet.

De diuitijs.

Sors est sub Luna & in beneficarũ dignitatibus in quadrato Veneris & trigono Martis. Aquisita per artem & ex donis, conuiuijs & uoluptatibus maxima ex parte consumet. Lucrabitur autem plurimũ. Et maximè iuxta senectutem, id est, post quaquagesimum annum. Et generaliter multis modis lucrando erit felix. Et anni boni erunt maximè 32. & 33. & 44. & 45. & 56. & 57. & hoc si ingressus non repugnauerint. Rursus magnam occasionẽ felicitatis habebit cum ad 7 Arietis partem peruenerit anno scilicet quinquagesimo, & ante scilicet 45. Et si ingressus fauebunt erit maxima, si repugnabunt mediocris, si neutri magna. Vndiq; etiam diuersis annis causas inueniet.

De honoribus.

Sol est in angulo & signo masculino atque ibi laterones; Est igitur tertij aut

tij aut quarti ſtatus. Tertij debilis iuxta Ptolemæi uerba, iuxta ſentẽtiam quarti ſed nõ ualidi. Erit proculdubio gratus principibus, ſed illis utcũq; non ſatisfaciet ut uolet. Cæterum magnanimus, ſplendidus, liberalis, honorum appetens. Ex ira & ludo detrimenta accipiet. Nec ex corde amabitur ab illis. Ipſe tamen eos magis in poteſtate habebit, quam hi eũ: nam Sol eſt in dignitatibus Saturni & Veneris. Aliquando dignitates habebit, quamuis medico rarum.

De opificio.

Rurſus inſurgent Aſtrologiæ æmuli, ubi opificiũ, ubi Planeta orientalis, aut in cœli Medio? Propterea dico quod Iupiter & Mars & Luna opificij domini ſunt, & quia conueniunt cum tertio ſtatu, ſignificant medicinam. Et quia ſunt occidẽtales nec in cœli Medio, aliquãdo ſe ab exercitio ſponte remouebit. Et in tempore quo illi uacabit, fieri non poteſt ut ullo modo ſit aſſiduus. Quare non errat a s, ſed qui malè eam intelligunt. Manifeſtum eſt aũt quod minus aſſiduè quàm ego illam exercebit. Diuinabit certo modo, aulicus erit, & multa ac magna tractans negotia, plus illis quàm medicinæ intentus erit.

De coniugio

Luna eſt in quadrãtibus partim occidentalibus, partim orientalibus, ſignificat media ætate uxores. Eſt in bicorporeo et pluribus complicata, unde habebit etiam concubinas cum uxore. Quædam erunt ingenioſæ quæ à Mercurio, quædam iucundæ quæ à Venere, aliæ contumaces quæ à Marte. Carent teſtimonio Solis, Iouis & Saturni. Quod de multitudine dixit Ptolemæus uxorum, loquitur ubi diuortium aut uxorum pluralitas admittitur.

De filijs.

Erit prolificus (quamuis iam exegerit annos 33. & nondum habeat niſi filiam unam) & fœminarum potius quam maſculorum. Multi tamen non ſuperuiuent de filijs ac filialibus. Quod ſi Saturnus eſſet in imo cœli ut uidetur, nullus aut uix unus aut una ſupereſſet. Sol enim præter id infelix cœli Medium quadrato radio grauiter afficit. In uniuerſum pauci ſupererunt.

De amicis.

Mira res eſt amicorum, & ut dixi, hic appoſita eſt hęc genitura ob explum, ſed cum noſtra concordat, ut Ptolemæus dixit Lunæ locus cũ Lunæ loco, & Solis locus cum Solis loco, & ubi eſt locus Solis illi, ibi eſt Venus & Mercurius etiam mihi, & dominus aſcendentis utriq; eſt unus, ſcilicet Venus, & illius aſcendens ſignum mihi ſextę domus, & pars fortunæ illi, ſub Luna mihi, & cœli Medium atque imum cum cœli Medio & imo uiciſsim in genituris noſtris commutantur: multa denique inter loca principalia contrarietas. Aſcendens etiam eius proximum eſt loco So

lis mihi. Cum secunda autem, ut dixi, conuenit ratione serui, Luna huic est in opposito Lunæ domini sui ad unguem & propè Iouem illi. Et Saturni locus hic, locus Veneris illi. Et ascendens signum sextæ domus secundę geniturę. Ex quo uideor ego Archiepiscopo cõciliatus per ipsum Casanatum. Quo ad curam, ego uideor ex astris melius sentire quam Casanatus, quod cũ Saturnus sit causa morbi in secunda genesi, locus oppositus significat sanationem. At ego ibi, id est, in tertia parte Tauri habeo Iouem, ipse Casanatus Martem prope locum non in opposito. Scripsit tamen, ut aliâs dixi, libellum de cura huius morbi disertè certe & facundè & subtiliter magno ordine, ut quisque mirari possit illius diligentiam atque scientiam.

De itineribus.

Rursus hic insurget æmulus astrologiæ, ubi signa itinerum, ubi signa tam diuturnæ moræ extra patriã? Non hic luminare, nõ Mars, non Sors cadunt ab angulo. Sed audi ô bone uir? Duo mediocria faciunt unũ magnum, & tria unum maximum. Luna est peregrina, & in fine quintiloci, hanc aspicit Mars, & Saturnus est in imo cœli, & ipse est ex gente quæ peregrinatur & assueta morari extra patriam. Pater enim suus qui adhuc uiuit Hispanus est & uitam agit Besuntij in Burgundia loco remoto ualdè à propria patria distantia, sed longè plus moribus. Et hoc est quod dixit Ptolemęus & quod sæpe reperij, iudicia Astrologi sunt ex astris & ex temperatura. Cum cœli Medium ad quadratum Martis applicuit in 6. Leonis parte significauit discessum è patria, & ex hoc & aliis haberi potest uerum geniturę tempus. Ex quo colligitur unicuiq; contingere multa communia natis propinquo tempore, alia autem propria.

De morte.

Mors, ut dixi, erit ex casibus obuiantibus, & iuxta naturam loci cui obuiant Anæretæ. Et scias quod multa cõtingent huic homini cuę non sunt scripta hic, de quibus mirabitur, quæ erũt aliena ab his quę hic promittuntur propter processus & ingressus, quos si quis uoluerit considerare, ætate una indigebit. Hæc autem quæ hic scribuntur sunt generalia & firma, quæ cum per ingressus & processus mutabũtur, ad pristinum tamen statum sponte redibunt.

De temporum diuisione.

Loci principales sunt Cancri pars 18. Libræ 12 uel 15. tum etiam 21. Pisciũ 3 & 10. Et erit notus omnibus Principibus, nõ tamen in ea quam desiderabit existimatione. Sed successu temporis in maxima apud quendam. Et succedent ei quædam magna sui causa quæ uidebuntur inexpectata. Et quibus necessitatis legibus quædam euenire tenentur, ijsdem etiam scire, aut scita dicere.


Pauli

Pauli tertii Pontificis Maximi Geneſis decima.

Miris modis nos numen aliquod ad ueritatis inquiſitionem aſſiduè aſpirantibus iuuit, ut non ſolum magnifica & præclara ſed etiam rariſsima, inuſitatiq; euẽtus exempla proferrem. Nam cum ex priuata uita, exiguaq; fortuna ad Regnũ eccleſiæ ſeu ſacerdotij prouectus ſit, fuit etiam eruditus Græcę linguæ haud mediocriter, uitæq; diuturnioris, prudentiſsimus, Matheſeos non ignarus. Sed quod maximum omniũ eſt, omnia prius illi prędicta ſunt quam euenerint. Quomodo autem, dicemus inferius.

Motus		Latitudines				Differentiæ		Rect.	Hor.	Tem.
☉	vel.					78	0	An.	15	42
☾	Vel.	S	A	4	50	23	12	An.	12	22
♄	Vel.	M	A	2	4	52	29	An.	14	4
♃	Med.	M	A	0	18	13	44		11	22
♂	Vel.	S	D	0	43	17	8	An.	12	5
♀	Vel.	M	D	1	3	68	10	An.	15	0
☿	Tard.	M	D	0	23	77	44		12	50
Cœl. Med.						247	17		11	27
Aſcendens						77	44		12	50
Sors						48	1	An.	13	45

Stellæ inerrantes.



Saturnus cũ prę-cedẽte flexus Piſciũ magnitudinis quartæ, naturæ Saturni & parum Mercurij, unde patet decreta Saturni maximè cũ horoſcopi dominus ſit cõfirmari, memoriam, patientiã, conſtantiam.

Iupiter cũ dextro humero Oriõis magnitudinis primæ, naturæ Martis ac Mercurij & cũ dextro Aurigę humero ſecundæ magnitudinis, naturæ autem præcedentis. Corpore autem iunctus

ctus ſummitati clauæ Orionis, magnitudinis quintę naturę Saturni & Iouis. Atque quartæ ſtellæ adiacentium cornu boreali Tauri, magnitudinis quintæ, naturę Martis & inuia Lactea: Augent ergo hæc Iouis robur & ſignificata, diuitias, & honores, & ſacerdotia maxima.

Mars inter Vergilias collocatus, Lunamq; uenientem in ſua altitudine expectans & in Solis ſextili, adminiſtrationes maximas, exercituumq; potestatem decernit. Cumq; in quadrato ſit Mercurij, prauitatem morum adijcit.

Luna eſt cum Cauda Arietis, magnitudinis quartæ, naturæ Veneris, unde fortunam bonam auget, & Martis detrimenta minuit.

In occidentis angulo coëunt radij quadrati Martis, oppoſiti Mercurij, trigoni fermè Saturni, et ſextiles Iouis, ubi & Regulus naturæ Iouis & Martis fortunam firmam in ſenio oſtendens ac illuſtriſsimã, ſed & prægrandes calamitates: Quæ omnia illi contigerunt ſummi ſacerdotij adeptione, & filij morte uiolenta.

Itaq; occiſo Petro Aloyſio, uir inſignis Ioannes Maona Piſanus à ſecretis illuſtriſsimi Præſidis prouinciæ, Ducisq; Cæſarei exercitus inuentam epiſtolam inter archana occiſi Principis huiuſmodi nobis obtulit cum hac etiam inſcriptione.

Copia Capituli literarum Excellentißimi Aſtronomi D. Paridis de Mantua ad Reuerendißimum Cardinalem Alexandrum Farneſium nunc Pontificem Maximum tempore obitus Leonis.

Reuerendiſsime Domine, uidi et cũ ſummo ſtudio ea quę ad me tranſmiſiſti circa genituram Veſt. Reuerendiſs. D. & diem natiuitatis quæ fuit 28 Februarij m̃.46. anno Domini 1468. cuperemus recurſu ſyderũ ſatisfacere deſiderio tuæ D. Reuerendiſs. in his proximis comitijs: Verum ſydera pro nunc non ſunt diſpoſita, ſed in aliud tempus erunt benigniora. Pollicentur enim aſſumptionem ad ſummum gradum Pontificatus anno Domini 1534. Qui erit annus 66. dies 253. hor. 9. m̃. 34. ex directione Solis ad trinum Mercurij cum teſtimonio Iouis & Saturni. At interim non leue periculum in aquis anno 61. menſibus 6. diebus 3. Ex directione Lunæ ad quadratum Saturni. Anno 81. diebus 68. 1549. D. Veſt. Reuerendiſs. grauiter ſe habebit cum magno uitæ diſcrimine, quæ dies erit 4. uel 5 Maij 1549 ex directione aſcendentis ad ſuum trinum, qui pro quadrato habetur, eo quia eſt in ſignis breuium aſcenſionũ, cum teſtimonio Saturni domini terminorum illius directionis, & ſine auxilio Iouis cum non reperiat in aſpectu quadrato trino uel oppoſito in iſta directione. Poſſet tamen præſentia Iouis conferre, quod tamen nos non credimus. Hæc ille uir penè diuinus.

Examen præcedentis prædictionis & totius genituræ.

Primum inſcribitur copia Capituli literarum & non copia literarum ut in-

ut intelligamus in his literis etiam alia contenta fuisse & non solum hoc capitulum. Quæ forsan de alijs rebus erant. Filium autem Pontificis exemplar prædictionis, ut diuinum quoddam oraculum tantum curasse transcribi. (Excellentissimi D.) Hoc epithetum additū fuit ab Anagnosta Petri Aloysij, non ab ipso epistolæ authore. De Mantua palam est (ex his quæ nos sciuimus à suo discipulo Euangelista Brasca Mediolanense monacho S. Benedicti quē postea in gratiā magistri quod magister mortuus iam esset uocatum à Paulo 3. Pontifice, qui prius Alexander Farnesius uocabatur & à religione, collegioq; monachorum exemptum creatum in episcopum) eum fuisse Paridem Ceresariū familia, qui & patria Mantuanus uocabatur. Hoc autem ad Excellentiam maiorem inditum, ut patriæ solum nomine tanquam non solum inter familiæ homines, sed totius patriæ emineret, agnoscerctur. Quod maximè in usu habere solemus in regionibus longinquis. Vt apud Anglos Mediolanensis Regis, nam familię nomen penè ignotum est. Aut, ut dixi, ob uiri maximā excellentiam. Ad Reuerendissimū, Palam est quod qui res curant non possunt adeò de sermonis nitore esse solliciti, nā Reuerendissimus haud Latinum est epithetum, utimur quandoque tamen & nos cum nihil illius loco habeamus. Licet autem tunc nouis epithetis dignitatibus rebus noua indere nomina tametsi non adeò Latina dici possint. Maximè apud eos qui non de sermonis elegantia certant, sed rerum ueritate. Nunc Pontificem maximum declarat, qui rescripsit tacitè causam cur rescripserit, non enim antequam euentus sit secutus rescripsit, sed rei miraculo ductus & succedentium expectatione, iussit filius hæc ex literis ipsis Paridis Ceresarij atq; authographo exscribi. Additur tempore obitus Leonis, ne quis crederet epistolam conscriptam tempore quo iam factus esset Pontifex, & ut longa præuisione res honorabilior haberetur. Nam propè quādoque ex coniecturis licet uētura præcognoscere atq; prædicere: Multò antea prædixisse, omni suspitione caret, & diuinius est.

Reuerendissime domine, licet ex responso petitionem Cardinalis coniectari, quæ quatuor continebat capita. Primum an cū mortuus esset Leo decimus, posset ipse eligi in Pontificē? Nam ubi posset, rem in animo habebat tractādi audacter: ubi nō, amicis opera dāda erat, nec in cassum repulsa quærenda. Ex quo patet quanta ex arte utilitas habeatur. Quamq; sapiēter Cardinalis arte usus sit, ut utrouis modo prædictio caderet, non parum illi usui futura esset. Perspectam quoq; artificis excellentiā habuisse non ex hoc, sed ex alijs antea. Secundum quæsitum fuit, si non modo contingeret quando futurum esset? Ex quo patet ab illo speraſſe omnino quandoque futurum Pontificem.

Nam non quæsisset adeò constanter an tunc esset futurus Pontifex si non sciuisset se quandoq; futurū. Nec is addidisset, (uerum sydera &c.)

nisi aliquando futurũ prędixisset aut saltem ille tunc quæsisset. Tertium quæsitum quæ illi uentura essent interim, selegit autem unum notabile uerum, non ut nostro tempore decem exigua, quorum cum maior pars falsa deprehendatur, illud quod uerum est atq; succedit, non ex arte esse creditur. Quartum & ultimum, quantum superuicturus esset. Nunc uerò singula discutiamus.

Respondet ergo Paris uidisse genesim & ne obiter crederetur subiũcit 28. Feb. anni 1468 non dixit ultimo Feb. quia annus 1468 est bisextilis. Sed addit m̃. 46. Error est in scriptura, hor. 6. m̃. 46 ante meridiem legi debet. Sic qui ædiderunt, qui dederunt & factum ipse Pontifex mihi approbauit. Brasca illam esse dixit, & quod maximum est directiones omnes congruunt. Mortuus est Leo Octobris mẽse 1521. prædixit submersionis periculum ante septem annos quam fuerit, electionem ante 12. uitam senis annis 27. audacter extendit, ob quæ nobile hoc præsagiũ dici inter cætera meretur.

Cuperemus te cursu syderum satisfacere, tanto meliore sensu oratio est quo barbara dictione contextuq; magis. Id est, cũ alij astronomi, ut blandiantur interuertant syderum decreta quæ non sunt in nostra potestate, ego doleo non posse amoliri quod decernunt. Pollicentur enim assumptionem: Primum hoc præsupponit uitæ diuturnitatem quoniã Sol & ascendens fuerunt Aphetæ, & cum ascendente Mercurius trigoni dominus orientalis & matutinus & radij trigoni Iouis ad ascendens & sextiles Lunæ ad Solem. Et Gauricus dixit se obseruasse in plus quàm mille genituris uiuaciores esse illos quibus Planetæ sunt sub terra quam supra terram. Et existimat hoc esse contra decreta Ptolemæi, cum nõ sit. Nam supra terram maleficæ præsertim cum fuerint, radios oppositos trãsmittunt infra terram, quibus obuium ascendens perimitur. Infra terrã corpus maleficæ nõ adeò perimit, ut radij oppositi. Ptolemęus loquit̃ de naturali robore uitę qui maior est his qui Planetas maximè luminaria supra terram habent. Constat igitur omnibus rationibus debuisse esse longęuum & ualde. De dignitate autem Pontificia fuit primum ex nobili familia ex urbe ex qua plures fuêre Pontifices quam ex alia. Pontifex enim Romanus est Episcopus in senili ætate in qua maximè solent deligi, ut pluribus satisfiat & multi Cardinales frequenti largitione ditentur. Ipse uerò blandus & callidus & in opinione hominum quod esset aliquando deprehensus morbo attonito & quod esset probus uir. Nec fuit omnino malus si sui generis hominibus conferas. Erat enim, ut dixi, eruditus, eruditis, maximè pauperibus, beneficus, prudens, nec sæuus, nec religionis contemptor. Sed quo ad sydera attinet, fuêre quinq; notatu digna, Sol in ascendente cum erronibus comitantibus & Mercurio orientali, & Ioue in angulo. Mercurius in optimo statu trigono radio excipiens Iouem in

angu-

angulo. Sol exceptus à Ioue ex quadrato & in sextili Lunę potẽtis. Cœli Medium in Iouis oppositio domini sui & trigono Saturni. Cor Leonis in occidente, significans ætatem declinantem maximis honoribus & potestate agendam. Adiuuant hæc radij in occidentem transmissi maximè Mercurij & Iouis & tot stellæ insignes cum ipso Ioue. Mercurius autem in horoscopo facit sagacissimum. Itaq; iam cõstitutum erat futurũ Pontificem, maximè quod ætatis processu meliores genituræ natorum interitu inefficaces redduntur.

Qui erit annus 66 dies) Ostendit firmiter hæc se prædicere uelut & illud (Non potes) uide quàm expresè loquatur, non quemadmodum nostræ ætatis sycophantæ forsan, fieri potest, existimo, astra uidentur pollicerí, nisi esset, & tales meræ nugæ: at ipse dilucidè & quod successurum non erat negauit, & quod successurum erat pollicitus est, nulla adiecta ambage. Et adiecit annum & dies, ne fortuitò prædixisse existimaremus: nam nisi addideris quæ ars erit? Omnia enim ad sic uel non reducuntur. Horum uerisimilius persæpe eligere facile est. Deinde dum uiuit, semper si tempus non adijcias dicere potes futurum esse: cum fuerit mortuus, quis te mendacij coarguet? Ita nebulones hi nunquam reprehendi possunt. Quinimo si nunc decem sint Cardinales seniores, aut alicuius nominis, omnes habebunt suum uatem. Sed qualis uates? impudẽs, adulator, & proditor. Multos enim spes præcipitat.

Adiecit ergo diem ut artificiosam indicaret esse coniecturam: incidit autem 253 dies à reditu anni 1534 in 5 Nouẽbris sed electus est 13 Octobris, coronatus 2 Nouembris. Intercesit error dierum 23 quibus serius iudicauit. Direxi igitur secundũ regulam Ptolemęi & primo cœli imum ad locum trigonum Mercurij & peruenit ad illum in Par. 14. m̃. 42. Et post Solem ad imum cœli & peruenit ad eum in Par. 56. m̃ 53 quæ collectæ faciunt Par. 71. m̃. 35. Sed simul dirigẽdo fiunt Par. 66. m̃. 11. Et hoc consentit sphæræ. Paris aũt Cęresarius habebat tabulas exquisitissimas ut uidi apud Euangelistam Brascã. Et sunt tabulæ Monteregij directionum ad Romæ situm exquisitissimè accommodatæ & absque supputationibus. Mihi autem satisfaceret instrumentum de quo aliâs sæpius dixi sub forma planisphęrij. Hunc modũ si addideris his quę Ptolemæus scripsit, efficies maiora quàm Ptolemæus ipse. Etenim Ptolemæus modum illum dirigendi posuit pro exemplo. Quamuis, ut dixi, discrimen oriatur ex hoc quod Ptolemæus in quarto modo facit directionem compositã, Cęresarius non. Sed Ptolemæus sumit auxiliũ à processu qui talis fuit, & ingressus ut hic infra uides. Sol ad oppositũ locũ deuenerat qui fuit trigonus radius Lunæ & Martis & quadratus Iouis & aspiciens Saturnum. Sed quod maximũ fuit hęc synodus radiorum celebrabatur in Geminis, & cœli Medium peruenit ad locũ illum ut infra uides. Et Mer

curius ad locum radicis in optimo ſtatu & reſpiciens rurſus ſynodū trigono. Et fuit ibi Mars fauens electioni, quia ab initio recepit Solem ſextili radio & fuit dominus trigoni loci Solis primus & ipſe inter Vergilias ſignificās cōſenſum multitudinis. Cum igitur iūxeris tabulas exquiſitas uiæ proceſſuum, habebis rem de qua homines mirabuntur. Nihilominus etiam abſq; illis ſufficit.

Cœl. Med.	♊	9					
Sol	♍	18	20	♐	18	20	
Luna	♏	16	54	♍	0	24	
Sors	♎	20	53				
Aſcendens	♌	22	39				
				♄	♎	20	38
				♃	♑	24	5
				♂	♊	19	14
				♀	♉	4	13
				☿	♒	20	56

Et hęc de anni inuētione, ſed de menſibus & diebus non oportet, ut credas quod eodem modo habeantī in talibus nam in uita & his quæ naturaliter proueniunt in corpore & anima bene eadem eſt ratio. Sed in talibus oportet ut fiat concurſus cauſarū, ut etiā in libro de Fato diximus. Vtpote quod iam mortuus eſſet Pontifex alius, nam duo Pontifices ſimul eſſe nō poſſunt. In hoc igitur caſu nec melior proceſſus nec ingreſſus eſt eligendus, ſed ſufficit ut ſatis concordet. Et quod concurſus cum alijs cauſis conueniat. Et hoc ubi directio nō cadat ad unguem in annum proceſſus optimi.

Sed ubi cadat directio ad unguem in annum, tunc eligendus eſt menſis qui magis cōcordat ratione proceſſus & directionis, ita quod in hoc caſu quærenda eſt exacta directio & proceſſus.

Quòd ſi directio conſentiat proceſſui & ingreſsibus non tamen conueniat concurſus cauſarum, tunc habebit primum locum poſt illum, puta poſt Pontificē aut Regem. Et ſi concurſus ſuccedat ſtatim habebit rurſus primam dignitatem: ſi autem multo poſt plerunq; euaneſcet uis illa, nec habebit ſed in aliū transferetur. Ideo ſecūdus locus ſuccedente morte principalis ſtatim eſt ſignum quod ſuccedet in principali, quia talis ſecundus locus ſignificat omnia adfuiſſe ex parte ſui, ſed defuiſſe occaſionem. In hac igitur geneſi quod ad annū attinuit nihil defuit, nā & tranſitus aſcendentis ad ſeptimum locū ubi erant radij oppoſiti Solis & Mercurij, & quadrati Lunæ & Martis, & trigoni Iouis, & cor Leonis indicabant dignitatem maximam & authoritatem ac faſtum qualis ſolet adeſſe Pontificibus.

Pro menſe igitur & die obſeruāda eſt directio exquiſita, ut dixi, ubi in eundem annum coincidat: Secundo proceſſus qui fuit ad nonū menſem: Et quia annus peruenerat ad oppoſita ſigna, & oppoſitio non diuiditur niſi in trigonum & ſextilem conuenienter, ideò peruenit menſis ad ſextilem radicis & trigonum reuolutionis anni hoc modo. Et ita Sors ad optimum ſtatum peruenit. Et Luna menſis initio fuit in cœlo Medio radicis.

Ex directione Solis) Addit cauſam ne crederetur uaticinari ex dæmone aut

Sol	♉	18	20
Luna	♋	16	34
Cœl. Med.	♐	9	
Sors	♊	20	53
Ascendens	♈	22	39

ne aut inani arte. Assumit Solem, in hoc consentit cum Ptolemæo. Ad trinum Mercurij prefert trinum corpori, & Mercurium Iouis, quia Mercurius erat in optimo statu in centro horoscopi, orientalis, matutinus, dominus loci proprij & directionis: Iouis omnia in contrarium cedebant. Cum testimonio Iouis & Saturni, Iupiter tamen erat præsens corpore loco directionis, & dominus loci Solis, & cœli Medij. Saturnus aspiciebat locum de sextili ubi directio cadebat & erat dominus trigoni loci.

At interim) Voluit confirmare prognosticum ex re euidentissima, scilicet in aquis: nam cum morbi, uulnera, casus, ruina, uenenum, accusatio, etiam si prædicantur leue momentum habent: periculum ab aquis in uiro potenti ostendit uim Fati, si præuisum cum tempore non possit uitari: nihil enim facilius, maximè habitantibus mediterranea. Præmonitus igitur si cauere nequeat magnam declarat Fati necessitatem. Incidit ergo & penè submersus est. Sed tamen ut audio paulo serius quam prædictum fuerat iuxta annum 65. Seu quod in supputatione error fuerit, seu quod uerè anno illo 62. scilicet casus acciderit. Et certè anno 62. Luna erat in initio Scorpij & ibat ad Saturni oppositū qui fuit in 13 parte Tauri. Quidam dicunt quod anno præcedente electionem etiam cecidit ex attonito morbo, eo quod Luna passa est deliquiū mense Augusti ualde proximè horoscopū. Sed nos nugas aliorum non curamus. Certū est quod cū satellitio stipatus esset iuxta tempus definitum cecidit in flumen, in quo penè submersus est. (Ex directione Lunæ ad Saturni quadratū.) Dat causam, non semper hoc facit Luna sed cū esset Luna iuxta Pleiades & Martem cadentem significauit periculum uiolentę mortis ex humido. Et quia Saturnus erat author, & omnes sub terra, ex casu in aquam.

Anno 81.) Horoscopi ascensio est par. 337. m. 59. Ascensio loci trigoni Mercurij qui est par. 22. m. 39. ♊ est. par. 59. m. 10. Differentia igit est par. 81. m. 11. Et sunt iuxta illum absq; additione septuagesimę secundæ partis anni 81. mēses 2. dies 6. qui si cōputentur à die natalitio qui fuit 28 Februarij cadunt in 4 aut 5 Maij, habes rationem dictorū. Circa quæ animaduertendū primo quod corpus Saturni non occidit in 31 annis, quia Saturnus erat dominus ascendentis, & ascendens robustum præsentia Mercurij, Solis & radiorum trigonorum Iouis. Similiter nec Mars ob robur ascendentis & quia est in signo fœminino. Nec radij quadrati proprij quia licet cadant super corpus Martis, Luna tamen est ibi uicina & quadratum ascendentis cum sit breuium ascensionum & terminetur in 55 annum habet uim sextilis: Et huius statim subiungam rationem. Vidi etiam quod Paris Cęsarius facit horoscopum 28 Aquarij par. non 23. alij ponunt par. 24. m. 48. At hoc quod ad trigonum & quadratum

ATENEO VENETO VENEZIA

attinet horoscopi & directionē Solis & Planetarū parum refert, quia circuli positionum parum admodum uariantur & loci remanent idem. Sed cur trigonus occidit cum uim habeat quadrati in ascensionibus imò nec implet quadratum quod continet 90 par. Respondeo quod cū agatur de directione & directio fiat per partes æquinoctij quarum natura quadrata est contraria, quia est medietas oppositionis, trigona & sextilis est amica, ideò in directionibus attendere oportet magis naturam cōsensus & contrarietatis partium æquinoctij quā significri, in alijs causis contrarium oportet obseruare. Et licet partes 80 non compleant signa tria nec quadratum aspectum, nihilo minus cadunt in signum oppositę naturæ. Veluti si Aquarius ascendit, in imo cœli est Tauri signum æquinoctialis non Gemini. Et quod sit uerum imum cœli semper respicit quadrato aspectu horoscopum. Et hæc suo loco nos declarauimus. Nunc breui regula opus est: Inspice locum respicientem & in quem cadunt radij & si domus se respiciunt sextili aspectu erit natura radij illius sextilis, si quadrati quadrati, si trigoni trigoni. Eo anno dicit Iupiter nō respicit locum directionis, nec quadrato, nec trigono, nec opposito. Intelligit quia in reditu anni 82 licet Iupiter fuerit in 22 parte Arietis, aspectus ille nō est ualidus. Præsentia tamen loci Iouis supple in radice posset aliquid facere, quod non credo. Nota duo circa hoc, primum quod præsentia in loco directionum uel processuum, ut dictum est debet esse per ingressum nō in radice, ut contra Aphetarum ad loca radicis comparatio esse debet. Deinde præponit oppositionem corpori, dico quod oppositio Iouis est bona quia ab initio fuit amicus ascendenti, ipsum trigono radio respiciens. Sed non est melior præsentia eius, quod autem dicit esse meliorem, intelligе de præsentia in radice nō in ingressu. (Cum testimonio Saturni domini terminorum) Visus est amplecti fines Ægyptiorū, quia iuxta illos posita 28 parte Aquarij ascendente Saturnus est dominus finis et trigoni illius in Geminis. Aut dicendum est quod scripserit terminorum pro termini. Sed prior opinio mihi arridet. Non dixit de ętate decrepita quā uis maximum esset argumentum, quoniam ut dicebat Galenus, uiri prę clari non solent adducere in medium nisi ea quæ paucis nota sunt, abstinent à notissimis.

Hæc uir ille ingenio plus quàm humano scripsit. Memini anno 1538 audiuisse Pontificem iactasse quod securus esset de uita usq; ad 14 annos expletos ab assumptione dignitatis. Vidi etiam scriptum quoddam, in quo dæmon interrogabatur quantum super futurus esset à die dignitatis assumptæ? Respondebatq; annis 14. Ita apud illum pro constanti habebatur non nisi exacto anno 14 obiturum. Sunt qui uelint Paridem Cæsarium dæmonis auxilio innixum prætendisse astrorum istam immodicam scientiam, cum etiam audierim à uiro fide digno atque fortu-

na illu-


na illustri, constituisse in camini Pluteo capita marmorea, quæ cum infortunium immineret, sponte circunuerterentur. Sed hæc ut reor adeò mira ab illius excellentia in prædicẽdo potius sumpsere originem, ut homines uelut antiquitus fabularentur. Peruenisse potius ad illum credendum est Francisci Mariæ Ferrariensis scripta, atque inter cætera mirũ illud prognosticũ Iacobi Picinini, qui à Rege Neapolis Ferrando Arragonio occisus est, cum annum, mẽsem, diem & horam illi astrologus prædixisset. Sileant iam Apollinis responsa, nihil tale enim in his memoratur. Trium igitur mirabilium prædictionum, Ascletarionis de Domitiano, Francisci Mariæ Ferrariensis de Iacobo Picinino Principe, Paridis Cæsarij Mantuani de Alexandro Farnesio, unam reuocasse in examen contẽtus sum, reliquas si potero perducam in lucem. Cæterum ut ad rem redeam, cum Luna ad locum Iouis peruenisset directione anno 36 filium suscepit nomine Petrum Aloysium Patris uirtute longè inferiorẽ, scilicet eruditione & prudentia, fauebat tamen eruditis, ex quo extant quatuor illustres nepotes. Propter cuius mortem & casum genesim subijcio præcedente non inferiorem admiratione. Ex priuato statu Princeps inde à suis occisus cum in arce tuta esset. Conspiratione omnibus nota præterquam ipsi, ut Fato mortuus uideatur. Adsunt præterea duorum principalium inimicorum geneses & præsertim eius propriè qui illum manu sua interfecit. Subieci & genesim primogeniti, ut simul aui patris ac filij seriem intelligeres, quemadmodum & in nostra, nam & patris mei & filiorum meorum comparationem habes, & ut hic patri unicus fuit filius, illi multi filij, sic & ego unica proles parẽti, multos progenui filios. Hic uerò fortuna inferior parente fuit, nos autem superiores. Fuit etiam hic qui describebatur immodicus omnino puerorum amator, & patritijs infensus. Alioquin moderatum se popularibus exhibuit ac plebi: credo ut securius regnaret.

Petri Aloysii Farnesii Principis, Genesis undecima.

ASsumpto ad Pontificiam dignitatem Alexãdro Farnesio qui uocatus est Paulus Tertius consensu collegij Cardinalium, duæ ciuitates Placentia & Parma olim subiectæ Mediolanensium Principibus & ob ærarij inopiam pignori datæ Pontificibus pro certa pecunia, Petro Aloysio concessæ sunt sub Ducis, ut dici consueuit, titulo. Nouaria quoque pecuniæ causa Pontifici pignori data, Cæsare permittente, illi data est, ut trium simul ciuitatum egregiarum Princeps factus sit. Quod si uel Fata uoluissent, uel ipse moderari fortunam sciuisset prudentia & potentia patris, non solum parta conseruare sed egregiè augere potuisset.


Iupiter cũ Apolline magnitudinis secũdæ naturę Mercurij.


Luna iuxta Caput Serpentarij magnitudinis tertiæ naturę Martis & Mercurij.



Commu-

Cõmunia his duobus sunt qnq;, ascendens in signo Leonis quod ambitiosos & truces creat. Venus cũ Sorte hoc ad rẽ nihil pertinet, utriq; tamen causa mulierũ, diuitiarũ incrementum pollicetur. Quod nescio quomodo contigerit, certum tamẽ est. Tertiũ est Mars in casu suo, hoc raro ostendit dignitates in re bellica aut administrationes, ob id qui talia patrant raro assumuntur ad administratiõnes, natura ipsa rerũ cum astris consentiente. Qui enim talia agũt sibi timent & ob id alieno nomine non gerũt res. Mars etiã in casu suo administrationes negat, idẽ in angulis & opposito Lunæ (Est autẽ hoc utriq; commune & quartũ ac qntum) ad homicidia impellit: solus Mars in Lunæ opposito eos nasci facit qui ad hominum cædem promptí sunt, ut hic in his duobus exemplis uides. Et in genesi Principis cuiusdam qui ad me pro iudicio 100 coronatos transmisserat, licet mercator mihi 25 subripuerit. Is enim cum Lunam in opposito Martis haberet ex quacunq; causa ad hominum cædẽ prorum-





pebat, ut sic iam plures adhuc iuuenis iugularit. Occisus est die sabbathi 10 Septembris anni 1547 hora diei, id est, à Solis ortu 5. quæ est 17 horologij & secunda ante meridiem cum pransus esset. Fuit is annus ætatis 44. eo tempore Sol peruenit ad oppositum Saturni in annis 45 completis ex loco tabularum. Tamen contigit eo anno obseruari coniũctionem Saturni & Martis celebratam esse 15 Octobris, & tunc Mars per instrumenta deprehensus est, esse in par. 17. m̃. 30. Cancri, quia coniũctio Martis & Iouis fuit obseruata eodem mense die sexta Octobris. Cõstabat autem tunc Iouem esse in par. 14. m̃. 25. Cãcri, igit̃ Mars fuit die sexta Octobris eiusdem anni in par. 14. m̃. 25. Cancri. Et ideò cũ Ephemerides supponant Martem tunc fuisse in par. 13. m̃. 52. Cãcri, oportet addere m̃. 38. loco Martis 15 Octobris & erit Mars cũ Saturno in par. 17. m̃. 30. Cancri, ut dictũ est. Sed in Ephemeride supponitur ea die in par. 19. m̃. 42. Saturnus, igitur die 19 Nouembris proximè sequẽtis Saturnus fuit in par. 16. m̃. 44. Cancri. Et ita Sol peruenit ad oppositum Saturni in annis 44. mensibus 2. siue in par. 43. m̃. 32. Vt autẽ ostendi, tempus uerum ut plurimum cadit inter hæc duo tempora, & ita iuxta finem 44 anni. Habes igit̃ quod ex hac directione debuit mori quia Anęreta erat duplex & potens domino loci iunctus. Quòd eo anno, quia processus concordabat cum directione. Quod uiolenta morte, quia Anæreta erat in loco contrario naturæ suæ, & duæ maleficæ iũctæ simul & locus Martis imperabat loco Solis. Quodq; à suis, quia dominus ascendentis erat in loco directionis, & Iupiter qui Anæretæ fauit dominus fuit loci Solis qui fuit Apheta. Quod uerò mors uiolenta esse deberet, alia præter hæc suadebant: Dominus ascendentis in oppositio maleficarum & domini loci oppositi, ut intelligeremus bonis atq; malis æquæ inuisum futurũ, Mars imperãs Soli loci ratione. Luna infelix & sub radijs à Sole ad Mercuriũ infelicẽ defluens. Erat præterea Iupiter alter ascendentis dominus cum maleficis & tres superiores retrocedebant: quod cum contingit inditium est semper atram bilem prædominari egregiè, ut experimẽto didici. At uerò tres celebrat coniunctiones Iupiter cum Marte ante natiuitatẽ in 14 parte Cancri, post retrocedens in 9 ultimo directus in 6. Cum Saturno uerò iungetur etiam Iupiter in 20 parte Cancri, Cancer autem omnium quæ in cœlo sunt signorum, ut dixi, potentissimum. Proximius nobis regium domus Lunæ longarum ascensionum imperans. Eodem anno ascendens peruenit ad Martis sextilem & Pleiades. Mars autem cadit ubi est & in loco directionis retrocedens iunctus Saturno similiter cadenti atque retrocedenti. Atq; hæc de anno. De mense uerò ac die alia ratio est, fuit mensis 11 in anni initio. Saturnus fuit in loco Mercurij radicis & Venus redierat ad locum proprium domina trigoni loci Anæ-

Processus mensis	
Sol & Luna	♉
Ascendens & Sors	♌
Cœli Medium	♉

ci Anæretæ prima. Sicut etiam in præcedenti geneſi anno quo creatus eſt Pontifex dominus trigoni loci promittẽtis, id eſt, 23. partis Geminorum primus redierat ad locum radicis. Dixi enim quod in his quę per multos celebrantur, dominus trigoni maximam apud Ptolemæum obtinet poteſtatem. Luna uerò ibat ad quadratũ Veneris & ſextilem Saturni, eratq; in illius Carpento in parte 16 Libræ. Sed ut ad menſem reuertar fuit eius initium die 26 Auguſti eiuſdem anni & tunc Luna fuit in loco interemptorio, id eſt, loco oppoſito Saturni & Martis in radice & loco Veneris tam in radice quam in initio anni. Pridie quam occideretur celebrata eſt coniunctio Solis & Martis, quæ ſignificat ea die initum arctum cõſilium perficiendi. Ea die Luna fuit in Leone, quod pertinet ad eos qui interfecerunt, nam fuit inter amborum horoſcopum. Fuit igitur anni eius proceſſus ut uides. Vides igitur in proceſſu illius anni omnia loca principalia eſſe afflicta, ut minimè poſſet euadere. Et quia cœli Medium affligebatur in morte, amiſſa eſt maior pars principatus. Ex tribus enim ciuitatibus amiſit duas, ſcilicet Placentiam & Nouariam. Et quia maleficæ erant iunctæ & dominantes loco interemptorio, & ipſæ malè affectæ, corpus eius poſt cædem fuit etiam contumelijs magnis affectum. De cauſa autem exactiſſima, menſis, diei & horę ob prolixitatem ſuperſedeo. Nunc uerò ad illos qui eum occiderũt transferenda eſt conſideratio. Primus, id eſt, Landus non poterat ullo modo occidere quia nil tale ex geneſi portẽdebatur ſeu quod eſſet podagroſus, ſed Angoſciola Saturnum habuit in loco Solis Farneſij ad unguem, eſt autem Saturnus, ut dixi, Farneſio Anæreta, ideò illius manibus occiſus eſt. Fuit hic annus Lando 37. atq; ideò in proceſſu omnia ad locum radicis redierant & quæ in geneſi ſignificabant tunc præſtare debere oſtendebant, cum eſſet in ætate Solis. Angoſciolæ fuit 32. Actiones directione non indigent, cum ſæpius poſſint iterari & ſint in poteſtate agendis: ſed Solis proceſſibus & ingreſſibus nihilominus eo anno Lando Luna peruenit directione ad locum Solis inter Pleiadas: quo fit ut etiam cum luminaria ſint malè affecta, Sol inter Pleiadas, Luna in oppoſito Martis, ut utroq; lumine ſit ualde læſus. Ob id etiam contingit, ut plures ex his qui breuem habent uiſum ſint homicidæ, quoniam hic luminaria à Marte oppugnantur, aut illi uel eius ſtellis immiſcentur. At Saturnus cæcitatis author eſt, ideò nõ ita cæci prõpti ſunt ad homicidia præſertim cum facultas deſit: Sed malos animos gerunt, ſuntq; quales Saturnus deſignat, fraudulenti. Sed ad rem reuertor: aſcẽdens utriuſque eſt inconiunctum aſcendenti Farneſij, & in reditu anni Mars redijt ad proprium locum radicis in quadrato Iouis & Mercurij, Lando Mars


Sol	♋	6	18
Luna	♋	13	18
Aſcendens	♎	9	
Sors	♎	16	
Cœl. Med.	♋	19	

in op-

in oppoſito Saturni & Mars in Cācri initio. Sed & Luna in oppoſito Solis in fine Scorpij: fuit autē Saturnus dominus aſcendentis proceſſus Farneſij. Sol quoque Lando & Mars Angoſciolæ inter Pleiades nō ſimplex homicidium, ſed coniurationem plurium ſignificabant. Plura dicenda eſſent, ſed cū de principibus agatur, ne uerba in malum ſenſum poſsint diſtorqueri, ſuperſedeo.

Cæterum cum Iupiter & Venus affligant in ſigno aqueo uel ex aqueo ſigno à maleficis, podagram inſignem iuxta noſtra principia ſignificabant. Itaque correptus ea atque confractus, nodoſus atq; penitus deformis & immobilis redditus eſt. Eius quatuor fuere filij, Alexāder primus mus & Raynutius Cardinales, Octauius Parmæ nunc dominus, atq; Horatius Princeps. Primogeniti uiri ſplendidi & inſignis genituram cauſis ſupradictis ſubnectere placuit.

Motus. Planetarum		Latitudines			
Sol	Vel.				
Luna	Tard.	S	D	4	9
Saturnus	Tard.	M	D	0	24
Iupiter	Vel.	S	D	0	50
Mars	Vel.	S	A	1	0
Venus	Vel.	S	D	1	2
Mercurius	Retr.	M	A	2	4



Huic aſcendēs eſt locus oppoſitus Iouis patri & Mars iuxta locum propriū. Cum aſcendens ad corpus Saturni & oppoſitum Martis peruenit ægrotauit ad mortem is annus fuit ætatis 13. Euaſit quia Sol Apheta erat. Sol in utriuſque maleficæ quadratis radijs uiolētū exitū uitę patri decernūt, qui illi cōtigit anno ætatis propriæ 27. Sicut Venus cū Sole in diurna geneſi principatum. Hoc quidem in congreſſu per directionem cum Ioue ipſius Solis anno 24. ut trienio poſt cum occurrit radijs Saturni & Martis in Martis domo cædem quæ ſubſecuta eſt. Præſertim quòd directionis locus, & in angulo, & in Scorpione, et in fine ſigni fuit. Nam & ſi ra-

si radijs amici sint trigoni sextilesue, ut tamen uides atq; te docui cum ex domibus se quadrato respicientibus sint, quadratis æquiualent, ob quartam partem æquinoctij intercepta: Et rursus quia ut aliâs dixi Sol ab initio ab ijsdem maleficis quadratis radijs pulsabatur? Ex hoc uides quod in genituris primogenitorum & ultimorum filiorum relucẽt fata parentum, non in alijs. Vltimus enim Raynutius natus est 1530 anno, die autem 11 Augusti, hor. 14. m̃. 42. post meridiem. Et hic habuit Solem cum Marte, non tamen adeò expressè uiolenta patris mors significabat̃ ex hac constitutione, ut in Primogeniti. Rursus in genesi secũdi filij Octauij Ducis qui longam Parmæ obsidionem perpessus est, nihil tale inuenies, natus anno 1524. die 9 Octobris, hor. 4. m̃. 23. post meridiem, Iouem habet in horoscopo à centro tantum distantem par. 1. m̃. 15.

Cæterum ut ad Alexandri genesim reuertar factus est Cardinalis anno 14. cum cœli Medium ad Iouem peruenit. Quia uerò Sol quadratis radijs maleficarum pulsatur, amissionem dignitatis antequam subsecuta sit anno 1547 prædixi portendere. Sed & restitutus est ob Venerẽ Soli iunctam & Iouem cum Sorte in cardine constitutum. Ob eadem tota illius uita erit plena cõtentionibus & periculis, ipse alioquin clarus, splendidus, atq; inuictus. Non erit abhorrẽs à Musis. Sed & liberalis, ac magnificus, magnanimusq;. Vexabitur tamẽ corporis uitio quodam & inopinato casu concidet. Antea tamen ob Iouis situm, à multis euadet infortunijs.

Monendus etiam lector es de duobus quæ ad principalem pertinent genesim, antequam illam penitus absoluam, quod omnes qui de cæde illius conuicti sunt, maximam cum Leonis signo habuere coniunctionẽ, quod Leo non solum horoscopo Farnesij sit inconiunctum, sed & loco interfectorum, scilicet Cancro & loco in quẽ directio peruenit, id est, Capricorno, & locis dominorum horoscopi, cum alter sit in Cancro reliquus in Capricorno.

Alterum quod scire præstat, est eos qui Lunam habent sub radijs Solis à maleficis pulsatum aut ad infelicem stellam euntem, & eo grauius si ipse Sol sit in Leone, Libra uel Aquario, aut etiam Scorpione in pueritia repente morbis atrocibus extingui, uel si ad perfectam euaserint ætatẽ malis consilijs pericula perpetui carceris aut uiolentæ mortis sibi parare. Hoc autem contingit quoniam Luna cerebrum & consilium significat. Ex cerebro in pueritia conuulsiones, phthises, resolutiones, febres repente, ob abscessus in cerebro occidentes, contingunt. In iuuenta autem facit audere supra uires, quod commixta sit Soli Luna. Sol autem ambitiosos & spiritu elatos significat.

Quod uerò ad cõcordiam geniturarũ nepotum cum auis, uides quod huic Sol & Venus sunt in trigono Mercurij & Iouis auiti, et Iupiter in trigono

gono Solis quod significabat dignitates ac diuitias (nam Sors propè loquem erat) ab auo habendas, illumq; superfuturum donec ista posset efficere. In primogeniti autem nostri genesi ambæ maleficæ in Cancro, ut in patris mei natiuitate. Sed & Saturnus auo & nepoti in eadem parte constitutus posthumum ab auo nepotem facit. Inde etiam maxima intercessit similitudo quod in auo Saturnus esset potens ob situm, fuit enim in horoscopo, in nepote ob dominium loci Solis, Lunę, Mercurij, Veneris, horoscopum aspicientis & domini ipsius ascendentis. Iupiter enim fuit in Aquario.


D. Erasmi Roterodami Bataui, Genitura duodecima.

CVm maxima solum exempla referre propositū esset, hoc certè maximum est. Homo natus obscuro patre, conditione ultima, omnes Reges in sui traxit admirationē. Epistolas & munera ab omnibus accepit. Quotannis à multis ex illis stipendium habebat. Ad hunc Pontifices maximi scribebant: Galerum offerebant: natus in miseria, mortuus in opulentia. Morbosus semper, ad decrepitā peruenit ætatem, 70. enim anno mortuus est. Patria barbarissimus, eloquio elegantissimus. Dignus qui inter uiuos coleretur & legereť, tanquam Fato functus. Tot scripsit ut obiter scripta uideri possint. Tam diligenter singula, ut sola scripta esse existimentur. Denique Homuncio ille quoad uixit inuictus extitit, tam etsi inuidia maxima laboraret. Sed ad rem reuertor: Natus est Erasmus in Roterodam o urbe exigua Batauorū, nunc Holandia dicitur ea regio inter Rhenum & Mosam sita. Hinc à sinistra mare, à dextra fluuius Roter, altitudinē habet par. 54. non procul est ab Antuerpia emporio. Igitur Erasmus ea urbe oriundus cum Saturnum habuerit in occidente in Ariete, calculi dolore ad mortem perpetuò discruciatus est. Cum uerò Martem in Piscibus atque in sexto loco podagram breuem sed frequentius reuertentem, qua cōflictabatur, passurum denuntiabat.

Luna in Scorpione sub Sole & cum nodo, morbos acerbissimos quorum origo esset à cerebro. Pericula innumera uiolentæ mortis, cariturum uxore ac filijs, uitam ducturum humilem, laboraturum infamia grandi, malo consilio usurum in iuuenta atq; ob id miseram uitam ducturum, uitia etiam quædam secreta circa pudenda denuntiabat.

Venus & Mercurius in horoscopo cū spica & in Iouis trigono scientiam septem linguarum præstiterunt & theologiæ, quibus toti orbi & principibus præsertim notus inclaruit. Dederunt hæc eadem sermonis suauitatem & elegantiam. Fuit Iupiter cum stellis penè eisdem cum quibus no-

bus nobis Saturnus. Domini qualitatū animę fuerunt Mercurius, Saturnus, Venus, Mars.



Vnde etiam prædi ues apud bibliopolam uno contentus anagnosta diuersabatur. Inde tot illæ faces, stimuli, triumphi, bella, manabāt. Venus Apheta Saturni trigonus ex signis breuium ascensionum occidit. Ibi fuit sextilis horoscopi ex signis longarū ascensionum.

Porrò quod ad Sortē attinet, ab initio in oppositō Saturni retrogradi & infelicis fuit, mendicitatem non paupertatem ostendens. Deinde cum Mercurius, Iupiter, Venusq; domini optimè sint collocati & cum syderibus inerrantibus & in occiduis quadrangulis, opes in senectute nuntiant insignes, qualesq; fuerunt.

Memineris autem in Venere & Mercurio à Solis utraq; coniunctione ad maximam elongationem orientales dici debere, à maximis elongationibus in reditu occidētales. Vt matutinas ante Solē, uespertinas post. Hæc autem superius sunt declarata. In mundo igitur omnes occidentales extiterunt non ad Solem. Iouis constitutio cum syderibus inerrantibus facit ad librorū compositionem. Sunt enim libri monumenta multorum annorum, ut etiā urbes. Non autem hoc simpliciter sed cum domino ascendentis & locorum qualitatis animi configurantur. Qualitatis quidem animi ob inuentionem, ascendentis ob executionē ac labores.

Fuit exigui corporis & macilentus, iucundus ob Venerem in ascendente, ac lepidus, ob Saturnum autem occidentalem in Ariete in oppositō ascendentis paruus & macilentus. Cumq; dominaretur loco Mercurij Saturnus, fuit laborum patientissimus. Iupiter fuit in uno circulo cum Hyrco magnitudinis primæ naturæ Martis & Mercurij. Non satis conuenienti illi.

Causa itinerum multorum quibus extra patriam & procul perpetuò uersatus est fuerunt Sol & Luna in Martis dignitatibus, & si non cadant

ab angulis cadit tamen Mars ipse. Porrò tempora felicitatis à 32 anno dum cœli Medium sextili Veneris applicat. Incrementi & sacerdotij à 42 dum Sol oppositio Iouis. Nominis alicuius à 25 cum cœli Medium Solis quadrato. Ex hoc constat cum Mars malè affectus sit in hac genitura tum Saturnus, ipse uerò non melius se habuerit quam extrema senecta & à 41 ad 56 annum, nihil facere ad ætatum diuisionem, ut aliâs dixi, quod illarum domini benè aut malè dispositi sint, sed directiones processus atque ingressus tantum inspiciendos.

LIBRI DVODECIM GENITVRARVM FINIS.

G1206
5